IHS

Gregor Santij in leb Dover.

GREGORII FANTII PHILOSOPHI

IN LIBROS POSTERIORES ANALYTICOS PRAELECTIONES

SIVE COMMENTARII

QVIBVS ARISTOTELIS CONTEXTVS LVCIDE explicatur, & emergentes passim Difficultates proprijs locis examinantur.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM SCIPIONEM BVRGHESIVM S.R.E. CARD. AMPLISSIMVM.



ROMAE, Ex Typographia Andreæ Phæi. M. DC. XVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO

D. SCIPIONI BVRGHESIO S. R. E. CARDINALI

AMPLISSIMO.

GREGORIVS FANTIVS PERENNEM F.

HONESTVM eſt res ſuas Viro Doctiſsimo nuncupare; honeſtiſsimum Principi; tibi vero & Doctiſsimo, & Principi, etiam glorioſum. Iure igitur ad Te properant fruges noſtræ, cum autem Te dico Virtutum omnium Coryphæũ intelligo. Quanquam aliud etiam ad id me mouet, tum nobile, tum perenne doctorum, ſtudioſorumque ſuſceptum patrocinium. Etenim Naturæ tuæ bonitas haud credit ſatis ſibi omnino facere ſi omnes bonos generatim amplificat,

cat, nisi proprijs meritis singulos plane sibi deuincit. Accipe ergo nostra Monimenta, vel tua potius, quando à tuis ad sublimia conatibus orta, ad te redeunt. Perpende rem, parua videbitur; animum specta, gratissimum dices; Hæc tamen erit vt magna, vbi Animi tui Magnitudine illam excipias. Diu te Deus seruet incolumem.

HONESTIS SAPIENTIAE
SECTATORIBVS.

D*VM Sapientiæ Regiam contemplamur Magno Aristotele duce, qui ad intima immittit, Aliqui nobis occurrunt non solum admonentes, sed etiam rogantes ut ab ijs caueatur, quæ valent forte damnare, tanquam in illum ingratos, cui plurimum debemus. Quare ut nota vitetur erga tantum Præceptorem, præsertim eis turpis, qui Disciplinis exercent, cæpit cogitatio tenere Amicis obsequendi, atque adeo Viris, qui valde apud nos pollent. Et hos Commentarios edimus. Eo vero libentius gessimus, quando ex ore excepti, vel à quibusdam descripti ut ut potuerunt, sic à recto distabant, ut vix nobis noscerentur. Neque vero deterruit vel doctorum auctoritas, vel indoctorum infirmitas; nam hi, tantum abest ut commoueant, ut vere contemnamus, quasi eos, quorum haud decet nostros mores, vel Studia recordari; at primis, sic aures porrigimus, & libenter audimus, ut maxime veneremur. Ac licet plurimi se dedant Sapientia placlari, qui æternis monumentis hæc eadem illustrarunt, tamen tanta est librorum obscuritas, quos præ manibus habemus, adeo reconditus sensus, quem odoramur, ut nullus sit labor inanis, uel audax reputandus, sed, quod monet* Philosophus, *potius adamandi, qui prouinciam excolunt, & pro uiribus conantur. Bene ualete. Ex nostro suburbano Rure, quod Fantinam appellant.*

PRAE-

PRAELECTIONVM INDEX,

QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

PRO PRAEPARATIONE AD ANALYTICA Posteriora.

In Primum Analyticum Posteriorem.

Præ-

In Secundum Analyticum Posteriorem.

Præ-

FINIS.

Imprimatur, si videbitur R. P. M. Sacri Palatii Apostolici.
Cæsar Fidelis Vicesger.

OPus hoc in Aristotelis Posteriorem Analiticam, ex commissione Reuerendissimi Patris Magistri Fratris Hyacinthi Petronii Sacri Palatii Apostolici Magistri perlegi, nec in eo quid contra fidem bonosue mores comperi, vnde dignum, quod prelo mandetur existimaui.

Fr. Basilius Marza Chiensis Ord. Prædic. Sacr. Theol. Mag.

Imprimatur, Fr. Gregorius Donatus Mag. & Reuerendiss. P. F. Hyacinthi Petronij Sacri Palatij Apostolici Magistri, Socius; Ordinis Prædicatorum.

GREGORII FANTII

De LOGICAE LAVDIBVS,

cum eam publice profiteri inciperet

PRAEFATIO.

INTER omnia bona, quæ à rerum parente Deo generi hominum tributa, vel ad voluptatem pulcherrima, vel ad vſum neceſſaria, vel ad honeſtatem maxima reputantur; ſplendide doctorum conſenſu munus elucet Sapientiæ. Etenim cum ſuprema illa Mens Mundum hunc procreaſſet, varijſq; diſtinxiſſet ornatibus, animali omnium, quæ hic continentur admirabili hanc indidit poteſtatem, principia,

cauſas, vires, naturam denique omnem penitus cognoſcendi, vt nihil ad ipſius bene, beateque viuendi rationem deeſſe pateretur. Verum in inueniendo obſcuritas, difficultas in diſponendo, memoriæ commendando labor, ſic hominum retardarunt induſtriam, vt bonum illud ab omnibus ſummopere expetitum, tentatum quidem à multis, à paucis quaqua adeptum audiamus: Quorum tanta ſemper dignitas extitit, atque præſtantia, vt eorum dicta pro oraculis, facta pro viuendi ratione haberentur. Quod vbi diligenter conſideratum, accurateque cognitum eſt, vnuſquiſque pro viribus alacriter prouinciam ſuſcipere, rem explicare, lumen denique aliquod afferre attentabat. Sed incaſſum omnia Viri doctiſsimi, donec Natura parens humanam miſerata conditionem dedit nobis quendam e Cælo lapſum, Diſciplinarum Myſtagogum, Ariſtotelem. Hic inquam lumen ingenij, & doctrinæ vir ea nos breuiter edocuit, vt nihil neque tam arduum, atque reconditum, neque tam multiplex, atque varium vnquam reperiatur, quod ſi recte ipſius dogmata percipiantur, breui facto, ſummoque ordine non innoteſcat, ac perpetuo retineatur. Hæc Logica eſt, Auditores, illá ſane Logica, quæ Menti noſtræ in obſcuro latenti faces præfert, nec patitur in ea cæna nos deuolui, quibus priſca illa ætas ante Ariſtotelem turpiſsime volutabatur. Hæc Protheus alter formas quaſque induere non ſordeſcit, dummodo alumnos ſibi creditos bonis omnibus cumulatos efficiat. Hæc illa eſt Homeri aurea Catena, quæ nec infima abhorrens, ne ſumma pertimeſcens, á Terra ad Cælum vſque pertingens, ideſt per omnia rerum Genera decurrens, ſummo ordine, fidiſsimeque coniungit vniuerſa. Hæc inſtar virginis

vatis

vatis manu ducto Troadum Duce, nempe rerum nobilißimarum indagatore, vadis omnibus, ac breuijs iucundißime prætervectis, tandem optatißimo felicitatis solio ipsum constituit. O facultas in primis nobilißima. O nobilitas maxima facultatum. Neque vero credendum est diu illam latuisse reconditam, sed simul ac tanta lux mortalibus affulsit, omnes simul sui desiderio inflammauit, nec inflammauit quidem, sed non perfecit, aut perfecit quidem, sed non ad omnia; imo vero ita hæc præstitit vniuersa, vt nulla adinueniatur quantumlibet abdita Disciplina, quã sibi addictis, vel non excoluerit, vel penitus ipsa non patefecerit. Etenim si præcipuas Artes, ex quibus cæteræ vel deriuantur, vel dignoscuntur, ita enim libet nunc appellare Disciplinas, ocyssime percurramus, haud vlla prorsus remanebit, quæ nostræ Logicæ munificentiam non experiatur. Quis enim Rhetoricam, quæ sine huius argumentationibus Choragium esset fragile verborum nobis tribuit nisi Logica? At quam rem bone Deus! talem ac tantam vt sola glorietur sua oratione nostros animos, quanquam liberos, quocunque ipsi libuerit, libentissime irretitos attrahere. Quid dicam de Poetica? nonne ipsa facultatem nostram, veluti parentem agnoscit? Illa inquam Poetica, cuius positiones armonia quadam Cælorum persimili ad mensuram mellitæ, etiam res inanimas, vt prisca fert ætas, ad se rapere non verentur. Age vero perpende diligenter Sapientiam quæ humanas concinnans actiones ad honestatem, bonumq. ciuile nos traducit, nihil in ea plane reperies, siue finem intuearis, tantopere apud omnes controuersum, siue media ad ipsum apiscendum necessaria, quod huius nostræ opera non se nobis inuentum dediderit. Sed rapit

Rhetorica. *Poesis.* *Moralis Philosophia.*

pit ad ſe ſe Inſpectrix illa cognitio, quæ bonis proprijs affluens, nihil præterea cognoſcit, nihil plane deſiderat; quæ, ſiue corpora commenſuranda proſpiciat, ſiue numeranda conſideret, ſiue cætera ex his deriuantia ſane quamplurima perpendat, nulla ei remanet quantumuis minima portio, quæ cum definitiones, tum enata vniuerſa Logicæ facultati non referat accepta. Quid dicemus de ea, quæ in Naturæ Viridario accerrime contemplando conſtituta, ſimplicia rerum Exordia, cauſas, & ex his conflata, ſuis cum adminiſtris, nec non poteſtates ita ſuauiter inquirit, vt nihil ad eius felicitatem deeſſe videatur, nonne hæc etiam Logicam deſiderat tanquam tutiſſimum ſpeculatorem? Cogitate nunc quid nam ſit de illa pronunciandum, quæ dum rerum Vniuerſitatem, idque omne quod ſuis cum viribus exiſtit, odoratur, ſic paulatim Logica facultate ſe ſe attollit, vt tandem cæleri, atque arduo volatu tranſcendens, tandiu per Cæli plagas peregrinetur, quouſque ad Naturam beatiſſimam delata, cum omnium ſimpliciſſimo actu ſe coniungit. Quæ cum ita ſint mirari minime debemus, ſi veteres Eccleſiæ Proceres quandoque ſe iactant, licet Sanctiſſimi, ſuis in Monumentis, tantæ Diſciplinæ operam impendiſſe. Nimirum intelligebant quantum huic ſit tribuendum ad Chriſtiani nominis hoſtes, dum ore plus quam ſacrilego in nos, ſacraq; omnia ſpurciſſime euomunt, penitus exterminandos. Sed quid opus eſt circuitione, anfractuque verborum exotica quærere, dum proprijs abbundamus? Vos appello Doctiſsimi Viri, quid à principio ad res maximus, atque præclaras vos informauit? informauit Logica. Quid vobis tam variam, multiplicemque rerum cognitionem tribuit? tribuit Logica.

Mathematica.

Naturalis Philoſophia.

Metaphyſica.

Quid

Quid ad tantæ gloriæ culmen, vt vestra omnium fama vbique peruagata ad sese rapiat ex omnibus Terræ oris florem Iuuentutis, Virtutis cupidine incitatæ, vel extulit, vel euexit? extulit, euexit, Logica. O munus perpetuis laudibus celebrandum. Ergo merito alij Disciplinarum aditum, quidam Scientiam nobilissimam, nonnulli Principem rationis, alij alio nomine sapienter appellarunt. Merito Princeps ingenij Aristoteles, omnium philosophantium lapsus ob ignorantiam huius facultatis contigisse, passim testatur. Merito non ita de cæteris, quas adinuenit rebus, sicuti de Logica gloriatur, quique in omnibus semper modestissime se gerit, hac vna re verecundiæ cancellos videtur præteruectus. Sed vereor ne ab his iure deridear, qui me circumstant, prudentissimis Viris, si Logicæ commoda complecti velle existimor orando: quæ ne percenseri quidem possunt enumerando. Quare dicent alij quibus vberius flumen ingenij tributum est, de tanto hoc, & immortali bono, cumque multa fuerint oratione complexi, ne minimam tamen partem attigisse intelligent. Ego vero eximia luce summoque splendore obrutus, Mentis acie potius eius magnitudinem, excellentiamque admirabor. Quæ cum ita sint existimate vos, Iuuenes nobilissimi, quantum ei studij, curæ, operæ impertiendum sit, cuius diuina bona breui gyro ad felicitatem conducunt. Ego quidem, quando eorum imperio, quorum nutui obtemperare gloriosum duco, etiam mihi onus huius explicandæ facultatis est iniunctum, sic me geram, vt quidquid Auditores mei à me in ingenio, doctrinaque requirunt, minime sint diligentia desideraturi. Interim precor à præpotente Deo, qui linguas Infantium facit loquentes, & disertas, vt mihi eam Men-

tem

tem dedat, illud ingenij acumen, vt eá quæ dicam in dies, præstantia ipsius non aliena, Auditoribus meis vtilia, digna nobilissimæ Academiæ, Dominis iucunda, denique mihi ipsi honorifica existant.

GRE-

GREGORII FANTII PHILOSOPHI PRAEPARATIO.

AD POSTERIORA ANALYTICA ARISTOTELIS.

PRAELECTIO PRIMA.

LOGICAE, ET DIALECTICAE nomenclaturam continens.

EST in more poſitum, nec ſolum a Neotericis, ſed a priſcis Philoſophis retentum, vt ad rei conſpectum non admittantur, quam præſertim intendunt, eam cominus cernentes, niſi præ foribus conſiſtendo, & in externa Aedificij ſpecie, vel certe in limine cunctando, nonnulla perſcrutentur, quæ in gratiam reponunt, atque adeo peragunt, vt fidenter adeatur. Idem eſt in præſentia tentandum. Nam cum tanta ſit Librorum dignitas, quos præ manibus habemus, is reconditus ſenſus, quem cdoramur, vt illuſtres viros tenuerint, & in Sapientiæ aula expertos, nec ad honeſtatem decens, nec erit ad

vſum diſpoſitum, niſi nobis tradantur,quibus his ſatisfiat. Quanquam minus geremus quaſi ſint omnia noſcenda, quæ poſſent circa id eſſe, & grande negocium poſtulant; cum præſertim alij ceperint, ac nauiter abſoluerint, & nos alibi conemur, ſed tantum delibabitur, quod præſens munus contendit. Eo vero libentius agimus, quia dum his Iuuenes ſueſcunt, a rebus in materia concretis, ad illas ſe reuocant, quæ materiæ ſunt expertes,quod Plato valde iubebat. Accedit quod tum Ingenio pollentes, tum pariter infirmi ad difficilia animantur. Et quidem primi,quia ſi hęc probe percipiant, quæ perardua exiſtunt, nihil deinceps erit vel adeo obſcurum, vel maxime reconditum, ad quod ipſi non aſpirent. At alteri, quando, vt hic dicenda haud plene dignoſcant, tamen ſatis habebunt animum dedolaſſe, & quod aciem nunc fugit, repetitis ictibus caſurum. Sed iam ingrediamur.

Vnde nam Dialectica vox ab Alexandro deducatur.

Alexander primo Topicorum initio teſtatur Dialecticam a, διαλέγεσθαι, dictam eſſe, nec aliud ſignare, præter ipſum diſſerere. Qua etiam notione Philoſophus eſt vſus Quarto Metaphyſ. textu 10. ob quā rem Cicero diuerſis locis vel diſſerendi Artem, vel diſputandi Scientiam, vel diſputatricem vocat. Quamquam aliter Plato, cui plures adhæſerunt. Verum id nomen non vnica ſignificatio, ſed plures occuparunt.

Quid apud Stoicos, & Platonem Dialectica nomen innuat.

Nam Stoici inſignem Philoſophiæ partem hoc modo appellabant, & dum illud extollunt, eo ſunt deducti, vt ſolos putent Dialecticos Sapientes. At Plato modo diuidendi ac definiendi viam, quam vallum Philoſophiæ dicit, modo Logicam adiunctam rebus, nempe vniuerſam Cognitionem, modo cum Stoicis concordans, Artem a rebus abiunctam, ideſt Metaphyſicam indicat. Nos miſsis cæteris,cum in Phyloſopho verſemur, filum pro viribus exponentes, ſatis erit cenſendum, ſi eius ſenſum libemus, vel ſaltem veſtigemus Mentem.

Opinio quorundam.

Aliqui affirmant, nihil aliud per Dialecticam, niſi Topicam notare, nimirum Logicæ partem, quæ octo Libris conſiſtit,& viam diſputandi ſternit, ac vtrinque argumenta miniſtrat. Neque ſane rationes deſunt, quibus ipſum adnitatur. Etenim Primo Rhetor. Cap. 1. Docet Rhetoricam & Dialecticam circa æque contraria, ac communia verſari, nempe vtramque quæſtionis partem,ex communibus ſcrutando; at id haud toti Logicæ competit, ſed Oſtenſionem continet, quæ Intellectum ſic agit, vt ad vnum aſtringat. Præterea primo Topicor. ſæpius, & 3. Metaph. textu Secundo, nec non in noſtris Libris dum Syllogiſmum diuidit, Dialecticum

ab

ab Oftenfiuo diftinguit, quod hic per neceffaria, at alter per probabilia tendat, nec fane quouis modo accepta, fed,vt primo Top. Cap. 2. tanquam proprie competant; quod Primo Rhetor. explicans, probat folum habere Principia communia. Demum Primo Periherm. Cap. 2. & Primo Elench. Cap. 10. atque adeo alibi inquit, aliter Dialecticum, aliter Demonftrantem interrogare; Nam vltimus tantum vnam partem, & quidem neceffariam, vt oftendat; at Primus vtramque proponit, nauiter optionem dedens, vt probabiliter differat. Hinc Alexander Dialecticam finiens ait, viam, & rationem effe de omni re propofita, probabiliter differendi. Verum hanc opinionem, vt non penitus damnandam, fic nec prorfus approbandam cenfemus. Nam vt verum appareat, Dialecticæ nomen, folum partem notare, quæ Octo Libris confiftit, & Topica vocatur; vt id plerunque contingat, quod allata abfoluunt, tamen nunquam euincent, totam Logicam fignari, vel certe Analytica. Licet hoc ex pluribus cernere, fed præfertim duobus, quæ probe rem conficiunt. Et quidem Primo Rhetor. Cap. 1. tradit de quouis Syllogifmo, vel totam Dialecticam, vel eius partem agere; Huius rei rationem affert, quando ad idem fpectat verum, ac verifimile contemplari; at hæc non folis Topicis, & quæ Octo Libris habentur, fed vna Analyticis, atque Elenchis competunt. Præterea Primo Metaph. textu 8. antiquos increpans de primi Principij conftitutione, ob Dialecticæ ignorantiam, haud videtur aliud, præter totam Logicam fumere, vel faltem Analytica, quod Alexander indicat, & ex Quarto Metaphyficæ, textu 8. legitur, per quem putamus hunc textum declarari. Hoc autem apparet, quia fi tantum eam partem, quam Octo Libri includunt, male Platonem exciperet, & cæteros damnaret, qui ante ipfum fuerunt, cum itidem Plato a Topicis abfuerit, nec huius Artem tenuerit, fed Primus inuentor Philofophus extitit, vt ex Secundi Elenchorum fine, vbi fere gloriatur; nec obfcure fignificat 13. Metaph. Summa Secunda Cap. 1. Neque vero mirum debet effe, ac velut ab hoc viro alienum, nam etiam alibi partis nomine, totam Scientiam appellauit, quæ tum illam partem, tum alias contineat. Sic ex varijs elucet, fed maxime Quarto Metaph. textu 7. quo loco cum Metaphyficæ proprium Sapientia fit nomen, vt Sexto Ethicor. Cap. 7. & Primo Metaph. Cap. 2. itidem Phyficæ indit; & quod magis exiftit, pariter omni Arti, ac Scientiæ, quæ plene poffideatur. Atque hæc de Dialecticæ

Dialectica definitio. Non probatur.

ꝺicæ nomenclatione ſatis ſit indicaſſe. Adhuc eſt attingendum, quid per Logicam deſignet, & erit præſens labor expletus. Et quidem ſatis eſt vulgatum, ſi Etymologiam, ac vim vocis inſpectemus a, λόγος, denominatam; Sic Alexander Priorum initio,cui omnes ſubſcribunt. Quamquam id plures notiones ſubit, & cum internum ſermonem,tum quoque externum ſignificat; licet nos obſeruare ex Quantit. Categoria, dum ait λόγον, in tali prædicamento eſſe, minus tamen omnem, ſed illum qui in voce conſiſtit, quo loco Ammonius, & Porphirius admonent, ob internum, λόγον, teſtari. At cum vterque ſermo varius, & multiplex exiſtat, ſimul varia erit ac multiplex dictionis acceptio.

Vnde nam Logicę vox deducatur

Et quidem miſſis pluribus tanquam nobis alienis, & paſſim apud interpretes, Plato in Theæteto, tria ſignificat. Primo orationem ſiue mentis Idolum voce expreſſum; poſtea rationem, ſiue diſcurſum; demum finitionem: Quod etiam Philoſophus præſtat, ſed pręſertim,vt Dexippus aduertit,duo vltima deſignans. Quę cum ita ſe habeant, minus eſt cenſendum ſic Logicam dici a, λογὸς, qua internam Orationem indicat, quæ mentalis vocatur,& eadem exſtat ratio, vt plane externam temnat, ſed cum etiam hæc Logicæ conferat, ſimul denominabitur, vt in voce ſignificat. Ac licet ratio nobilior, licet magis eſſentialis ſit interna, tamen cum circa illa verſetur, quæ non ſolum ratione, ſed Oratione conſtant,quod ex Philoſopho patet, dum vtramque inter finiendum ſumat, certe minus occurrit, quo pacto ſit negandum, aliquem locum tenere. Dicimus vero aliquem locum, quia ſi tantùm ab Oratione, iam a Grammatica, & Rhetorica, & Poeſi non differet, ſed quibunt idem nomen habere, & Logicæ appellari, quod fortaſſe vſurparunt aientes Logicam eſſe omnibus facultatibus communem; At hæc haud primo ſermonem, & externam Orationem, nec per ſe contemplatur, ſed magis ſecundario, & quodammodo ex accidenti, ſcilicet qua hæc ſignum, ac interpres eſt interni,nempe Mentis operationum; ad quas forte reſpiciens D.Thomas Primo Periher. Et Scotus quæſt.1. in Prædic. rationalem vocabant. His tali modo prænotis aſſerimus Philoſophum huic Arti, quam Logicam dicimus, nunquam id nomen dediſſe; ſed ſi interdum cadit, vt illam vſurpet, tunc diuerſis characteribus præſtat, ſingulas partes deſignans. Hinc eam, quæ eſt de Syllogiſmo in communi, & Demonſtratione ſub Analyticis;quæ de probabili Syllogiſmo,ſub Topicis; at quæ de Sophiſtico, ſub Elenchis compre-

hendit.

hendit. Cum autem vſurpat, & logicas rationes, vel logice agere inquit, tunc prorſus nihil aliud, præter probabiles, & communes intelligit. Sic paſſim Interpretes, & ſæpius renidet, ſed maxime Primo Poſter. a textu 152. quo loco, vt probe Auerroes, logicas rationes opponit demonſtratiuis; Et Secundo de Generat. Animal. Cap. 6. Neque Sane hinc ſuccedit quin Logicam vocemus, nec in Præceptorem erramus, dum hoc pacto exprimimus, ſed cum longæuus vſus, ac omnes Peripatetici iam hanc vocem receperint, & Philoſophus doceat Secundo Topic. Cap. 2. nominibus vtendum, vti plures vtuntur, tute licet incedere, vndique Sapientibus innixos.

PRAELECTIO II.

LOGICAE SVBIECTVM conſtituens.

HVIVS vocis acceptiones, vt plures inueniuntur, ſic paſſim apud omnes occurrunt, qui de illis tractatum inſtituunt. Nos miſſis pluribus, quæ longum eſſet notare, nec forte ad rem conferrent, cum non hic de induſtria, ſed tantum peragatur, qua præſens munus expoſcit, ſolum illas tangemus, quæ magis videntur fauere. Ergo eſt obſeruandum in quauis Scientia triplex ſubiectum adeſſe; primum illud cenſetur, quod adæquatum, ſiue totale appellant, nec aliud apparet niſi illud, quod ſic vna Scientia conſiderat, vt nihil ea contempletur, quod ad ipſum non ſpectet; alterum vero principale, & præcipua exiſtit huius ſubiecti ſpecies. Vltimum partiale, & quandam ſpeciem innuimus eiuſdem totalis Subiecti, ſed minus principalem. Nos in præſentia haud de omnibus, ſed de primo intelligimus, velut eo de quo valde Interpretes diffident, & adhuc eſt agendum. Quæ cum ita ſe habeant, ſic operatrix Scientia ad contemplantem ſe vertit, vt eius ſubiectum ſit ex hac declarandum, nempe ex proportione quam ad illud contemplantis ſeruat. Ac velut prima, Scientia vocatur ex proportione ad vltimam, ſic eiuſdem ſubiectum ex proportione ad hanc noteſcet, Id autem exiſtit in Contemplante, ad quod omnia, de quibus in ipſa vel

In quacunque Scientia triplex ſubiectum reperitur.

vel tanquam Principia, vel tanquam partes, vel tanquam affectiones ſpectant. Nam cum Scientia ſit cognitio ſubiecti,& maxime explanet, quæ aliquo ex his conſtant, certe omnia ad illud quodam ex his modis reducuntur. Tali pacto Phyſica corpus naturale conſiderans, Principia eius veſtigat, nimirum Materiam & formam, affectiones demonſtrat,& ſpecies dignoſcit. Eo vero dicitur Subiectum,quia affectionibus ſubijcitur,quæ de ipſo oſtendantur. Eo ſubiectum attributionis,tum quia illi omnia vel quaſi Principia &c. tribuimus, tum vt a ſubiecto inhæſionis, id eſt illo, cui aliquid inhæret, ſiue in quo, diſtinguatur. Eo autem Genus quia ſpecies includit. Ex eo vero compoſitum, qua ex principijs conſtat. At ex eo obiectum, quia proportionem ſeruat, cum facultatum Animæ obiecto. Ac velut potentiæ vocamus obiectum, quod illi iudicandum obijcitur, ſic etiam nihil prohibet, quin Scientiæ vocemus, quod ei obijcitur noſcendum. Ideo autem Materia,quia vt Agens circa hanc verſatur,ſic Scientia circa illud ſe occupat. Inde vero Scopus, quia in ipſum reſpicit. At cum nihil Scientia tractet, quod ad illud non pertineat, eius ordinem attendens; vel prorſus nihil aliud, quam ipſum Subiectum quoad ſui Principia, & affectiones, ob quam rem huius Habitus eſt Sapientia, iure finem appellamus. Quanquam decet attendere cuiuſque Scientiæ inſpectricis Subiectum, de quo adhuc eloquimur ex duplici ratione eſſe; & quidem vnam materialem,& rem conſideratam, alteram vero formalem, & modum conſiderandi vocant, qui ipſam rem determinat. Primum credunt in Phyſica Corpus naturale; at poſtremum illud, ſub quo id conſideratur, etenim minus vti Ens, quod ad Metaphyſicum ſpectat, ſed aliter attendit, quod ſolum eſt Naturalis. Hinc Secundo Phyſicorum dicebat a textu 16. circa idem Phyſicum, & Mathematicum,ſed diuerſa ratione verſari, & noſtris libris docebit vnam Scientiam eſſe, quæ vnius eſt generis ſubiecti. Et hæc omnia licet notare in operatrice ſcientia, cui hæc ex proportione adſunt. Ac vt res diſtincte fiat, primo exponetur Logicæ res conſiderata: deinde conſiderandi modus, ex quo etiam patebit de Subiecto adæquato, velut illo, quod ex his quaſi ex forma, & materia conſiſtit. Quod attinet ad primum, nihil aliud cenſemus præter res ipſas, ſeu primas intentiones ſecundis addictas. Sed cum talis facultatis maior pars vel ſit Ars, vel Arti quam ſimillima, ac proinde eius ſubiectum cum ijs aliarum Artium congruat, valde erit diſpoſitum ſi

Subiectũ, Genus, Cõpoſitum, Obiectum, &c. idem re exiſtũt, & ſolum ratione diſtant.

Sciẽtia circa nullum aliud præter Subiectum verſatur.

Logica res conſiderata.

ex Analogia pandatur, quam ad illas conseruat. Nam id est Artis materia, cui immediate, & per se operationes aptantur, & in quod finem inducit, at Logica hoc præstat in rebus omnibus. Maiorem positionem concedunt, & Inductione patet. Diximus autem, per se, quia cum in artibus adsint quæ tantum in ordine ad materiam, & qua illam iuuant, considerent, minus id nomen merentur. Sic Musicus practicus papirum, atramentum, & alia pertractat, quæ nec finem vere suscipiunt, & si aliter posset dari, etiam sine ijs constaret. Minorem confirmat, si Logicæ finem attendimus, qui in eo consistit, vt formam rectæ apprehensionis, enunciationis, & discursus inducat, quæ omnia finguntur ex rebus modo ante indicato. Præterea id quod Logica intendit, debet ad Scientiam conferre, cuius gratia se habet, sed nihil aliud videtur nisi eorum constitutio, quibus Scientiam consequimur, quæ primis notionibus constant. Atque hinc Philosophus cum de hoc pertractat, semper res omnes assignat. Licet id persæpe, sed maxime Vndecimo Metaphys. Summa 2. Cap. 1. videre, & Primo Rhetor. Cap. 2. nec non Quarto Metaph. textu 5. atque adeo nostris Libris; quibus locis ipsam materiam, & rem consideratam denotat, quod ex eo apparet, quando discrimen exponit quod Dialectica, & Sophistica cum Metaphysica seruant; at si aliam haberent, etiam aliter seiungeret. Sed cum possit hoc dupliciter sumi; & quidem vno pacto vt secundi conceptus ordinem; altero vero qua formam insinuant, & modum considerandi, cum asseritur Logicæ materiam esse primas notiones secundis adnexas, minus vltimum, sed primum intelligimus. Nam quod pertinet ad considerandi modum nobis ille videtur, vt ex illis fiunt rationes, quæ in notitiam ducant. Ex quo subiectum adæquatum splendet, nempe ratio sciendi.

Logicæ modus considerandi.

Logicæ subiectum totale.

PRAELECTIO III.

QVASDAM LOGICAE diuiſiones attingens.

LOGICA primo recte in Naturalem, & Artificioſam tanquam in duos ſtatus diuiditur. Sic Philoſophus Primo Rhetoricæ Cap. 1. & Primo Elench. Cap. 11. innuit. Prima nihil eſt aliud, niſi quædam aptitudo, qua Natura duce abſque experimento, vel Doctore, Logicæ munera exequimur; Syllogiſmũ, Finitionem, &c. concinnando, quibus notitia contingat. At altera illa, quæ Naturali ſuppoſita ad præcepta reuocauit, vniuerſalem Facultatem condens, nec aliud, videtur præter naturalem, ac rudem ad Artem excultam, & elaboratam. Nam cum homines cognitioni dediti, Mentis acie notarent, qua ad illam peruenitur, nec eadem via omnia, ſed diuerſis obtineri, & alio pacto Subſtantiam, alio accidentia patere, eo rationes attenderunt certis nominibus ſignantes, quo ſecure vterentur, ſemper eundem ritum ſeruando. Quæ omnia ſimul ſumpta cum ad vnum colliment, vel ſaltem ad idem ſpectent, Logica nominantur. Ex quo refulget hanc Diſciplinam, vt præclare Albertus Tractatu Primo Cap. 2. in Naturam deſinere, velut etiam aliæ, quæ hominis viribus accedunt, & ſolis Principijs adhærent ſenſus munere adeptis. Præterea in Docentem, & Vtentem diuiditur, vel vt Græci aiunt, a rebus abiunctam, & ipſis rebus immerſam. Et hæc diuiſio cum a Priſcis Interpretibus, tum quoque ab alijs recipitur, & ſi Ammonio ac Philopono credimus, primus Plato adinuenit; & Auerroes exiſtimat Philoſophum indicaſſe Primo Ethic. Cap. 3. Secundo Metaph. textu 15. & Primo de Partib. Animal. Cap. 1. At quamuis omnes in hoc concordent, tamen haud omnes pariter explicant. Etenim quidam per Docentem innuunt, quæ modum enunciandi, oſtendendi, definiendi, & cæterorum tradit, quæ in notitiam ducant, nulli certæ materiæ addictum, & Scientiam teſtantur; at per Vtentem, eam, quæ vtrinque probabiliter diſputat, nec a Topicis diſtinguunt, quæ Dialectica docens

Logica naturalis quid.

Logica artificioſa quid.

cens dicuntur. Alij vero per primam idem indicant, sed illud addunt, vt ex duplici parte constet, nimirum Docente, & Operante. Sic videtur Logica esse, quam Philosophus reliquit, & ad omnes Disciplinas penetrat; at per vltimam eandem cum ad opus reuocatur, & contingit si dogmata a prima præscripta, vel quædam ab hac conflata, ipsis rebus nectamus. Hinc Auerroes monebat, dupliciter iuuare, ac scientijs prodesse; & quidem vno modo quędam assumentes, quæ in illa patefacta, rite viam commonstrant, qua secure ambulemus; at altero adhibentes instrumenta ab ipsa efformata; primam Scientiam negant, postremam affirmant esse. Alij aliter putant. Nos missis omnibus, quæ solent ad id afferri, & longum esset expendere, ac ab instituto deflecterent, illud paucis trademus, quod credimus conuenire, & ex Philosopho stare. Vt autem satis pateat est attendendum, sic posse de Logica agere, vt omnia designet, quæ ad eam pertineant, & vniuersam comprehendat; vel certe tantum aliqua, & partem insinuet; in præsentia haud prima, cum forte de illa constet a vere Scientia abesse, sed vltima vsurpatur, nimirum ea pars, quæ ostensiua existit. Et hoc pacto Scientiam censemus, & siue rebus auulsam, siue eis coniunctam. Primum aliqui firmant ex Philosopho, qui hoc sæpius testatur, sic Primo Prior. initio, & Primo Posterior. textu 9. & Secundo eiusdem textu 100. quibus locis de hoc tractat, vt demonstratiuam Scientiam vocet; at nos credimus deprehendi, quia Syllogismum seruat, atque adeo alia, quæ ex prorsus necessarijs, & prioribus consistunt, nec sane quauis ratione, sed interne requirunt. Immo cum hæc prædicata, & conditiones se gerant, vt in certum gradum ponant, atque illa denominēt, quod Philosophus testatur Primo Poster. textu 58. & 60. nec non Primo Rhetoricę Cap. 2. & physica Ostensio vel finitio vocentur, quia ex medio physico, & per physica incedant, licet tute proferre, primum locum vendicare. Neque sane est timendum de contemplantibus Habitibus, quasi sic augeantur, sed cum nullum modum seruet, ac distincta forma absit, quam distinctæ notitiæ volunt, minus adeo pollebit, vt valeat id præstare. Ac velut Philosophus Quarto Metaphys. textu 5. vbi recte Alexander, de Dialectica & Sophistica tradebat, illas non ex certa forma inter se, ac etiam a Sapientia, sed ex Disciplinæ conditione, & Facultatis modo distinguens, sic videtur in pręsenti dicendum. At dum ad determinata descendit, & ijs se admiscet quæ statam rationem habent, tunc horum

Logica docens quid.

Logica in vsu posita quid.

Quo pacto Logica Sciētię nomen, quoque non tueatur.

Logica cur Scientiarum numerum non augeat.

aleam ſubit, & illis determinatur; haud quidem propriam naturam linquens, quod aliqui affirmant, ſed verius perficiens, quod neceſſarijs conuenit. Quamquam non intelligimus, quaſi ea quæ diximus ad omnem Oſtenſionem, atque adeo alia, & in vniuerſum ſpectent, ſed cum rebus contingentibus, & in Artibus Syllogiſmus, vt Philoſophus docebat Sexto Ethic. Cap. 3. & 2. Metaphyſicæ textu 3. nec non Septimo eiuſdem, 53. vbi etiam Alexander, minus proprie ſit talis, & id nomen tueatur, ſolum qua veram Oſtenſionem, ac perpetuam adumbrat, nec Philoſophus comprehendat dum inferius definit, nos tantum vſurpabimus quę ſimpliciter neceſſarijs & perennibus conſiſtunt; quo pacto ſic contemplantes Habitus, vt ſoli continebunt. Demum in Vniuerſalem, & Particularem diuiditur. Primam illam cenſemus, quæ nullam certam materiam, ſed tantum communem habet, ob quam rem per omnia excurrit, & Philoſophus in libris Periherm. & Priorum expreſſit; tanquam ijs, qui in vniuerſum conſiderant, nec a Logica docente differt; at poſtremam, eam quæ ſtatæ materiæ dedita nequit libere vagari, & in Poſterioribus, Topicis, atque Elenchis clauditur, velut eis, quæ peculiariter rimantur.

Logica vniuerſalis quid.

Logica particularis quid.

PRAELECTIO IV.

NVNQVID LOGICA ſit neceſſaria ad alias Scientias quærens.

CVM antea dixerimus ſic Logicam habere, vt pro cæteris Scientijs ſit inuenta; nimirum vt illas comparemus, adhuc supereſt videndum, quo nam pacto id conſiſtat. Nam quidam adeo extollunt, quaſi nil poſsit abſque ea addiſci, ſed plane ſit neceſſaria. Contra vero Alij, tantum abeſt, vt hoc velint, vt prorſus eam deprimant, aſſerentes perniciosam eſſe. Nos haud de particulari, & Naturali, de qua nihil eſt timendum, ſed de Vniuerſali, & Artificioſa agemus, per quam altera ſplendeſcet. Poteſt hæc opinio muniri, quia cum Logicam, vt ex Secundi Elenchorum fine, vbi ſimul Alexander, primus Philoſophus inuenerit, illud ſuccederet, vt ante ip

Opinio quorundam.

te ip

te ipſum nemo Diſciplinis inſtructus, ſed omnes rudes fuiſſent: at quam hoc ſit abſurdum, quamue omnibus damnandum, valde Plato, & Democritus teſtantur, atque adeo ij, qui probe Phyſicis incubuerunt; & in Metaphyſicæ initio adeſt, Mathematica, prima omnium Scientiarum in Aegypto inuenta; ex quorum facilitate pueri ante alias diſcebant. Atque hinc illud Platonis pro foribus Academiæ, Nullus huc expers intret Geometriæ; Quam ob cauſam in Analyticis plura ex Geometria exempla. Præterea aliquis Doctori fidem adhibens, abſque eo vt Logicam addiſcat, Scientias tenebit. Demum ſi eſſet neceſſaria, vel id propter ingenioſos, vel propter tardos fieret; non primum quando melius ſe gerent, ſi Natura Duce pergant, quam ſi eius præceptis ſe miſceant, velut illis, quæ ob magnam difficultatem plurimos exturbarunt; nec etiam poſtremum, quia hi, tantum abeſt, vt ſoluantur, vt potius implicentur. Sed talis opinio tantos aduerſarios habet, vt parum contraria commoueant. Et quidem ad Primum, cum aiunt, ante Philoſophum vixiſſe, qui valde Scientijs pollebant, hoc autem non eſſet, ſi Logica eſſet neceſſaria; reſpondetur haud ſic vſurpandum, quaſi Logica caruerint, ſed ex Laertio, Zeno huius præcepta calluit, & Archytas teſte Boeto, & Simplicio Prædicamenta reperit, & Plato plurima, quod Ammonius obſeruat, ſed maxime de diuiſione, vt Beſſarion teſtatur lib. 1. contra Calumniat. Cap. 6. huc ſpectantia reliquit, immo ſi Philoſopho credimus, ſimul de oſtendendi Arte dixit; At Socrates in finiendo pollebat; alij in alijs partibus, quod Euſebius admonuit; Philoſophus vero haud prorſus Logicæ Inuentor, ſed tantum partis extitit, nimirum Dialecticæ, ac Sophiſticæ, in quo nihil ait ab Antiquis adiutum, vt Secundo Elenchor. Cap. vltimo, cætera autem, vt Philoponus ex Themiſtio, ſolum perfecit, & in ordinem redegit. Libet etiam addere, nihil impedire, quin illum totius Logicæ Auctorem, & repertorem dicamus; Nam cum alij ſic forte rem geſſerint, vt ſimul cum Scientijs dederint, quod Philoſophus damnabat 2. Metaph. textu 15. ipſe vero a rebus abiunxerit, & quaſi efformarit, ad vnam Artem redigens omnia dogmata complectentem, per quæ tute incedamus, rite id nomen adſciſcit. Cum autem volunt qui Doctori fidem præbet, etiam abſque Logica, notitiam tenere, dicimus minus proprie, nec euidenter ſcire, ſed breui deturbari, ac velut e poſſeſſione deijci, quod Scientiæ repugnat, quam noſtris Libris definit. Neque ſane illud vrget, quia ſi

Damnatur.

Quonam modo liceat Ariſtotelis Logicæ inuentionem aſcribere.

esset necessaria, vel ob ingenio, celeres vel ob tardos fieret; nam credimus vtrisque necessariam, & quidem vt primi magis acuantur, at alij, vt excitentur, ambo vero, vt secure discurrant, quod minus eueniret, sed facile impingerent. Neque sane est timendum vt tardos Præceptorum series, & quasi multitudo obruat; nam tantum abest, vt perstringant, vt magis mentem illustrent; cum vna cognitio ad aliam, viam sternat, ac vsu foueatur. Quare alij volunt sic Logicam requiri, vt nequeant Scientiæ dari, sed nobis necessariam esse. Hæc sententia, si recte accipitur; satis cum vero cohæret. Ac vt omnia splendescant, est obseruandum, nos posse dupliciter attendere, & quidem vno modo ex parte omnis cognitionis, etiam peculiaris, vel discursu comparatæ; alio vero in ordine ad totam Scientiam, quæ ex pluribus partibus constat; licet minus sit censendum primo pacto semper optari, sed valet interdum esse, vt talia præcepta renuat, tamen vltimo testamur. Illud quoad primam partem firmat, si quædam principia notamus, & aliquos progressus, tanquam ea, quæ adeo sunt clara ex terminorum nexu, & positionum dispositione, vt solum Naturam Ducem, & eius splendorem poscant, absque eo vt aliqua Ars, vel præcepta intercedant, sed vbi sunt apprehensa, actutum assentimur; sic etiam plures Inductiones, quod Philosophus monebat Primo Topicor. Cap. 10. potest ratio putari, quia vt ex secundo Metaphysices textu 4. in quouis genere datur aliquid, quod per se tale existat, at aliquid ex participatione; sic in genere cognitionis, quædam erunt positiones tam de se euidentes, vt nihil sit vacillandum, & aliqui discursus, quorum positiones ex terminorum nexu adeo sint conspicuæ, vt statim sit acclamandum conclusionis illationi. Ex quo de in alia promant certitudinem, nempe horum participatione, vel sane dependentia. Diximus autem, ex terminorum nexu, quando nisi hi ob materiæ claritatem cernantur euidenter iuncti, nec conclusio erumpet, quæ euidentiam gerat. Quod attinet ad aliam partem missis pluribus, quæ solent afferri, valde illud suadet, quando, vt distinctius suo loco, scientia est talis cognitio, quæ prorsus formidinem renuat, & certitudinem optet omni timore exemptem; at cum id requirat, vt probe dignoscamus quæ enunciantur esse vera, postea Syllogismi modum ne de positionum veritate, vel illatione vereamur, nisi Logica accedat, hoc nequit succedere. Neque sane quis opponat, quasi vtrumque præstetur solo lumine Naturæ; nam vt recte Albertus, cum

Verior sententia.

cum nostri vis Intellectus eo maxime consistat, vt ex notis ad ignota veniamus, nec sit adeo perfecta, quin plerunque aberret, vel falsas positiones sumens, vel ex veris perperam deducens; quamuis bene discurramus, tamen sæpius contingit, vt minus certi simus, sed de his vacillemus; quare est necessarium quandam viam dari, per quam tute incedatur. Præterea magis est difficilis ratio de Mentis operationibus dirigendis, quam aliarum Artium in recte operando circa sua obiecta, sed hoc nequit præstari nisi Ars intercedat, ergo nec etiam illud. Et, hæc omnia non solum de omnibus Disciplinis in communi, siue speculatiuæ, siue practicæ ponantur, sed etiam de singulis probant: & cum de inueniendis, tum de inuentis discendis. Quanquam non intelligimus quasi illa, quæ diximus possint quouis pacto accipi, sed in ordine ad plenam cognitionem. Nam si Scientiæ sint tenendæ, vt ruditer se habeant, nec prorsus Mentem adæquent, tunc Artis dogmata linquunt, & Naturæ amplectuntur; quod forte Auerroes volebat dum ait in Epith. Logicæ, esse quidem necessaria ad Disciplinas, quæ non adhuc sint inuentæ, vel excultæ, haud tamen ad inuentas & perfectas, sed bene illas iuuare. Ni vero sic exponimus, vix occurrit, quo pacto queat constare, cum propter allatas rationes, tum quia apud singulum eandem vicem retinent, ac si non ante adessent. Hinc Plato Septimo de Republica, in Phædro, & Parmenide monet incumbendum esse Dialecticæ, ne veritas nos lateat; & Philosophus Primo Metaph. textu 8. & Quarto eiusdem 8. atque adeo alibi, inquit, Antiquos ob Logicę ignorantiam in multos errores lapsos, ob quam rem oportere qui ad Scientias pergit, in ea exercuisse.

PRAE-

PRAELECTIO V.

POSTERIORVM ANALYTICORVM Subiectum determinans.

OMNES vna voce teſtantur eſſe inſtrumentum ſciendi, at non omnes pariter exponunt,ſed vti in ſubſtantia, & eius modo diſcordant,ſic ad varia trahuntur .Etenim aliqui duas tantum methodos noſcentes, his totum onus legarunt.Primam,demonſtratiuam nominant, quæ primum locum vſurpat, nec aliud exiſtit præter inſignem Oſtenſionem; alteram vero reſolutiuam, & in duobus conſiſtit, nempe in ab effectu Oſtenſione,atque in Inductione;&vltimo contemplatur. Ac ſane quæ ab effectu pro illis ſuccurrit, quæ plurimum recondita, & latentia morantur, vt nobis innoteſcant; at Inductio,ſolum pro ijs,quibus haud penitus caremus, nec prorſus ſunt incognita,ſed paruam declarationem optant. Neque certę rationes abſunt,per quas valide ſuſtentent. Nam ſi aliquid deeſſet, maxime eſſet definitio, at hanc minus licet cum methodis,& inſtrumentis locare,ſed dum a Logica tractatur, vel id fit in ordine ad Demonſtrationem,& principalem methodum,quaſi eius Principium,vel qua eſt methodorum finis; primo modo primus Poſteriorum,alio vero ſecundus attẽdit.Minor propoſitio in qua difficultas ſubeſt,pluribus ſuadetur. Nos tantũ indicabimus, quæ magis forte impellunt,ex quibus cætera clarent. Et quidem primo Euſtratius,quando hi libri Analytici, & ex ſubiecto inſcribuntur,at finitionis doctrina, nequit eſſe analytica: ob quam rem nec initio proponit, quod tamen gerendum eſſet, tanquam id quod ſecundum ſe pertractat;ſic Philoſophus ſæpe vſurpat, & in Procemio Analyticæ volens de Syllogiſmo & Oſtenſione tradere, ſtatim illa proponit,hoc autem non præſtat de finitione; immo 2. Poſter.textu 100.dum ea epilogat, de quibus in Analyticis dixit, tantum Syllogiſmum,& Demonſtrationem,haud finitionem percenſet. Præterea vt Septimo Phyſic.textu 5.in illis,quæ ab vno tradendis,primum prima explicantur, ideſt magis egregia, at Oſtenſio,cum ſola accidentia,definitio uero ipſum quid,& ſubſtantiam

Opinio quorundam.

tiam

tiam attingat, ante erat explicanda, hoc autem non facit, nec ex eorum sententia, qui contrarium tuentur. Deinde si hic secundum se considerat, & quasi sciendi instrumentum, prius de illo in communi ageret. Licet id ex varijs, sed maxime ex Primo Physicorum legere textu 4. & Tertio eiusdem textu 2. affirmans de proprijs contemplationem ab illa communium præcedi, quod etiam Primo de Partib. Cap 1. repetit, sed nusquam in his libris apparet, sic instrumentum assumi, vt simul ad Ostensionem, ac finitionem spectet. Addimus etiam nos cadere, vt distinctum Habitum inducat; nam cum id, quod finitio euoluit, sit ab eo diuersum, quod euoluit Ostensio, cum illa sit diuersum instrumentum, pariter succedit, vt cognitionem, & Habitum constituat a cæteris distinctum; at Philosophus, tantum quinque assignauit, nihil illum significans, qui finitione accedit, quod tamen esset præstandum, tanquam is, qui vt ad substantiam, sic Scientiæ Habitum præcellet, qui ad accidentia spectat. Rursus si finitio esset instrumentum ad finitum comprehendendum, simul Demonstratio ad finitionem esset; nam vt ex finitionis partibus plene notis, plene finitum cognoscimus, sic nota Demonstratione, plene cognoscimus finitionem; hoc autem est falsum, nec Ostensio ad definitionem vt Methodus se habet, nec ex Ostensione legitur, sed tantum manifestatur. Postea primo libro de Anima textu 4. & 5. perquirit num sit aliqua methodus, quid est inuestigandi ad omnem substantiam penetrans, & simul quasdam nominat, nimirum an sit Ostensio vel diuisio, aut certe aliqua alia; at si id finitioni competit, & proprium est ipsius, inanis esset quæstio, nec opus vacillare, & alias attendere, sed semper hæc se ostentat. Demum Quinto Metaphys. textu 22. de termino agens, præter cæteras notiones ait id esse, quod est cuiusque substantia & quidditas, huius rei rationem promit, quia hæc est cognitionis extremum: quo loco conijcimus, cognitionem desinere in quidditatem, haud quidditatem ad cognitionem dirigi, quod plane succederet, si finitio esset instrumentum pro definito tenendo. Atque hinc refulget cur 2. Prior. Cap. 32. & Primo Topic. Cap. 10. nec non 6. Ethicor. Cap. 3. atque adeo Primo Rhetor. Cap. 2. & etiam primo libro hic, instrumenta proponens, quæ ad notitiam ducant, nunquam finitionis meminit. Quare videtur dicendum, nec Philosophum in præsens tradere de finitione secundum se, nec cum methodis manere: quod simul Alexander innuit 7. Metaphysices Comment. 7.

asse-

asserens finitionem nihil aliud censendam, quam essentiam euolutam. Verum hanc opinionem haud plene solidam reputamus.

Euersio. Et sane licet non necessario inferat, licet non de vna re ad aliam tamen cum notitiæ, ad quas respicit, sint diuersæ, ex vna ad aliam pergens, & finitum rem confuse proponat, at finitio essentialis distincte, nobis nihil se effert, cur sit ab instrumentis pellenda. Idem etiam hortatur secundus liber hic textu 12. Sextus Topic. Cap. 1. & 3. & Primus Physic. textu 5. Idem pariter censemus primum Metaphysicæ textu 31. quo loco affirmat, haud posse Ideas ad subiecti Scientiam facere, quia non sunt de eius essentia: & textu 48. Ac Tertium eiusdem textu 10. Neque sane quis vacillet, quasi du bitanter loquatur, velut toto illo libro; nam, vt per Alexandrum, cum nihil ibidem adsit, quod Philosophi Principijs, vel doctrinæ repugnet, simul debet ex Philosopho stare.

In contrarium adductis occurritur. Quod vero pertinet ad rationes, quibus contrarium struunt, dum aiunt hoc Opus Analyticum, & ex Subiecto inscribi, at quæ de finitione, nequeunt esse Analytica, ob quam rem nec initio proponit; respondemus a fine ordiri, nempe ab ipsa Scientia, eius naturam exponens, ex hac vero ad Ostensionem: Secundum vero librum partim primo hęrere, & quasi coronidem esse, qua circa finitionem versatur, quæ Osten sionis est finis, ob quam rem probe quadrare: partim prout Ostensiones tractat, eodem sumpto Principio. Pręter quam quod, ut suo loco patebit, etiam essentialis finitio, sic re vera se habet, ut ad Ostensionem dirigat. Quare cum omnia, vel saltem maior pars Ostensioni nitantur, iure id nomen debetur. Sic cernimus Alexandrum quædam sua monumenta quæstiones appellare, nimirum ex maiori parte, & hæc forte est ratio, cur nihil in exordio, aut epilogo de finitione, sed magis illam omittat. Cum autem addunt in eis ab vno primum prima declaranda idest magis præclara, nos libenter concedimus, talis vero est Demonstratio; ac quam uis hæc accidens, definitio ipsum quid, & substantiam attingat, tamen ex parte methodi, & qua hic Philosophus rimatur, vti necessario concludit, atque Mentem astringit, quod a finitione abest, sic summum locum vsurpat. Neque sane est necesse, vt semper primo communia, tum propria contemplemur; sed cum naturæ ab vno, vere plura existant, & certum ordinem notent, prorsus nihil impediet, si interdum se habet, vt seorsum tradantur, modo primum attendamus. Nam dum illud occurrit, ex hoc prodire, ut distinctus Habitus emergat, ac velut id quod finitio explanat, est

ab

ab eo diuersum, quod explanat Ostensio, velut illa est diuersa methodus, pariter diuersam notitiam, & Habitum constituet, at Philosophus solum quinque assignabat: credimus satisfieri, si dicatur finitionem Principium esse, minus quidem proprie omnem, sed illam substantiæ, nec veram diuersitatem a finito, sed quasi confusum, & distinctum signare, quod simul in accidentia cadit. Vbi autem opponitur, si ponamus finitionem instrumentum esse ad finitum, statim prodire Demonstrationem ad finitionem esse, ac velut ex finitionis partibus plene notis, plene finitum cognoscimus; sic cognita Demonstratione, plene cognosci finitionem; illo discrimen consistit, quod finitio, vt diximus, diuersas notitias respicit, ex vna ad aliam tendens, at Ostensio, cum non magis aperte quam finitio, sed ambo distincte proponant, iure ab instrumento aberit. Quod si Primo de Anima textu 4. & 5. perquirit, vtrum sit quædam methodus, quid est inuestigandi, ad omnem substantiam spectans, & simul quasdam percenset, nil de finitione addens, tunc ipsum quid est prorsus idem importat, ac definitio, quo casu hæc non concurrit, nec idem semet venatur; at dum pro rei natura & essentia capimus, probe rationem seruat, & instrumentum exercet. Contrarium testamur de illo Quinti Metaphys. textu 22. quo loco rationem edens, cur substantia, & quidditas terminus appelletur, ait ideo fieri, quia hæc est cognitionis extremum, nam id præsertim attendit, quod definitio explanat. Neque mirum esse debet, tanquam inuicem confundat, sed sæpius notamus, & maxime in Metaphysicis, quid est pro finitione, & finitionem pro quid est accipi; quanquam illud confitendum, reuera ipsum quid nihil aliud esse, nisi quod finitione claret, at finitionem id, ex quo claret ipsum quid. Quod si secundo Prior. ac Primo Topicor. &c. instrumenta proponens, quæ ad notitiam ducant, nunquam finitionis meminit; decet obseruare, vel finitiuam notitiam esse; vt sub illa Principiorum constet; nam præter quam quod Ostensionis fit Principium, si haud ex nostra infirmitate, sed ex sua conditione pendimus, inductione accedit; vel methodos indicari, quæ per ratiocinium gerunt. Quare Philoponus, & Eustratius, quibus fere Latini subscribunt, huius Operis subiectum volunt quidem instrumentum sciendi, nempe Ostensionem esse; quia vero difficultas est de secundo libro, credunt de Ostensionis medio, qua est rei causa tradi. Nam vbi declarauit, quid nam sit Demonstratio, ex quibus erigatur, & quo pacto discordet ab alijs Syllogismis, valde

Græcorum & Latinorum sententia.

erat conueniens, vt proferret Ostensionis medium, rei causam esse, cum præsertim antea sic de ipso tractarit, vt illationis causam poneret. Eo vero libentius dicunt, quando initio tradens quatuor quæstiones, addit quamuis medium quærere, ergo videtur te standum, id præsertim intendere, vt medium apprehendat. Quod si aliquis opponit, etiam de finitione agi, nauiter respondent, hoc per accidens præstare, & prout definitio est Demonstrationis medium, velut ex Primo de Anima textu 11. per se autem contemplari Septimo Metaphysicæ. Albertus illo confirmat, quia vt in Prioribus de Syllogismo tradens, primum aperuit, quo modo concinnetur, exin quo modo abundemus pro ratiocinando; sic in Posterioribus tractans de Ostensione, ante erat promendum, quo pacto hæc fabricatur, exin quo pacto abundemus pro demonstrando, quod vltimum consistit in medij inuentione. Et hac via nil fuit omissum, sed suum munus expleuit. Addebat D. Thomas, vt Primo Poster. initio, Ostensiuam Doctrinam ex præcedente fieri notitia, hanc vero nullam esse, præter Ostensionis principium, quod cum duplex existat, complexum, & incomplexum, & de primo in primo libro, certe illud consequitur, vt de altero in secundo agat, id autem est ipsum medium. Sed vt verum fateamur, hic etiam occurrit, quod nostram Mentem fatiget. Decet ex ijs videre, quæ antea notauimus; nam præter quam quod aliquid desunt; quod ad notitiam ducit, vel saltem alteri legant, nimirum Metaphysico, quod ad Logicum pertinet, sic medium in secundo libro, & tanquam causam rei, ac per se considerant, vt nihil de eo in primo, vel solum vt illationis causa, nec in primis attendatur: quasi de Principijs agere, & horum conditiones rimari non sit agere de medio, haud sane vt causa inferendi, quod ad libros Priores, sed vt ipsius esse, quod ad posteriores spectat. Quæ autem in contrarium afferunt, partim ex dictis soluuntur, partim ex alibi dicendis. Et quidem cum Albertus loquitur velut pariter sit procedendum in Ostensione, & in Syllogismo, nos prorsus denegamus; ac licet post Syllogismum formatum de medij inuentione, & abundantia tradiderit, tamen illo discordant, quod Syllogismi constructio, a medij inuentione abest, ob quam rem erat præstandum; at constructio Demonstrationis sic habet adiunctum medium, vt eius materiam exponens, vna de medio tradat, & rei causam aperiat. Et ex hoc deprehenditur quid sit ad D. Thomam respondendum, etenim complexum atque incomplexum Princi-

Deseritur.

Rationes aduersæ tolluntur.

pium

pium adeo cohærent,& vnum ex altero constat, vt dum primum declaratur,simul alterum se exerat,quod in primo consistit. Quæ cum ita se habeant, censemus huius Operis subiectum esse rationem sciendi,minus certe quouis modo,sed determinatæ materiæ, & necessariæ addictam; qua via non solum Ostensionem, sed etiam finitionem,& reliquas methodos seruabit, per quas in notitiam venimus. Quonam vero pacto de finitione,nec non de medio tradat in secundo libro,ne sæpius idem agatur,partim ex eiusdem initio, partim ex ijs splendescet, quæ a textu 69. feremus. Ergo cum quatuor sint quæstiones, Quod, Propter quid, An sit, & Quid sit, tres primas Demonstratio, vltimam Definitio absoluet.

Propria sententia.

PRAELECTIO VI.

INSCRIPTIONIS RATIONEM, & quædam alia significans.

AT etiam attingamus, quod posset ex nobis requiri, cum præsertim Peripatetici non solum Doctrina,sed vetustate seruandi ad id nos alliciant. Primum autem se offert Scopus, siue ipsa Intentio, & in eo consistit,vt tum præcepta proponat, quibus methodi conflentur, per quas ad Scientiam venimus, tum quoque methodos conflet. Addimus vero methodos conflare,quando hæc facultas,vt alias notauimus, sic parte præceptrice, vt simul operante consistat. Alterum vero Ordo,nec alius apparet,præter resolutiuum,nam fine constituto,nempe ipsa Scientia, & eius essentia cognita,statim ad Principia contendit, conditiones perlustrans, atque adeo affectiones, per quæ illam apprehendamus. Tertium Diuisio;potest autem in plura fieri,nobis adhuc sufficiat, si dupliciter præstetur,tanquam id,quod præsertim attendit. Et quidem cum sint quatuor quæstiones,Quo d,Propter quid,An sit,& Quid sit,in prima aperitur,qua sunt tres primæ tenendæ, in altera, qua postrema. Magis exacta partitio tunc obuiam se dabit, dum Operis progressum,ac declarationem pandemus. Vltimum Inscriptio;

Posteriorum Analyticorum Intentio.

Ordo.

Diuisio.

Inscriptio.

ptio. Quo loco est obseruandum hos libros haud simpliciter esse, sed magis relationem, & ordinem habere ad Priores; nam omne posterius eatenus est tale, qua prius obtineat, & contra; ergo cum Posteriores dicantur, Priores præsupponent, idest illos, quibus aliqua traduntur, quæ ipsos antecellunt, & priora existunt; hoc Syllogismum testamur, & cognoscendi rationem secundum formam acceptam, tanquam eam, quæ respectu Ostensionis, &c. locum generis seruat. Quanquam non intelligimus, quasi in Prioribus, tantum forma proponatur, sed cum ibi fabricata vel præsertim ipsam formam, vel certe sic attendant, quæ in Posterioribus, & cæteris declarantur, vt illis applicentur, & quodammodo informent, iure id licet testari. Ex quo apparet, vt recte Alexander, præsentes libros sic cum illis Priorum hærere, vt ad hos dirigantur, & vnum opus componant. Decet ex Philosopho cernere, cum in Prioribus initio, & Cap. 4. testetur, suum consilium esse de Ostensione, ac Syllogismo tractare; & in Posteriorum fine addit, de Syllogismo, & Ostensione dixisse; quare cum in Proœmio, ac Epilogo notatum, simul ad vtrosque spectet, pariter simul nectentur. Præterea si ratio se dedat, vt eos designet, communi charactere promit; sic Secundo Periherm. & Primo ad Eudem. Priores insinuans, Analyticos appellat, quod itidem contingit de Posterioribus velut ex Sexto Ethicor. & alibi deprehenditur. At nobis labor accrescit in exprimendo, cur Resolutorij vocentur. Est autem Resolutio, vt idem Alexander, rei compositæ in sua Principia, ex quibus est compacta, dissolutio; ob quam rem a fine ad initium redit; & Compositioni opponitur, velut Themistius, & Auerroes testantur, quæ in eo consistit, vt sit ex Principijs ad rem constructio, & ab initio ad finem procedit. Potest vero in duas distribui; nam vnam realem, alteram rationis nominant; prima censetur, cum sic circa rem gerimus, vt reali actione in sua Principia dissoluatur, & postrema, quæ tantum cogitatione atque intellectu fiat. Interpretes valde illo concordant, vt existiment præsens Opus haud ex prima, sed ex vltima inscribi, nimirum quia posita conclusione, vel doceat resoluere, ac Principia piscari, minus tantum Syllogismi & inferendi, sed etiam rei, & cognoscendi; vel pariter resoluat, quod succedit, dum ex scire finitione ad conditiones, & Principia deducit, per quæ illud consequamur. At quamuis hæc primo libro quadrent, tamen quo pacto competant secundo, nec omnes æque exponunt, & forte difficul-

Priora analytica haud solam formam considerant.

Resolutio quid.

Compositio quid.

ficultatem seruat. Et quidem Philoponus affirmat eo conuenire quia in Ostensione Principem locum vendicat ipsum medium, a quo hæc determinatur, & denominationem capit; talis vero est definitio, quæ ex resolutione aduenit. At quia id forte esset molestum, aliqui exponunt compositiuam methodum posse resolutionem dici, quando a magis composito ad minus compositum, & a specie ad genus incedimus; quare cum per illam quidditatiua prædicata, & finitio quærantur; vel in ordine ad finitum, vel certe ad Ostensionem, recte id vsurpabit, & resoluere dicetur. Præterea in eo finitio tractatur; at hæc, velut Primo Physicor. textu 5. sic circa finiendum agit, vt in Principia dissoluat, ex quibus ipsum consistit. Sed, vt verum fateamur, minus plene animum implent, nec Inscriptionis rationem, sed extorsionem inducunt. Ac licet a magis composito ad minus tendatur, licet sic conditiones, & substantialia accedant, tamen dedecet confundere, quæ valde inter se distant, & contrario procedunt. Præter quam quod, vti etiam fatentur, cum quibus adhuc res est, Compositio minus proprie, sed quodammodo est Resolutio, ergo potius ab illa, quam ab hac designatio. Nam quod pertinet ad finitionem tali libro vestigatam, idem incommodum vrget; cum præsertim Philosophus in titulis ponendis magnam curam adhibeat. Idem aliam rationem edens, ait, Ostensionem resolutionem esse, ob quam rem primum librum notari; quare cum secundus agat de medio, quę pars est Ostensionis, iure hoc nomen asciscet. Quanquam non debet accipi, quasi demonstrandi actus, dum per rei Principia, & causam procedat, sit vere Resolutio, quo pacto nec Philoponus, nec aliquis intelligit; sed cum ad demonstrandum varia concurrant, & prius effectus ponatur, tum ad causam ascendamus, recte totum progressum, atque tale aggregatum, sic decet appellare. Libet etiam addere, quod alias innuimus, secũdum librum partim primo hęrere, ac vt corollarium esse, qua in finitione se occupat, quæ ab Ostensione distat, solo terminorum situ, & Ostensionis est finis; partim prout ostensiones tractat eodem sumpto Principio, quod itidem in primo, & a fine incoando. Quæ cum ita se habeãt, & omnia, vel saltẽ maior pars Ostensioni nitatur, potius esset damnandus, si aliter inscripsisset. Et ex his apparet pręsentem titulum nulli alteri magis, nec etiam æque bene, ac huic operi competere; nam Philosophus non modo rei, & conclusionis docet resolutionem, & in Principia resoluit; sed pariter insinuat procedendi modum, quod aliter non præstaret.

Ioannes Grammaticus.

Non probatur.

Altera ratio.

Propria ratio.

PRAE-

PRAELECTIO VII.

QVID SIGNIFICET VNIVERSALE; ET vtrum ipsum exiſtat determinant, vbi quidnam ſit quaeritur.

SED hic ratio monet, vt antequam vlterius pergatur, parum de Vniuerſali agamus. Nam cum ſæpe in his libris occurrant, quæ nequeunt comprehendi, niſi ipſum noſcatur, Scientiæ vero ſubſtantia maxime illo nitatur, minus debet ab re eſſe, ſi ardua tentemus, & quæ aliæ ſunt Contemplationis, ſed venia præberi, quod circa ipſum verſemur. Quare præſens labor haud ſic rem geret, quaſi ad viuum reſecet, & omnia exacte pendat, ſed medium curſum tenens, illo ſatis quieſcet, ſi quandam notitiam tradat, nimirum quantum ſatis creditur ad noſtrum munus explendum. Ac ne nominis ignoratione in ſcopulos impingatur, in quos Philoſophus ait Primo Elench. Cap. 9. nonnullos lapſos eſſe, ob quam rem ſæpe monet, & præſertim Primo Poſterior. textu 2. vel a textu 73. vbi Themiſtius, & Auerroes, ante quamlibet de re quauis quæſtionem, quid nominis prænoſcendum eſſe, quod etiam Alexander illo Primo Elenchorum detegit, eſt obſeruandum Vniuerſale latiſſime acceptum nihil aliud notare præter vnum aliquid ad multa pertingens. Sic dicimus Magnum Etruriæ Ducem noſtrum Dominum vniuerſalem, pacem etiam vniuerſalem &c. Diuiditur id in complexum, & incomplexum. Primum eſt quæuis vniuerſalis poſitio, vt omnis homo eſt riſiuus; Alterum vero aliquid ſimplex, quod ad plura pertineat. At cũ varijs modis poſſit dari, vt quid ad aliud ſpectet, eo multiplex erit Vniuerſale. Et quidem primo valet quędam vox eſſe, quę vt nihil ex ſe notet, tamen alteri addita, plura ſignificabit, vt Omnis, Nullus; & dicitur vniuerſale ſignum, quia alteri iunctum facit, vt plura deſignet. Præterea valet eſſe aliqua cauſa, ſeu illa efficiens, ſeu finalis exiſtat, & dicitur Vniuerſale in cauſando, vt Deus Optimus Maximus. Sol, &c. Tertio quid plura repræſentans, & in repræſentando dicitur,

Vniuerſalis acceptiones.

tur,sic noster conceptus plura repræsentat. Rursus quædam vox plura significans,& dicitur in significando. Verum quia hæc sunt in se singularia,eo nihil amplius agemus. Demum in pluribus insidens,& in essendo nominant. Nos quando id est velut ipsa radix, nec queunt reliqua intelligi, de quibus in nostris libris, nisi nobis inclareat,tantum illud explanemus. Potest autem dupliciter sumi; Vno modo pro aliqua Natura ab vno, quæ in pluribus existit, vt ens,bonum,&c.sic accepit Tertio Metaph.textu 10. & 16.dum ait,ens & vnum,maxime vniuersalia esse;Et Quarto Metaphysicæ textu 3. asserens tot esse species vnius, quot sunt entis species,quod etiam Tertio Physic.textu 5.habet. Altero vero solum pro illo, quod est vniuoce in pluribus; hac ratione Quarto Metaph. textu 6. negat Analoga esse vniuersalia, etenim negat Ens,& Vnum vniuersalia esse. Et Primo Ethic.Cap.6.repetit.Et quidem optima ratione;nam cum tantum vniuoca, vere sint vna natura eiusdem ordinis in omnibus, illa vero ab vno haud sint vna natura,nequeunt simpliciter vniuersalia, sed solum quodammodo vocari. Quare tantum de vniuoco loquemur. Duplex autem finitio se offert. Primum Primo Poster. 63. docens id esse, quod vnum & idem est in pluribus non æquiuoce. Præterea Septimo Metaph.textu 45.aiens,quod natura aptum est esse in pluribus. Quæ postrema,quia est valde celebris,iure a nobis pandetur,cum præsertim ex eius cognitione,breui altera pateat. Igitur ante omnia, Quod, dicitur, vt innuat, Vniuersale debere quid vnum esse, nempe vnam aliquam naturam, vt in prima finitione monet,alioquin haud vniuersalis notio restat, cum apud omnes liqueat,aliquid vnum signare,quod multis sit commune, sed vel singulare,vel plura particularia erunt. Deinde minus debet quouis modo vnum,sed vniuocum esse. Docet id prima finitio,dum inquit,non æquiuoce, idest, nec æquiuoce, nec ab vno, quando hoc sæpe,æquiuoce,notat,vt in Antepædicam.tradunt. Illud vero est vniuocum,quod vnicum nomen signat,& vnam finitionem obtinet. Ratio vero potest credi,quia tantum in vniuocis natura est simpliciter vna,at in æquiuocis, si proprie loquimur, nullo pacto vna,sed diuersa existit;in ijs autem ab vno,nec vna est simpliciter,sed secundum quid,scilicet vel vt a quodam vno pendet, vel vt ad unum collimat. Præterea dicitur,natura aptum esse in pluribus, primo vt singularia pellantur, tanquam illa, quæ nequeunt pluribus inesse; postea vt nos doceat, minus necessum

Duplex vniuersalis definitio.

esse,

esse, vt pluribus actu insit, sed sufficere si apta sit inesse, nempe pluribus diuisa, ut videtur innuere Primo de Partib. cap. 4. Ex hoc in essendo uniuersali ad hunc modum explicato, vniuersale in prædicando manat, nempe quod potest de multis prædicari. Nam id potest de aliquo dici, quod in eo consistit, quare cum id sit vniuersale, quod est aptum esse in multis, succedit idem esse uniuersale secundum prædicationem, nec aliud censetur, preter illam naturam, quæ est apta in multis esse, qua potest de ijs dici. Ergo rite Philosophus hoc Primo Periherm. Cap. 5. finiens docuit id esse, quod est natum in pluribus prędicari, nimirum vniuoce, ut de secundum esse tulimus. Atque hinc secunda finitio splendet, quę debet eodem modo capi, nec quidquam interest, nisi quod prima per essendi actum, at vltima per aptitudinem explicat. Quanquam illud fatemur hanc magis a priori esse. Ac licet Nono Metaphysicę 13 actus prior quam potentia dicatur, tamen eum indicat, qui sit idem specie, quo casu quidquid est potentia, fit actu ab actu tali, sed in eadem re prior est potentia, quam actus. Verum dubium occurrit, an id sit vniuersale. Et quidem Democritus & alij contra quos Philosophus Quarto Metaphysicæ a textu 22. vt Scientiam negabant, quia semper omnia gigni, uel corrumpi viderent, sic vniuersalia tollebant, quæ inuariabiliter habent. Sed hanc opinionem minus decet solidam putare; nam cum certum existat rerum Scientias dari, non possint autem esse nisi de uniuersalibus, etiam emergit uniuersalia danda. Minor propositio sæpius apparet, sed pręsertim hic Cap. 4. & textu 63. ac 65. & Sexto Ethic. Cap. 3. 6. 7. cuius rei ratio se effert, quia Scientia debet de ijs sumi, quæ nequeunt uariari, ac proinde ęternis, talia solum sunt uniuersalia. Pręterea uniuersale una est in pluribus natura, at naturæ hominis, Leonis. &c. sunt in pluribus, & etiam sunt unę, ut inferius patebit. Postremo res omnes, saltem quę sub Luna constant, aliquid secum habent, in quo conueniunt, aliquid uero, in quo differunt sed primum est quid unum pluribus commune, ergo uniuersale. Quę cum ita se habeant & distincte splendeat reperiri, nobilis altercatio est habita inter Philosophorum Principes Platonem & Aristotelem, quid sint Vniuersalia. Nam ille Scientiam concedens, & cernens de vniuersalibus ac perpetuis esse, nec aliquid se dare, quod esset ab interitu liberum, sed omnia in Natura singularia, quasdam formas effinxit, quæ vt manent abstractæ, & materiæ, ac corruptionis expertes, sic

Opinio quorundam.

Vniuersale reperitur.

Platonis sententia.

sic a corruptibilibus dissitæ, quæuis singularium essentiam, quę vel in quodam genere, vel in specie, seruat; has vero substantias, Ideas, & vniuersales vocat. Sic Philosophus testatur, sæpe id ei tribuens, sed præsertim primo Ethic. Cap. 6. & Septimo Metaph. a textu 44. & Decimo Metaph. cap. vlt. & eiusdem 13. & 14. Sed præsens Sententia haud valet vllo pacto constare. Licet illo cerne re, quia, vt probe Alexander, Scientia haud de Ideis, sed de vniuersalibus datur, quæ sunt in singularibus; nec quis rei affectiones per causam cognoscens, quicquam de Ideis noscit. Deinde vniuersalia de rebus dicuntur, sic asserimus, homo est animal, &c. at Idæe tali modo non habent, sed cum hæc positio effertur, nihil de Ideis a rebus auulsis cogitamus; immo si eas intelligeremus, prædicatio falsa esset; nam minus vero quadrat, hominem, id animal separatum esse, quod Ideam appellant. Rursus nihil potest rebus magis intimum, quam ipsarum essentiæ dari, sed Idæe haud sunt rebus intimæ. Minor positio renidet, quia hæ abiunctæ, immateriales, & a rebus semotæ ponuntur, at quod est intrinsecum, nunquam valet dissitum, nec abstractum esse, sed si res sit materialis, etiam eius substantia erit materialis. Demum vel Idæe per se constant vel in alio subiecto; si primum cum quidquid existit, sit singulare, itidem illæ singulares erunt; Si autem secundum, simul erit Idea singularis. Potest ratio adduci, quia in singulari existens, debet singulare esse. Neque sane quis opponat, in omnibus singularibus stare, quæ vnam participant Naturam vniuersalem; nam minus vnum aliquod, sed plura singularia erunt, vel certe aliquid secundum ea multiplicatum, in quibus inexistit. Quare cum Philosopho concludendum, Vniuersalia haud rebus abiuncta dari. Adhuc videamus quid nam illa sint, vtrum in ipsa Mente, an potius extra Mentem. Sed quando longum esset & etiam inane omnia percensere, tantum vnum, vel alterum pendemus, ex quibus reliqua pateant. Aliqui contendunt prorsus nihil aliud esse, præter communia rerum vocabula, vel conceptus. Ad hunc modum si dicimus, Equus est Animal, vniuersalia erunt, quia quædam sunt nomina pluribus communia. Probant id ex varijs, sed maxime Septimo Metaphys. textu 45. & deinceps, quo loco testatur substantiarum genera, & species, substantias non esse, at id non constaret, ni illa sic haberent, vt sola essent nomina multis communia. Idem Cap. de Substantia innuit, edocens, genera & species quale aliquid significare, hoc

Describitur.

Opinio quorundam.

e

hoc autem solum nominibus datur, quare genera & species, quæ sunt vniuersalia, pariter sunt nomina. Præterea Alexander Septimo Metaphys. 57. addit, Ens & vnum plura nomina esse, Ens vero & vnum sunt uniuersalia. Adest etiam ratio ad id firmandum. Nam vniuersale sic debet esse vnum vt commune sit pluribus, sed nihil reperitur quod sit vnum, & pluribus commune, præter nomina & conceptus. Alij dicunt vniuersale plane nihil aliud, nisi species intelligibiles esse, qua sunt vnum quid plura repræsentans. Sic primum de Anima exponunt textu 8. vniuersale aut nihil est, aut quid posterius, nimirum quia sunt species intelligibiles, quæ sunt post res ipsas. Præterea hic ait, valeant species, idest uniuersalia, nam sunt teretismata, nempe Citharedorum cantilenæ, & quædam conficta. Alij aliter. Sed harum opinionum nulla debet uera putari, nam ut Philosophus docet Secundo de Anima textu 60. atque adeo alibi, Scientia est de uniuersalibus, at hæc non est de nominibus, quod ex eo renidet, quia possunt nomina patere, & rerum conceptus haberi, nec tamen quiescimus, sed Naturæ quæruntur, quas scire percupimus. Deinde uniuersalia debent rebus inesse, quarum notitia optatur; sic Philosophus hic textu 182. & Septimo Metaphysices 51. & 57. id vero haud nominibus competit, sed rebus non insident. Insuper aiendo, homo est animal, uel nos intelligimus, id quod realiter est homo, id esse quod realiter est animal, uel hanc uocem, homo, esse hanc uocem, animal: si primum, iam uniuersalia non sunt nomina; si autem alterum, tunc illud prodibit, ut omnes positiones falsæ, & negandæ formentur. Rursus cum dicimus, animal est nomen, conceptus, &c. uel nomen indicamus, quod animalis naturam signat, uel naturam per nomen signatam; primo modo animal singulare, non uniuersale erit, tanquam id quod est unum numero; at postremo, Natura uniuersalis, minus nomen existit. Postea quidditatiua haud nominibus, uel conceptibus, sed naturis conueniunt; nam vt Philosophus monet in substantiæ Categoria, genera, & species substantiæ, sunt substantiæ, esse autem substantiam nequit uocibus uel conceptibus quadrare. Preterea hi Auctores forte quæstionem non percipiunt; nam nos loquimur de secundum esse uniuersali, at illi de secundum significatum, uel repræsentationem. Demum secundo Poster. Cap. ult. sic Philo-

Altera opinio.

Euersio.

losophus gerit, ut uniuersalia ab ipsis nominibus, & conceptibus diuidat, ergo nec notiones, nec nomina sunt censenda. Potest ratio adduci, quia aliud existit quo nos intelligimus, aliud uero id quod intelligimus, primum tantum speciebus & nominibus, ultimum uniuersali datur, tanquam illi quod est Mentis obiectum, ut sępe Philosophus testatur. Et hæc omnia quę contra primam Sententiam, quam pręsertim respeximus, breui cęteris aptantur. Nam quod spectat ad rationes, sic potest responderi. Et quidem ad primam dum ait substantiarum genera, & species substantias non esse, dicimus substantias non esse per se primo subsistentes, ut Plato contendebat, haud tamen negare esse secundas substantias, in primis insidentes, sed abunde fateri. Quod si Cap. de substantia tradit, genera, & species quale aliquid signare, hoc autem solum nominibus datur, credimus nihil aliud uelle, nisi secundarum substantiarum nomina, non hoc aliquid notare, cum non indiuiduum singulare, quod maxime est hoc aliquid, sed unam naturam significent, quæ pluribus indiuiduis insit; ob quam rem magis quale aliquid ponere, nempe quid substantiale pluribus singularibus latens. Sic Auerroes, & alij exponunt. Cum uero Alexander addit, Ens & unum, mera nomina esse, ideo sic testatur, quia ad essentias non spectant, quo pacto etiam Philosophus monet, quæ per accidens dicuntur, solo nomine dici, & definitiones, quę haud sunt uniuersales nominum expositiones uocat. Ad id quod ultimo ponunt ex tradendis patebit. Quod autem alij addunt Philosophum uocare uniuersalia species, ex quo uidetur sequi, species intelligibiles esse; harum nomine Ideas notat, pura figmenta appellans.

Rationes aduersæ eluuntur.

& 16. nam si rationale de Equo affirmamus, valde error se effert, nec quicquam prohibet, quin dum licet aliquid de quoquam, aliter quam sit dicere, simul queat error stare. Num vero in his duobus actibus, vere sit abstractio, præsens munus excedit. Nos solum de simplici agemus. Postea est attendendum quæcunque in Orbe constant, quantumuis sint dispersa, inter se conuenire, & differre, ex quo succedit, vt possit vna vniuersalis Natura ab altera præcidi; sed ipsa singularia, duo præsertim continent; Primum est essentia, nempe communis natura, in qua singula concordant, & substantia nectuntur; alterum vero conditiones, quas indiuiduantes vocant, quæ sic vni competunt, vt nequeant alterius esse; eo autem sic nominant, quia ad indiuiduum spectant, & simul qua tale condunt. Nam cum hominis natura, si ex se accipitur, plane sit indifferens, nec magis Cæsarem, quam Pompeium postulet, sed possit omnibus esse, per talia principia sic propria euadit, vt haud amplius eædem, sed numero differant. At hæ conditiones dupliciter habent, nam quædam sunt externæ, quædam autem internæ. Primæ non sic propriæ vnius videntur, vt nequeant alteri dari, ob quam rem licet sint attendendæ, tamen debent maxime vltimæ respici, tanquam illæ, quæ sunt aliarum radix. Hisce sic prænotis adhuc dubium manet exponere qua via Natura tali pacto diuisa, & plures effecta vnitatem accipiat, & vniuersalis fiat, scilicet, num per directum actum, quo eam à suis conditionibus indiuiduantibus, seu a singularibus præscindimus, vel simul alterum reflexum, & comparatiuum optet, quo ad inferiora comparetur, & vna cognoscatur cum relatione ad illa. Nos missis pluribus, quæ solent adduci, & ex dicendis renident, credimus Naturam vnam, & vniuersalem reddi per illum primum actum. Sic D. Thomas indicat, qui declarans quomodo ipsa Mens vniuersale præstet, ait, simplici abstractione gerere. Potest nobis probari, quando vnum existit, quod est indiuisum in se, & à quouis alio diuisum, talis ea natura se habet. Præterea, vt Philosophus edocet, illa sunt vnum specie, quorum vna est finitio, sed hominis naturæ, simpliciter præcisæ vna finitio competit, quare etiam est vniuersalis. Rursus ex Decimo Metaphys. vnum sunt per intellectum, quæ vna intellectio attingit, nec vnquam valet plura, nisi sub vna ratione legere, quod Quarto Metaphysicæ textu 10. tradit, sic talis natura apprehenditur, quæ cum ad singularia sit indifferens, nec magis vnum, quam aliud postulet, sed æque omnibus

Singularia, duo maxime retinent.

Propria sententia.

bus quadret,ſimul eſt apta in multis eſſe. Neque ſane quis dicat realem aptitudinem eſſe Naturæ ſecundum ſe additam, vel rationis relationem; nam itidem in ſingularibus, ſemper apta eſſet in multis eſſe,quare vniuerſalis & ſingularis eſſet. Et quidem primum,quando vt vidimus,quod eſt aptum eſſe in pluribus,eſt vniuerſale; vltimum vero, quia quod eſt in ſingularibus eſt ſingulare. Nam quod ad rationis relationem ſpectat, cum non adſit niſi concipiatur, at talis aptitudo, in natura exiſtat, licet id non fiat, minus tutum apparet hoc nomine ſignare. Sed D. Thomas ait, ſecundum ſe Naturam nec vniuerſalem, nec particularem, nec vnam, nec multiplicem eſſe, illo vero primo actu, ſolum ſecundum ſe noſcitur,quare vix occurrit qua via poſſit ſtare, vt vnitatem, vel vniuerſitatem capiat. Miſſa Caietani reſponſione,quæ forte nodum non ſoluit, credimus ſecundum ſe Naturam dupliciter ſumi; & quidem vno modo, vt tantum ipſam Naturam, & quidditatiua notet, à diuiſione abſtrahendo, quam re in ſingularibus,& à diuiſionis negatione, quam in Mente obtinet; altero vero vt eandem cum modo negatiuo, ideſt cum diuiſionis negatione; primo pacto concedimus nullum ex dictis admitti, & D. Thomas intelligit, cum ſolum eſſentialia ſeruet; poſtremo negamus. Quod ſi Alexander Primo ſuo de Anima tradit, vniuerſale ex ſingularium collatione,& collectione gigni,& ſæpius Philoſophus docet,ſed maxime Primo Metaphyſicæ initio,& Secundo Poſter. in fine,aſſerens è multis experientiæ notionibus, vniuerſalem exiſtimationem, & ſenſus inductione vniuerſale ſtare, ob quam rem videtur ſequi,vt natura vnitatem ſumat,& vniuerſalis fiat,non ſolum directum actum,ſed etiam reflexum poſcere,decet attendere duplex vniuerſale eſſe,& quidem vnum creditur,quod incomplexum vocant,& ſimplices terminos continet;at alterum, quod complexum,& poſitiones ſeruat,quæ ſunt vniuerſales;locis citatis non primum ſed vltimum deſignant, ac præſertim illud, quod eſt Scientiæ principium. Quamquam eſt obſeruandum, quod quamuis natura,ſimpliciter præciſa ſit vniuerſalis, tamen id nequit cognoſci,niſi actus accedat,per quem reflectatur. Decet valde munire,quia vt vniuerſalem naturam noſcamus, primo eſt cognoſcendum, eam à Mente abſtractam, quo caſu eſt reflexio. Præterea vt vnam cognoſcamus debemus dignoſcere, in ſe indiuiſam eſſe,& à quouis alio diuiſam, hoc autem non valet dari,niſi reſpectu illorum. Poſtremum eſt dignoſcenda ad plura

apti-

aptitudo, at id quandam relationem gestat. Quod si aliquis opponat vniuersale Ens rationis esse, tanquam id, quod per Mentem est vnum, debet notari, haud fingi vnitatem in Natura, sed sic Intellectum gerere, vt cum hanc per se, nec diuisam concipiat, simul vnitatem præbeat, quæ instar requisiti se habet; ergo licet possit uniuersale, Ens rationis dici, quia unum à ratione fiat, tamen uere est ens reale, cum de hoc finitio, & Scientia existat.

PRAELECTIO IX.

VTRVM ANTE MENTIS ABSTRACTIONEM Natura vnitatem habeat, & quot sint Vniuersalia tradens.

ADHVC est videndum num ante Mentis abstractionem Natura quandam vnitatem seruet. Primus Scotus scrupulum iniecit, non solum ob auctoritatem, sed etiam propter rationes, quas nauiter adducit. Nos cum magis ad Metaphysicam, quam ad Logicam specter, haud exacte tractabimus, sed vt aliqua soluantur, quæ possent negocium præstare. Igitur Scotus in Secundo distinct. *Scoti opinio.* 3.q.p. ait quamlibet Naturam posse tripliciter vnam esse. Primo secundum numerum, & fit in indiuiduis per principia indiuiduantia. Secundo in Mente, & est vniuersalis, nempe qua natura præcisa, per comparatiuam notitiam, rationis habitudines acquirit, nimirum ad abstrahentem, ad inferiora &c. Tertio, & est proprium secundum se Naturæ, quâ specifica Natura ante opus intellectus in singularibus est vna. Primam vnitatem numericam; alteram logicam, quando ad Logicum spectat illas relationes, & secundas intentiones rimari; vltimam Metaphysicam vocat. Postea hanc tertiam magis explicans inquit, minus secundum numerum esse, nam hæc fit per principia indiuiduantia, at secundum se Natura illis caret; nec etiam vniuersalem, quæ tum actu communis pluribus, tum est in proxima potentia, vt queat de ijs dici, tertia vero vnitas, vt Naturam indifferentem dedat, nec in multis repugnantem esse, tamen cum subsit conditionibus indiuiduantibus, id minus actu continet, vel in proxima potentia, nec est vniuersa-

uersalis. Præterea ait, tertiam vnitatem, quamuis nunquam in rerum natura sine prima, vel secunda maneat, tamen cæteris priorem esse, tanquam eam, in qua illæ fundantur, nec potius in Mente postulet, quam in particularibus stare, sed sit ex se indifferens, immo vt est his duabus prior, haud naturaliter pugnat sine ijs manere. Postremum addit, Naturam secundum hanc vnitatem, per se Mentis obiectum, & rei essentiam esse, ac omnes necessarias positiones de illa verificari, & finitiones strui. Neque sane rationes desunt, quibus valide confirmet, sed peracri ingenio, semper quædam subueniunt, quæ vtrinque præponderant. Nam cum Natura qua talis non sit in singularibus diuisa, alioquin esset multiplex, nec vna species hominis Naturæ, iam nullo cogitante, sed ante Mentis opus est vna, quare cum haud numerica vnitate, ergo vnitate formali. Præterea si in rerum natura non esset vnitas formalis, plane fieret vt omnis realis vnitas esset numerica, hoc autem est falsum, sed vt Philosophus docet Primo Topicor. Cap. 13. cum duo sunt opposita tot modis vnum debet, quot alterum dici, quare si identitas, & diuersitas sic gerunt, & inuicem opponuntur, tot modis primum, quot vltimum dicetur, at id tum est in rerum Natura numericum, qua vnum indiuiduum differt ab altero, tum quoque formale, qua homo ab Equo differt, ergo etiam identitas, siue vnitas, quod idem importat, non solum secundum numerum, qua Cæsar est vnus, sed simul secundum formam erit, qua omnes homines vnum dicuntur. Rursus dum quædam sunt similia, etiam vnitatem seruant, sic Quinto Metaphys. textu 20. quæ cum nequeat numerica poni, sed omnis similitudo, tantum est inter plura, saltem numero distincta, rite formalis credetur. Deinde ex Decimo Metaphys. textu 2. in omni genere vnum primum datur, quod sit cæterorum mensura, quæ sub genere constant, ergo pariter in illo Naturæ, vna quædam est Natura, quæ omnes alias pendat; nequit vero vna dici, nisi per vnitatem formalem. Demum vbicunque est Ens, ibidem est vnum, & inuicem remeant, quod Philosophus admonet Quarto Metaphys. textu 3. sed humana natura, etiam ut distinguitur à principijs indiuiduantibus, in quouis homine est Ens, ergo vt ab eisdem distinguitur est vna, non secundum numerum vnitate, cum hanc habeat, vt illis conditionibus hæret, quare vnitate secundum formam. Verum hanc opinionem minus plene solidam censemus. Plura vero nos inuitant, sed præsertim quia nulla vnitas existit,

Non probatur.

quæ

quæ debeat à singularibus disiungi, nec quicquam est in rerum natura, nec intelligitur esse, nisi ad singularia ligatum; ob quam rem ipse Plato sic Ideas tractabat, vt singulares poneret; at si tertia vnitas dabitur, debet a singularibus diuidi; quod ex eo renidet, quando si est in singularibus, nequit esse vnitas cum multis, sed quæ in vno singulari, haud est communis cum illa, quæ in altero existit, sed vnius sunt propriæ, proprium vero & commune opponuntur. Insuper vnitas qua talis tantas vires non habet, vt simul possit esse in pluribus, sed debet in se indiuisa esse, & à quouis alio diuisa, at illa formalis, & quam Scotus contendit, tantum abest, vt id seruet, vt contrarium gerat, & simul sit in pluribus, atque adeo diuisa, quare minus videtur fouenda. Neque sane quis credat difficultatem tolli aiendo eo in pluribus stare, qua est numero diuisa, tamen esse vnam formaliter, quia sic pluralitatem, quamuis numericam respicit, vt queat illi iungi; nam vnam formaliter, vel notat secundum numerum naturas re ipsa vnitas, vel tantum ratione esse; non primum, quando satis patet eam vnius singularis haud realiter necti cum illa alterius, sed proprie competere; quod si secundum, iam est rationis vnitas, quam nos asserimus. Quod autem pertinet ad illa, quibus contrarium struit, sic credimus respondendum. Et quidem ad primum, dum ait, Naturam vt talem non in singularibus diuidi, sed ante Mentis opus vnam esse, quare cum non numerica vnitate, ergo illa formali; dicimus dupliciter accipi, vno modo vt Natura in ratione naturæ non sit per singularia partita, quo pacto negatur, sed quæ est in vno, ab illa est distincta, quæ in alio existit; alio vero vt diuisio, quam in singularibus habet, minus sit ex parte sui, sed conditionum indiuiduantium, & id conceditur; at ex hoc non conficit eam indiuisam esse, quod tamen requiritur, vt sit vna natura. Dum autem addit, cum duo sunt opposita tot modis vnum debet, quot alterum dici, quare si identitas, & diuersitas sic gerunt, & inuicem opponuntur, tot modis primum, quot vltimum dicetur, at id tum est in rerum natura numericum, tum quoque formale, ergo etiam primum; fatemur in rerum natura formalem, & substantialem diuersitatem, & sic species differre, at de identitate, seu vnitate formali, longe aliter habere, nec posse fieri talem adesse, qua plura singularia inuicem dissita, simul vnum constent. Nam quo ad positionem ex Topicis depromptam, patet ex illis solutio, quæ alibi deferimus,

Rationibus aduersis occurritur.

mus, nec sunt omnia sumenda, vt ad viuum resecetur; ac licet finitum, & infinitum oppositionem gerant, & actu sit quantitas finita, tamen minus contingit, pariter infinitam dari, quod simul in alijs splendet. Vbi uero tertio dicit, dum quædam sunt similia, vnitatem seruare, quod ex Quinto Metaphysicæ sumit, quæ cum nequeat numerica poni, sed omnis similitudo, tantum est inter plura saltem numero distincta, rite formalis credetur; respondemus solum ibi velle ea similia esse, quorum est vna qualitas, ea æqualia, quorum vna quantitas, ea eadem, quorum vna natura, nequit autem accipere, vt realem vnitatem signet, quia similitudo, &c. inter plura consistunt, ergo illam indicat, quam Natura obtinet, secundum se assumpta, in quem sensum ea similia erunt, quæ eiusdem rationis qualitatem, nec diuersæ contineant, si ex se considerentur; ea vero eadem, quorum est vna natura, idest, quæ haud ratione naturæ differunt, nec aliud significat, nisi vnum esse fundamentaliter, & illam naturam tali pacto gerere, vt licet respectu sui differentiam, & diuisionem non habeat, sed solum ex parte conditionum indiuiduantium, tamen possit sine ijs abstrahi, & vna per Mentem reddi. Ad quartum, dum ex Decimo Metaphys. monet, in omni genere vnum primum dari, quod sit cæterorum mensura, quæ sub genere constant, quare itidem in illo naturæ, at hæc nequit vna dici, nisi per vnitatem formalem; breuiter occurrimus, nam alias id tractandum, solum docere mensuram eiusdem generis cum mensurato, & quoddam minimum esse, atque nobis notum, hoc autem nihil officit. Quod si Quarto Metaphys. textu 3. adest vbicunque Ens, ibi vnum dari, & inuicem redire, talem hominis naturam esse, etiam vt distinguitur à principijs indiuiduantibus, non secundum numerum vnitate, cum hanc habeat, vt illis conditionibus hæret, ergo secundum formam; potest ratio reflecti, etenim si humana natura in singulis est Ens, vt inuicem separantur, ergo in vno vna, in alio est alia, ac proinde sunt diuisæ. Quæ cum ita se habeant D. Thomas prima par. quæst. 85. art. 1. & 2. & Opuscul. 55. & 56. atque adeo de Ente & Essentia Cap. 4. ait Naturam ante opus intellectus non habere communem vnitatem, sed vel singularem in singularibus, vel in Mente vniuersalem esse. Hæc Sententia vti est plane vera, sic ex dictis refulget. Adhuc videamus quot sint hæc vniuersalia, minus quidem generum, ac specierum numerus, &c. nam id nequit cognosci, sed

D. Thomæ opinio.

quot

quot summa genera, siue communissima capita, ad quæ omnia vniuersalia cum specifica possunt, tum quoque generica reduci. At cum per abstractionem velut requisitum, vniuersale fiat, antea est videndum, quotuplex sit abstractio. Nos ne nimij sine causa, & multiplex abstractio vitetur, solum duplicem trademus, quæ nostro muneri facit. Vnam formalem, alteram vniuersalem vocant. Prima censetur qua Natura, siue aliqua forma, quæ postulat in subiecto esse, sic ab inferioribus præciditur, vt simul cum subiecto fiat, & contingit dum formam cum subiecto in communi concipimus, minus his, vel illis subiectis conceptis; at postrema qua natura concipitur, haud inferioribus, vel aliquo subiecto conceptis. Differunt vero hæ duæ abstractiones, quia quod per primam concipimus solet denominatiue de inferioribus, vt album de lacte dici, sed id quod per vltimam, semper in quid prædicatur, vt albedo est color. Hisce sic prænotis censemus vniuersalia per diuersas inexistendi aptitudines, primo & per se distingui. Decet illo firmare, quia inde distinctio pendet, quod primo distinctionis est causa, tales vero sunt hæ aptitudines, nec prior ratio occurrit, sed omnes istam sectantur. Et ex his effulget quinque summa genera, & communia capita dari, ad quæ omnia vniuersalia, cum generica, tum specifica spectant. Nam vel Natura vniuersali abstractione, vel formali præscinditur; Si primum, vel illa natura apta est inesse pluribus speciebus, tanquam pars essentialis, & per modum per se stantis, vel solum in pluribus differentibus numero, velut tota essentia; primo pacto iam genus constituimus, vltimo ipsam speciem; quod si secundum, vel talis forma apta est sic in subiecto esse, & per modum adiacentis, vt cum eo naturam componat essentialem pluribus communem, & differentia fiet; vel tantum aptitudinem habet subiecto inhærendi, adeo vt illi semper, soli, & omni conueniat, qua via erit proprium; vel certe sic apta est hærere, vt possit disiungi absque subiecti interitu, & accidens erumpet.

Abstractio duplex.

Ex quo Vniuersalia distinguantur.

PRAELECTIO X.

QVA RATIONE VNIVERSALE SIT *æternum detegens.*

SED iam indicemus quo pacto uniuerſalia ſint ab interitu libera; nam cum Scientia de æternis habeatur, hæc vero ſit de vniuerſalibus, prorſus eſt attingendum, qua via ſemper maneant. Et erit præſens labor expletus. Igitur quamuis durum videatur, uniuerſale æternum eſſe, ſed corruptis primis ſubſtantijs omnia deſinunt, quæ in illis conſiſtant, tamen ſatis communis conſenſus, id libenter admittit. Poteſt ratio afferri, quia poſſe deſtrui, ſolum ſingularibus conuenit, tanquam ijs, quæ vere ammittunt eſſe. Sed difficultas adeſt *Opinio quorundam.* in hoc declarando. Aliqui contendunt naturam vniuerſalem eo ab interitu immunem, quia in ſe nequit variari, ſed ſemper eadem quiditatiua, & affectiones ſeruat, in quem ſenſum licet hominis natura non extet, nec indiuiduum detur, tamen cum eundem conceptum, & finitionem optet, iure perennem vocant. Sic Ioan. Gram. hic, ſic etiam Ammonius dum Porphyrium exponit. Et in hoc tum a ſingularibus, tum ab artificiatis differunt. Et quidem a primis, quia illa nec eſſentialia, nec etiam affectiones, uel quidquam tale habent, quod ſit corruptionis expers, ſed omnia ratione ſpeciei. Ab vltimis vero, quando hæc non a cauſis naturalibus, ſed a libere agentibus fiunt, ob quam rem haud ſunt æterna, cum non ex cauſæ neceſſitate, nec ex neceſſitate ſpeciei, ſed plurima non ſolum in indiuiduo, ſed etiam in ſpecie euanent, quod in naturalia non cadit, tanquam illa, quæ ſemper in ſingulari durant. Præterea haud ſunt ęterna, quia non ex natura rei, nec quo ad quidditatiua nec quo ad affectiones, ſed vtraque vni naturę competunt, quare cum artificioſa minus vnam habeant, quę proprie ſit talis, ſed ex *Euertitur* diuerſis categorijs conſtent, ſunt contingentia putanda. Verum hæc Opinio licet queat prima fronte quadrare, & valde omnia pandat, tamen nobis dubia uidetur. Nam cum illa prędicata nullibi exiſtant, uix occurrit quo pacto ſint perpetua. Neque ſane quis *Quorundam euaſio.* credat ſe nodum diſſoluere aſſerens in ipſo Deo eſſe, nã ſatis a Philo-

losopho, ac eius principijs abhorret, aperte testante, primum Ens mortalia non noscere, alioquin haud plane perfectum esset. Deinde omnis Scientia supponit subiectum esse, ut de eo affectiones monstret, at si existentia necessaria non esset, frustra esset praenoscendum an sit, quare praue Philosophus hanc praenotionem quasi necessariam tractabit. Ergo alij dicunt, Vniuersale eo non posse corrũpi, quia sic sit in rerum natura per singularia, ut semper conseruetur. Ac quamuis indiuidua ruant, tamen nunquam tota Natura perit, ut haud singularia restent, in quibus illa seruetur, uel certe in suis causis; ob quam rem Porphyrius admonet Phoenicis naturam de pluribus praedicari differentibus numero successione. Et hoc modo Philosophus dixit, uniuersale incorruptibile esse, sed cum species aeternas putet, iure uocat uniuersale aeternum. Sic ex Sexto Ethic. Cap. 3. & 5. colligitur, sic D. Thomas affirmat de Verit. q. p. art. 5. Et Linconiensis primo Poster. tex. 63. Sic etiam Alexandrum exponimus Primo Natural. quaestion. Cap. 3. & Auerroes Primo Metaph. 27. ait uniuersale per se quidẽm incorruptibile, at per accidens corruptibile, nempe qua hoc, & illud singulare desinunt, quae sunt Vniuersalis partes, minus tamen omnia, quę nunquam deficiunt. Sed forte quis opponet ex Primo Poster. textu 30. & 31. quo loco deprehendunt cui aliquid per se competit, non posse oppositum competere; & Decimo Metaph. textu ult. habetur, id quod est per se incorruptibile, haud esse per accidens corruptibile, quare si uniuersalia sint ex se incorruptibilia, non erunt ex accidenti corruptibilia. Respondent aliqui quod licet uerum existat, quod est incorruptibile ex internis principijs, & positiue nempe in primo dicendi, uel secundo per se modo, non esse per accidens corruptibile, tamen falsum putatur si sit corruptibile negatiue, id est si sit non corruptibile, quia nihil in se habet, unde possit corrumpi. Sic apparet cum dicimus Corpus, quod in substantiae Categoria est genus ad corpus corruptibile & incorruptibile, scilicet ad Cęlos, Elementa, &c. esse negatiue incorruptibile, sed corruptibilitatem sumit ex differentijs; ergo quamuis uniuersale sit non corruptibile, tamen nihil impedit, quin per accidens habeat, & in singularibus, tanquam ijs, quę sola generantur, & corrumpuntur; Philosophus uero Primo Poster. & Decimo Metaph. illud indicat, quod est ex internis principijs, contra Platonem dicentem Ideas quia sunt a materia abiunctę, incorruptibiles esse. Verum hęc solutio, ut ut sit ualde frequens, ta-

Altera Opinio.

Dubitatio

Generalis solutio.

Deseritur

tamen haud nostram Mentē liberat,sed potius includit,per quod ipsa tardetur.Etenim prima Materia est per se incorruptibilis,nec quidem negatiue;huius rei ratio occurrit,quando omne Ens in rerum Natura est per suam essentiam determinatum, sed differentiam seruat,ex qua incoruptibilis constet,at per accidens corruptibilem uocat.Decet id uidere Septimo Metaph.tex. 53. quo loco rationem promens,cur substantias singulares sentientes nec Definitio,nec Ostensio attingat, inquit ex materia fieri, quam adiunctam gestant,cuius talis est conditio;ut esse &non esse contingat. Quod uero nequit corrumpi,nec generari, ualde nobis probatur, quando omne quod fit,ex materia prodit,& quod interit,in materiam definit;quare si hæc oritur & occidit ex ipsamet fiet,ac proinde erit antequam fiat,& in eandem resoluetur,atq;adeo erit corrupta antequam corrumpatur,&quamuis sit corrupta,attamen erit,quod maxime repugnat.Præterea Primo Phys.82.docet Materiam partim gigni,partim autem non gigni.Et quidem respectu potentiæ,quæ eius est essentia,nec oritur,nec etiam interit; at in ordine ad priuationem quam adiunctam retinet, cum hæc, & illa priuatio varientur,materiæ natura manente, non solum dicenda est nasci,sed etiam emori. Quod autem spectat ad exemplum negamus verum esse,nec corpus est vniuocum,ac indifferens ad corruptibile & incorruptibile,sed ab vno;nec substantiæ Categoria, si Philosopho credimus,substantiam habet tanquam primum genus ad corpoream, & incorpoream, nec corpus ad corruptibile, & incorruptibile, velut quid superius,sed primum erit genus corpus corruptibile. Potest ex pluribus cerni,sed præsertim ex Decimo Metaph. textu 12. quo loco id testatur. Deinde vniuoca natura est maxime vna,& eadem in omnibus,at hæc eadem principia optat,illa vero Cæli, ac mortalium sunt diuersa; sic tertio de Cælo textu 61.affirmans æternorum æterna, mortalium mortalia esse, ob quam rem nec eadem natura, sed vt principia sunt eadem solum ab vno vnitate,sic ipsa natura erit vnitate ab vno. Ex quibus renidet positiue incorruptibile,simul corruptibile esse, nimirum per accidens. Ergo vt difficultas tollatur est obseruandū dictionem,per accidens,dupliciter accipi; vno modo quasi idem designet, ac raro,& contingenter;altero vero per aliud, & quod aliquid in eo corruat: primo pacto concedimus per se incorruptibile haud esse per accidens corruptibile, postremo negamus, sed clare Philosophus concedit,cum præsertim illa, quæ hac via sunt cor-

Primum in substantia Categoris Corpus corruptibile.

corruptibilia, ſemper talia exiſtant, vt de prima materia, in qua ſemper priuatio interit.

FINIS.

GREGORII FANTII PHILOSOPHI

IN LIBROS POSTERIORES ANALYTICOS PRAELECTIONES.

OMNIS Doctrina, & omnis Disciplina Διανοητική, ex praecedenti fit cognitione. Manifestum, autem hoc speculantibus in omnibus. Nam & Mathematicae inter scientias hoc modo acquiruntur, & aliarum quaelibet Artium. Similiter autem & in Rationibus se se res habet tum iis, quae per Syllogismum, tum iis, quae per Inductionem, nam vtraque per praecognita Doctrinam faciunt; illae quidem accipientes tanquam a cognoscentibus, hae vero ostendentes vniuersale propterea quod notum est singulare. Eodem modo etiam Oratoria persuadent, vel enim per exempla, quod est Inductio, vel per Enthymemata, quod est Syllogismus. Contex.1.

PRAELECTIO PRIMA.

PROPOSITIONEM EXPONENS, ET eius Confirmationem.

ILLVSTRIS sane Positio, & quæ mirum bonum seruat Auditores, quod viri Sapientes testantur, qui nobis non solum acute, sed etiam diligenter exprimunt. Quanquam nescio quo pacto contingit, vt ex quibus plurimum commodi haurimus, in illis aliquid laboris cernamus. Ac sæpe cogitantes quæ maxime ad intelligendum viam placidiorem sternunt, plane tribus videntur comprehendi. Et quidem vnum Ingenium putatur. Alterum inuictus Labor. At postremum conspicuus rerum Ordo. Prima quando minus in Vobis optamus, sed feliciter excellunt; vltimum quod ad nos pertinet, quam paucis proponetur. Ergo initio, textus ad superiora iungentes, cum ab hoc vix Institutum separes, talem modum seruabimus, vt simul hæc duo explanentur. Præterea in partes secabitur, nec quidem omnes, sed præcipuas, nimirum eas, quibus nequit Intelligentia obrui, sed foueri. Tum singulas expendemus. In quo liceat paulum pro tempore morari. At cum sit nihil sic firmum, quod ab acerrimis Ingenijs non vexetur, nihil sic apud Philosophum vulgare, quod emolumentum non habeat; postremum sæpius tentabitur, vt quandam difficultatem tollamus, vel saltem notatu digna legamus, aut certe præstemus vtrumque. Et hoc pacto veritas splendidior fulgebit, atque adeo notescet Philosophi Dogmata iactari sane posse, conuelli non posse. Sed iam ingrediamur. Cum antea de Syllogismo in vniuersum egisset, illius conditiones, & attributa contemplans, modo ad Ostensionem properat tanquam Syllogismi finem, & in cuius gratiam adhuc omnia tradita declarantur. Verum quid nam hoc textu designet, quidue sibi propositum habeat nec satis Interpretes concordant; & difficultatem præfert. Nos missis pluribus, quæ solent circa id sumi, vti forte parum dispositis, illa breuiter tangemus, quæ videntur negocium iuuare. Quare est obseruandum sic Philosophum solitum aggredi dum tractatus initium mo-

Ordo retinendus.

Connexio.

Institutū.

Tripliciter Philosophus Orditur.

molitur, vt tripliciter viam consternat. Et quidem Primus modus existit ea proponens, quæ sunt in progressu disputanda. Tali pacto primo Periherm. se gessit. Postea illa repetens, de quibus prius disseruit; sic ex primo Meteor. & 2. Cœli notatur. Tertius initium sumens ab vniuersali Positione, quæ vel pluribus Scientijs competat, vel præsertim ei, quam præ manibus tenet, vel saltem vni Disciplinę, aut Tractationi. Et hæc ratio existit cur Physicorum Principium tali modo sumpsit, vt in omnes Scientias penetret. Et cum Metaphysica circa summas causas versetur, atque maxime sciat, celebri Axiomate orditur, tanquam illo, quod potius ad Sapientiam spectat. Et primo Ethic. quia mores circa Virtutis bonum constant, quod omnibus præstans censetur; cum primis initium aptum selegit. & p. Cæli ab illa Positione, quæ toti Naturali Contemplationi est conueniens. Denique primo de Histor. Animal. ab eo, quod Tractatui maxime confert. Quæ cum ita se habeant haud decet nouum credere si in nostris libris initio talem Positionem effert, illam simul confirmans, quæ Ostensionis notitiam fouet. Nam si omnis doctrina, quam per Διανοιαν tenemus præcedentem notitiam optat, tanquam eam, ex qua ad nos accedat, quid nam erit de illa dicendum, quæ per Ostensionem aduenit, & in qua magis præcedens cognitio splendet? Atque hinc viam munit ad conditiones quærendas, quæ Doctrinam Ostensione præstant, atque adeo tenendum, quæ intellectiuam notitiam gignunt. In hunc modum apparet, etiam verum esse, quod Latini contendunt, aientes eo maxime dirigere, vt supponat, prorsus Scientiam dari, quod Protagoras, & alij Sophistæ negabant, & nouiter acquiri, contra Platonem præceptorem, necnon quodammodo probare, nempe, vt quasi ex fine, Ostensionis naturam vestiget. Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima positionem constituit. In altera confirmat. Quod attinet ad primam partem hæc ex tribus consistit, vt perfectæ positiones. Primum subiectum, alterum vero prædicatum; at postremum copulam vocant. Nos cum singula difficultatem claudant, omnia singillatim expendemus. Igitur quamuis satis pateat minus extremum esse, *Omnis Doctrina, & omnis Disciplina* *διανοητικὴ*, tamen quonam pacto sit sumendum haud prorsus apparet, sed valde Interpretes diffident. Quanquam solent conuenire vt cum Philopono credant, *Doctrina, & Disciplina,* idem re signare, & tantum ratione differre. Nam eadem cognitio qua

Diuisio.

Expositio.

Communis expositio.

a Doctore dependet, Doctrina, pro vt vero Discipulus recipit, Disciplina vocatur. Neque sane autoritas deest, cui solide nitatur, cum 3. Physicorum dicat eandem viam esse Athenis Thebas, quæ Thebis Athenas. At nos licet hæc vera putemus, si per

Euersio. se vsurpentur, tamen haud credimus illi Positioni, quæ libri initio locatur, & mirum vsum gerit, synonimas voces inesse; cum præsertim sit tentandum, vt ab hoc viro pellantur, quæ inane otium

Propria expositio. præferunt. Quare censemus nihil aliud, *Doctrina*, præter scientiam notare proprijs viribus adeptam; *Disciplina*, vero ab alio paratam. Decet illo firmare, quia vt ex 3. de Anima, tex. 8. apparet, cum omnis notitia dupliciter fiat, vno modo Inuentione, altero autem Disciplina, vtrumque hic exprimitur. Sed maior difficultas adest in declarando quo pacto debet vox, Διανοητική, uerti, nunquid

Opinio quorundam. licet, *Intellectiua*, an, *Discursiua*, transferre. Quidam magnis lateribus contendunt secundo pacto accipi; nec solum in hoc quiescunt, sed addunt illo modo sumendam, ut talis Positionis subiectum notitiam designet, quæ Ostensione accedit, at prædicatum eam, quæ Principijs debetur. Ergo sic explicabimus. Conclusionis scientia, ex præcedenti Principiorum notitia pendet. Tanti vero hanc expositionem faciunt, vt plane cæteras temnant, quasi omni Methodo, & a uero alienas. Potest varijs probari, sed præsertim 2. Poster. Cap. ult. & 6. Ethic. Cap. 3. in quibus seipsum explicat.

Euersio. Verum hanc expositionem haud ualde tutam existimamus. Nam si parum notantur, quæ diuersis textibus traduntur, tantum abest ut tantas angustias perferat, ut amplum campum exoptet. Ac ut res probe fiat, primo tentabimus, ut appareat ad scientiæ Principia spectare, postea quoque ad finitionem. Quod minus accipimus tanquam sit concludendum illi per se deberi, cum ex primo Metap. tex. 48. sit notum, quo loco affirmat has tres notitias sub hac Positione esse, sed eo pacto, ut in præsentia competat. Neque sane quis uacillet, quia tali textu dum illam proponit, nusquam uox, Διανοητική, adest, siquidem nihil prohibet quin eandem notionem subeat, uel certe cum nostra conueniat, sed cum alibi alleget, nec hanc dictionem ponat, plane debet censeri. Et quidem si nostrum textum inspicimus, in quo illorum exemplum affert, quæ Inductione clarent, uix occurrit quo nam pacto fiat, ut notitiç Principia excludantur. Hoc idem primo Rhetor. Cap. 2. indicat, monens in Resolutorijs dixisse, quod uis uel per Syllogismum, uel per Inductionem patere; quç uerba

haud

Locus ex Aristotele retorquetur.

haud probe alteri, prçter hanc Positionem aptantur. Præterea illo 6. Ethic. monet alias, & in nostris libris docuisse; Omnem doctrinam ex prænotis manare, & uel ex Ratiocinio, uel ex Inductione, ac sane Inductionem Vniuersalis principium esse, at Ratiocinium ex Vniuersalibus pendere. Quare præsens locus, quem sibi ualde dispositum credunt, eorum sententiam exturbat. Quod uero finitionem innuat, licet breui uidere, quando sexto Ethicor. Cap. 3. docens finitionem ex prænotis fieri, ne forte nouum credatur, addit in Ostensionibus declarasse omnem Doctrinam, & Disciplinam in hunc modum habere. Quo loco prorsus nihil aliud, nisi nostros libros signat, & hanc positionem. Insuper 6. Metaphys. initio vocem, Διανοητικὴ, ponens, tali pacto accipit, vt etiam ad finitionem spectet. Neque vero ratio deest ad id firmandum; nam cum talium cognitio præcedentem notitiam optet, hic vero incumbatur vt horum cognitionem assequamur, certe minus se effert qua via sit putandum nihil ad hæc respicere, sed verius asseritur cum Principiorum notitiam, tum quoque finitiuam comprehendi. Quod si arduum videtur quia Sexto Top. & primo Rhet. tantum Ratiocinij, ac Inductionis meminit, ob quam rem posset dici, solum hæc attendisse, est obseruandum sic finitiuam notitiam esse, vt sub illa Principiorum constet. Nam præter quam quod Ostensionis sit Principium, si haud ex nostra infirmitate, sed ex sua conditione metimur, Inductione accedit. Et ex his refulget cur primo Metaph. 48. Inductionem non assignat. Cuius rei ratio censetur, quia cum ibi finitio sumatur, vt vtroque modo consideret, volens ei prænotionem dare, nullam aliam adscribit, nisi partium in ordine ad totam finitionem. Etenim hæc quouis modo accipitur, maxime est conueniens. Inductionem vero cæteris Principijs præter finitionem. At hic eam ex proprijs viribus pendens, nihil nostram debilitatem curans, onus in Inductionẽ refert.

Ad aliam autoritatem respondetur.

Nam quod spectat ad 2. lib. hic, Cap. vlt. ex quo colligunt, tantum scientiam notari, quæ in conclusione consistit, nobis nihil officit, qui censemus dum ait se, *In Demonstratione*, dixisse omni doctrina præxistentem notitiam requiri, minus sumendum quasi solam Ostensionem, sed eo pacto, vt Ostensionis Tractatum notet.

Propria sententia.

Quæ cum ita se habeant putamus vertendum esse, *Intellectiua*. Ac quamuis non sit negandum vocem, Διανοητικὴ, si ex eo metimur, quod est maxime competens, etiam vlterius extendi, nec solam mentis notitiam præferre, sed ex vno in aliud progressum, quod succe-

succedit dum a Principijs ad conclusionem pergimus, tamen nihil impedit quin latius sumatur, nec Philosophus errauit, qui in præsentia præstitit. Eo vero hanc dictionem addidit, quia cum quædam Animantes, quamuis rationis impotes, tamen disciplinæ Potentiam seruent, quod ex varijs enitet, sed valde ex initio Metaph. & primo de Histor. Animal. Cap.p. vult indicare haud omnem Disciplinam, sed tantum illam notari, quæ per Mentem adueniat. At de his hactenus. Sequitur, *Ex præcedenti fit cognitione*, quod reliquas partes continet. Et sane quot dictio, *Ex*, habitudines gerat potest breui cognosci si 5. Metaph. adimus, nec quicquam circa id occurrit, quod textu 29. non adsit. Nos quia forte superfluum esset, & quasi munus excederet, solum ea tangemus, quæ valde proposito conferunt. Igitur primus ordo potest ad materiam esse. Sic asseritur ex marmoribus domum fieri, & lateribus Arcem. Alter vero ad efficiens. In hunc modum habet dum ex Fabrolignario fit Cathedra. At postremus etiam ad materiam, nec quidem omnem, sed illam, quam intellectilem vocant. Tali pacto homo ex animali, & vitis ex corpore pendet. In pręsentia haud sane aliquod vnum, sed hęc omnia attendit. Ac certe quod Primum indicet, potest ijs deprehendi, quæ in nostris libris accipit, & secundo Physicor. textu 31. & 74. atque adeo 5. Metaphys. textu 3. Quod autem simul Alterum, præter dictos contextus, quibus clare elucet, alius locus se effert quinto Metaphysicæ 23. qui potest huc referri. Nam quod ad postremum pertinet, illud firmum censetur, quod ex 6. Topicorum, & etiam Metaphysices dedimus. Quanquam haud accipimus, quasi sic omnia respiciat, vt pariter attendat, sed illo sensu, vt diuersis rationibus. Et quidem dum respectu conclusionis sumitur, cum nihil in hac compareat, quod prius in positionibus non steterit, sed quæ Principia conflabant, in conclusione restent, minus est negandum materiam notare. At quia sic ex ijs conclusio pendet, vt diuersam essentiam seruent, nec rationem finis noscant, etiam efficiens signabit. Si vero ex parte Principiorum, cum hæc per Inductionem pateant, & ex singularibus pendeant, solum materiam insinuat. Quod si in ordine ad finitionem quouis pacto acceptam, nempe siue ex propria conditione, siue ex nostra tenuitate, intellectilem materiam notat. Sed cum præcedens cognitio tripliciter habeat; vno modo qua notitiæ principia significat, vti Axiomata, & id genus alia; altero vero pro vt cognitionis, ac rei, qualis finitio, & quæ-

Quot respectus, ex, præpositio hic seruet.

Præcedens cognitio tribus modis sumitur.

quædam partes existunt; postremo inquantum inuentionis, quod maxime singularibus competit, ex quibus vniuersale condimus, Alexander 4. Metaphysicæ, Com. 22. si tamen is Alexander, qui Peripateticum decus post Philosophum substinet de quo alias trademus, notitiæ Principia exponit, nec quidem omnia, sed Dignitates. Verum hanc opinionem haud plane tutam existimamus, nam vt suis locis patebit, hic etiam propria comprehendit. Verbum autem, *Fit*, ideo apponit, vt distinctius indicet Doctrinam nouiter acquiri, quod non adeo præstatur si alio tempore exprimitur. Potest vero hæc Positio credi dum illa prospicimus, quæ omnem Mentis notitiam continent. Ac vt res ex ordine agatur, Primo Inspectrix cognitio occurrit, quam Mathematicæ, & Artium nomine signat, & certitudinem præbet cum per Ostensionem pergit, quæ omni formidine est immunis; sane nisi hanc ex positionum prænotione, ac itidem eorum, quibus illæ dependent tenemus, nunquam ad scientiam venitur. Præterea elucet in Dialecticis rationibus, quę Syllogismo, & dialectica Inductione opinionem gignunt. Quo loco decet notare eo Philosophum testari, Dialecticam a noscentibus capere, quia ni positiones sic habent, vt sint quodammodo cognitæ, nunquam ad notitiam traducent. Ergo dum ait, *Tanquam a cognoscentibus*, non solum illarum notitiam, sed etiam assensum exponimus. Nisi vero sic dicatur, minus valent constare, quę in pręsenti traduntur. Et hęc ratio censetur cur dictionem, *Tanquam*, addidit, nimirum vt insinuet haud sic ad viuum secare, vt velit ab ijs dignosci, qui ad notitiam properant, sed plane satis esse dum per eos tradantur, qui antea comprehenderint. Vel ideo adiunxit ut Dialecticę conditionem innuat, quę cum haud rei ueritatem, sed tantum probabilitatem curet, ac proinde, nec completam notitiam, sed tantum umbram affectet, est concludendum suum munus explere, si per Positiones pergat, quę licet minus sint cognitę, tamen quasi cognitę habentur. Quod autem pertinet ad Inductionem, decet dupliciter sumere. Et quidem uno modo ex propria conditione, ac per se, alio uero in ordine ad necessariam materiam, & per accidens, Dialecticus dum ope Inductionis, ac per se opinionem tentat, non unum indiuiduum, sed omnia adunat, quæ sub uniuersali manent, quod intendit suadere. Quod si interdum cadit ut ex unici singularis comprehensu, statim uniuersale se exerat, est obseruandum haud posse Inductioni dari, tanquã illi

Alexãdri sententia.

Describitur.

Inductio dupliciter considera-tur.

illi, quæ tantis neruis non pollet, sed materiæ necessitati, cui Inductionem iungimus. Quare cum hic sic Inductio, ut ex propria conditione sumatur, dum ait, *Per id quod manifestum est singulare* tali pacto usurpamus, ut omnia singularia notet, ex quibus Vniuersale conflatur, cuius notitiam optat. Quod autem diximus de

Cont.2. Dialecticis rationibus, nempe ex præuia notitia pendere, simul ad Rhetoricos discursus pertingit, qui fidem Enthymemate, atq; Exemplo præbent. In quibus si probe cernitur, sic omnis Doctrina ex præhabita notitia manat, vt si eam linquimus, frustra Mentis cognitionem tentemus.

Cont.3. *DVPLICITER autem est necessarium præcognoscere alia nanque quod sunt præopinari necesse est, alia vero quid est quod dicitur intelligere oportet, alia vero vtrunque, vt quod de omni re verum est affirmare, vel negare, prænoscitur quod est; Triangulum autem quod hoc significat, vnitatem autem vtraque, & quid significet, & quod est. Non enim similiter horum*

Cont.4. *quodlibet est nobis manifestum. Est autem cognoscere, alia quidem prius cognoscentem, aliorum vero simul accipientem cognitionem, vt quæcumque sunt sub vniuersali, cuius cognitionem habet; quod enim omne Triangulum habet duobus rectis æquales prænouit; quod autem hoc, quod est in Semicirculo sit triangulum, simul inducens cognouit. Quorundam enim hoc modo est Disciplina, & non per medium, ex-*

Cont.5. *tremum cognoscitur, vt quæcumque iam sunt singularia, nec de aliquo subiecto prædicantur. Antequam vero sit inductum, aut acceptus syllogismus, modo quidem aliquo fortasse dicendum est scire, modo autem alio non. Quod enim non nouit an sit simpliciter, hoc quomodo cognoscere simpliciter potest quod duobus rectis æquales habet? Sed manifestum est quod ita quidem scit, quia vniuersaliter scit, simpli-*

Cont.6. *citer vero non scit. Si vero non, illa quæ in Menone est, dubitatio continget, vel enim nihil discet, vel quæ nouit. Nam non sicut quidam nituntur soluere est dicendum. Numquid scis omnem binarium esse parem, an non? asserente autem quendam binarium attulerunt, quem non arbitrabatur esse, proinde nec esse parem. Soluunt autem dicentes non omnem se scire binarium esse parem, sed quem norunt binarium esse. At qui sciunt quidem cuius demonstrationem habent, & cuius acceperunt, acceperunt autem non de omni, de quo sciant, quod Triangulum sit, vel quod numerus, sed simpliciter de omni numero,*

&

& triangulo. Nulla nanque propositio talis sumitur, quod quem tu nosti numerum esse, vel quod tu nosti recti lineum, sed de omni. Sed nihil, vt opinor, prohibet quo minus id quod aliquis discit, ille tum sciat tum ignoret; non est enim absurdum si modo quodam nouit id, quod discit, sed si sic, vt qua ratione discit, etiam eadem noscat.

PRAELECTIO II.

CIRCA EANDEM POSITIONEM versans.

QVAMVIS Philosophus inducens, illam positionem firmarit, tamen nisi aliqua addantur, ob confusam prædicati notitiam, prorsus nunquam pateret, sed in incertis volueremur. Id in præsentia cernens, eo maxime se occupat, vt omnia inclareant, quæ valēt obscuram reddere. Contextus in tres partes diuiditur. Et quidem in prima ad Positionem exprimendam incumbit. In altera exemplis illustrat, In tertia dissoluit cauillos, qui illam oppugnabant. Quod attinet ad primam partem, licet satis Interpretes de consilio concordent, tamen quo nam pacto id fiat, quidue maxime expenditur, haud parum dissentiunt. Et sane quidam affirmant, duo præsertim attendi. Vnum est ostendere quæ nam sint reputanda, quæ in quouis discursu debent prænosci. Alterum vero ex prænotis prænotiones inferre; vt si sit probandum rationalem animam immortalem esse, primo ipsum subiectum, vel vt Græci appellant, quæstionis datum prænoscemus, deinceps autem prædicatum, quod quæsitum vocatur. Sed cum quæstio proposita, sic conclusio euadat, vt ab ea solum ratione distet, etiam debent Principia prænosci, quibus conclusio probatur. Et hac via tria erunt antea noscenda. Nam quod ad prænotiones pertinet, ex quibus prænota prænoscuntur, aiunt alio modo subiectum, alio prædicatum, alio positiones prænoscenda esse. Et quidem de Primo quid nominis, & an sit, de alio tantum quid nominis, at de vltimo an sit. Quamquam minus intelligunt, quasi possit simplex an sit accipi, sed in eum sensum, vt compositum denotet, id est nunquid veræ, an non

Connexio

Institutū

Diuisio.

Expositio.

opinio quorundam.

B credantur,

credantur; quod ex eo apparet, quia positionum esse, in solo vero consistit. Atque hinc refulget omnes Positiones ad duo genera traduci, sub quibus cæteræ manent. Licet hanc sententiam fulcire, quia cum Philosophus inquit illius Axiomatis, *de quouis verum est asserere, vel negare,* prius, quod, noscendum esse, vix occurrit quo modo aliud, præter positiones notet. Hoc idem testamur de Triangulo, cuius nomine prædicatum, atque adeo de Vnitate, per quam subiectum indicat. Neque sane ratio deest, in qua nitatur; Nam nisi sic assumitur, minus recte progressio haberet, nec plene verum tenebit. Quod ex eo probatur, quia præter quam quod nihil se effert ante Ostensionis fabricam noscendum, nisi ea, quæ diximus, inferius concludit illam ex immediatis componi. Verum hanc opinionem licet quidam ex Neotericis non admittant, sed a textu alienam putent, tamen dicunt per se veram esse. Nos vtrunque negamus. Ac sane quod nequeat textui quadrare, decet facile cernere, quando nimis durum esset de principiorum Ostensionis agere notitia, cum ne adhuc verbum de Ostensione, nec illam posuerit dari, quod necessarium videtur. Libet quoque addere, sic diuidentem gerere, vt semper subiectum supponat, quod diuisionem patitur. Ergo nequit Ostensio diuidi, ni prius sumimus esse. Quod vero nec per se verum obtinet, textu 73. promit, in quo testatur de Principijs non solum quod sint, sed etiam quid significent ponendum: at si hic per hanc Dignitatem innuit principia, erit mancus censendus, cum tantum de an sit meminerit in ordine ad positiones, quibus vtraque debetur. Quæ cum ita se habeant magis tutum est credere, nihil aliud in præsentia, nisi prænoscendi modos euolui, nec sane determinate, sed in ordine ad omnem Mentis notitiam, modo antea notato; postea vero suis locis Ostensioni aptabit, scilicet cum illam concluserit esse, ac proprium finem ascripserit. Nam cum hic prænotio secetur, de qua in Positione meminit, hæc vero omnem Mentis notitiam claudat, videtur dicendum, etiam in præsenti haud definire vnam, sed omnes indistincte sumere. At cum omnis prænotio sic iunctam gerat cognitionem, vt nequeat ab illa diuidi, sed in sui ratione concludat, haud debet ab re credi si noscendi modos tangamus. Possunt autem ad quinque traduci. Et quidem Primum locum vendicat quid nomen significet. Alterum vero an sit. Tertium quid sit. Quartum an tale sit. Quintum propter quid tale sit. Ergo dum aliquid volumus de aliquo quærere, primo noscendũ se offert quid illius

Quorundam Concilium.

Euersio.

Propria sententia.

Quot sint cognoscendi modi.

illius nomen significet; cum vero fuerit notum, tunc quod sit scrutamur; quo cognito, tunc ad tertium pergimus, quid sit vestigantes. Et hac via essentialis finitio patet, quam nunquam decet venari, nisi quod sit prænoto. Vbi substantialia patuerint, id perpetuo tenendo, vt Naturæ ordo seruetur, continuo respicimus, quæ respectu essentiæ competunt, ac vbi comprehenditur inesse subiecto, vltimo rationem quærimus, propter quam inhæreant. Hisce in hunc modum notatis, licet breui prænotiones tenere; nam quiuis horum modorum ex parte consequentis sumptus, recte prænotio dicitur, qui autem succedit, in ordine ad antecedentem Quæstio. Quare sic prænotiones se gerent, & illam habitudinem habebunt, vt præcedens quasi necessaria dispositio, semper sequentem respiciat. Et ex his fit notum quid nominis cognitionem haud inter Quæstiones, sed in Prænotionibus reponi; at contra propter quid, nunquam prænotionem, sed semper quæstionem esse. Huius ratio putatur, quia primam nulla prænotio præcedit, postremam nulla quæstio sequitur. Ergo tantum Quatuor Prænotiones erunt, quas hic ad duas traducit, nimirum quod sit, & quid sit. Et sane vltimæ appellatione non solum quid nominis, sed etiam quid rei prænotio; at primæ non modo simplex, sed pariter complexa signatur. Possunt autem adhuc tradita tribus exemplis exponi. Ante omnia se effert, De quouis verum est asserere, vel negare, tanquam illo, de quo quod prænoscimus. Præterea Triangulum, de quo quid significat. Postremo Vnitas, de qua vtrumque. Quanquam debet aduerti, quod etiam supra diximus, nullum ex Exemplis sumi quasi ad Ostensionis partes arctetur, sed tali pacto, vt sic prænotiones tangat, vt permixtim in omnes penetret. Eo vero hæc adhibet, quia vel de ijs erant, quæ per se omnibus patebant, vel circa illa versabantur, quæ ijs temporibus vigebant. Et hæc ratio existit cur ex diuersis scientijs seligat. Nam primum quamuis ad Metaphysicum spectet, tamen cum nullus mentis compos se dedat, quod secum e domo non afferat, sed homines sequatur, merito hic vsurpat. Hoc idem censemus de Vnitate, quam ab Arithmetico desumpsit, & ab omnibus comprehenditur. Quod si Triangulum haud prorsus notum apparet, decet attendere, illo loco a Geometra poni, vt nihil possit notius esse. Quare licet asserere hæc tria Exempla, tanquam ex se clara proponi. Atque hæc de altera textus parte satis sit indicasse. Superest tertia pars, in qua dubitationes euertit. Nam nisi post positionis declarationem, etiam illa

Quotnam sint prænotiones.

tollantur, quæ totis viribus petunt, omnis labor mancus restaret. Nos hęc paucis tangemus, tantum ea libantes, quæ ad rei notitiam promouent. Et quidem duo se Cauilli offerunt, vnus a Sophistis inuentus, alter apud Menonem illustris. Ergo Sophistæ hominem inuasi, qui Conclusionem ostendisset, vt omne Triangulum duobus rectis æquales habet, ab eo petebant nunquid crederet hanc conclusionem nouisse, vel fine fuisse destitutum. Si primum, statim proprias manus aperiendo, quibus Triangulum latet, Sic occurebant, hoc est Striangulum, & nesciebas, Igitur etiam nesciebas rectis æquales habere. Quare idem sciebas, ac ignorabas. Et Sane primum, quando asseris te plane noscere omne Triangulum tres habere, &c. at postremum, quia de hoc Singulari nesciebas. Et hoc pacto rerum vexatur perfecta cognitio. Nos vt nodus soluatur; illud antea ponamus, aliquem dupliciter noscere; vno nodo, *prius alia noscentem*; alio vero, *simul quorumdam sumentem cognitionem*; primum contingit cum vniuersale, ac Superius patet; vltimum si inclarent, quæ sub vniuersali, & superiori manent. dum Sophistæ addunt id, quod In manibus latebat est Triangulum, tamen tibi occultum erat, dicimus hanc minorem ante manus apertas, plane ignotā esse, nec apparere quo pacto quicquam discatur, ni sit quodammodo notum, Sed negamus, prorsus conclusionem nesciri, nempe, *quod duobus rectis æquales habet*, Sed potius asserimus partim notam, partim ignotam esse Et quidem postremum distincta, ac perfecta notitia: at primum confusa, & imperfecta, id est qua sub maiori, ac vniuersali constat. Cuius rei ratio se offert, quia cum conclusionis cognitio, etiam a minori procedat, vix occurrit qua nā via contingat vt plene conclusio noscatur ni plene minor sit nota. Quod si haud sic pergimus, sed diuersis responsis dediti, aliter uitamus, vel nunquam nodus soluetur, & erit concedendum nullo modo scientiam dari, quod Sophistæ contendunt, vel saltem nihil aliud discemus, præter illa, quæ nouimus, quod Plato affirmabat. Sic autem progreditur, illius exemplo, qui a domino fugisset. Nam dum fuerit seruus notus, tute poterit comprehendi, haud tamen ni prius patuerit; quod ex eo renidet, quia dedecet testari, plane eum esse, qui in fugam se dedit; sed vt nulla cognitio adest, sic semper incerti pendemus. Idem in Virtute cadit tanquam illa, quam nunquam licet tenere, nisi prius habeatur. Et hoc pacto omnis nostra cognitio nihil, præter reminiscentiam erit, quod facile vitamus, Si tradito responso nitimur.

Sophistarū Cauillus.

Confutatio.

Platonis Cauillus.

Quod

Quod vero nequeant trudi aliæ Machinæ, satis decet videre cum cæterorum solutio notatur. Nam dum quidam concedunt, *Haud verum esse se scire omnem binarium esse parem, sed quem norunt binarium esse*, Certe nihil afferunt, quod possit vero quadrare; quod ex eo fit notum, quia, *Illud quidem sciunt, cuius habent Ostensionem, & cuius sumpserunt, at non de omni, de quo sciunt, quod Triangulum, vel Numerus sit. sed simpliciter de omni Numero, et Triangulo sumpserunt*. Potest ratio censeri, quia nulla sic Ostensio positiones, quasi determinate sumat, sed tali modo, vt simpliciter, ac in vniuersum, ex quibus pariter conclusio infertur. Quo loco attendimus sic interdum Philosophum gerere, vt de Triangulo ad Numerum pergat, interdum vero permixtim proferat, nempe vt appareat, idem responsum vigere cuius rei addictum. Quæ cum ita se habeant haud est inconueniens nos sic aliquid discere, vt ex parte noscamus, at ex parte ignoremus. Et quamuis inter simpliciter Scientiam, & simpliciter ignorantiam pugna consistat, nec queant simul stare, tamen nihil prohibet quin secundum quid cognitio, & ignorantia secundum quid iungantur, sed tantum id negatur, vt qua ratione quis discit, etiam eadem noscat. Verum posset opponi propter id, quod Philosophus adduxit; nam parans cauillis occurrere, illud prius constituit haud necessum esse, vt ad omnem notitiam alia præuia cognitio adsit, sed quædam simul comprehendi, quod dictum sic exponunt vt minorem, & conclusionem notet, & si minor sit singularis, tanquam illa, cum qua simul tempore conclusio se effert. At contra apparet, quia asserimus Mentem successiue a positionibus ad conclusionem progredi, ergo videtur dicendum, etiam eodem modo intelligi positiones; quare nunquam aliqua ex his cum conclusione patebit. Hoc idem confirmat, quod 2. Topicorum asserit, quo loco admonet, nunquam simul plura nosci, minor vero, & conclusio sunt plura, Neque sane quis contendat, se scrupulum vitare si concedit, plane absurdum esse, plura, qua talia simul noscere, at id non succedere dum sub vnius ratione noscantur, quo pacto de minori, & conclusione credunt; Vel certe aliud Naturæ instans, aliud vero Temporis dari, quod duo Naturæ instantia seruat, cum minor vltimo modo sumitur, vna cum conclusione patere, at si primo, tunc non posse præstari, sed aliud minoris, aliud conclusionis instans esse; Vel demum quod alij asserunt dictionem, *Simul*, continuum tempus significare, quia statim ac minor comparet, prorsus nullo interiecto, sed

Dubitatio

Prima Solutio.

Secunda Solutio.

Tertia Solutio.

sed eodem temporis tractu,sic conclusio erumpit, vt nequeat alio Mens duci,nec effectus impediri, quod in maiorem non cadit, sed huius positione nec necessario minor, nec conclusio emergunt. Nam si distincta notitia cōclusionis,distinctā positionum notitiam optat, si distincta notitia positionum diuersum conceptum habet a conclusione, minus occurrit, quod nam effugium restet ad tutandum minorem,ac conclusionem sub vna ratione nosci. Nisi forte affirment sub discursus ratione comprehendi: quæ responsio quantis neruis polleat,decet nos videre, quia dum a positionibus ad conclusionem pergimus, haud sic in Mente progressus manet, vt sub discursus ratione cernatur,sed alio pacto maior, alio minor Intellectum,alio conclusio informant. Libet quoque addere, itidem maiorem positionem sic esse,vt sub eadem discursus ratione constet. Quod autem pertinet ad instantia, & ad continuum tempus, quo conclusio, & minor iunguntur, valde se textus opponit cum ait, *Quorumdam vero simul sumentem cognitionem*, Et infra paucis mutatis, *Nam quorundam hoc modo est Disciplina, nec per medium, ext. emum noscitur*; quibus verbis renidet omnem notitiam explodi, quæ ex medio aduenit. Quamuis autem eodem Temporis instanti, vel continuo tempore minor, & conclusio patent,tamen cum minor sit medium ad conclusionem siue singularis,siue sit vniuersalis,sane minus contingit absque medio conclusionem nosci. Quæ cum ita se habeant, nec in aliorum dictis se dedat, in quo tute sistatur, dum Philosophus ait, posse,*Aliquorum simul notitiam sumere,vt quæcumque sunt sub vniuersali, cuius cognitionem tenet*, sic accipimus, quasi nihil aliud denotet, nisi cum aliquod vniuersale noscitur, etiam simul comprehendi, quæ sub illo vniuersali manent; quo posito, statim ad cauillum descendit. Ideo vero addit post huius dicti repetitionem, *Vt quæcunque iam sunt singularia*, Quando super ipsis cauillum fundarat. Quare dictio,*Simul*, prorsus idem indicat, ac eisdem Principijs, quibus vniuersalis cognitio pendet, itidem illa dignosci, quæ sub tali vniuersali constant. Et hoc modo haud omne inter medium, sed distinctum excludit. Atque hinc refulget, quam apposite cohæret dum inquit, *Simul Inducens cognouit*; Quod secundum alios, vix locum tuetur, & contextus admittit. Præterea sit notum, nihil de minore dicere, quod vna cum conclusione pateat, cum nihil ad eius institutum, sed frustra ab Interpretibus quæri.

Euersio prima.

Euersio secunda, & tertia.

Propria solutio.

Sci-

SCIRE autem arbitramur vnumquodque simpliciter, sed non sophistico modo, qui est secundum accidens, quando & causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, quod illius sit causa, & quod aliter hoc se habere non contingat. Manifestum autem quod aliquid tale est ipsum scire, Nam tum illi, qui non sciunt, tum illi qui sciunt, illi quidem ita esse putant, qui vero sciunt, non solum putant, sed etiam habent. Quare id, cuius est Scientia simpliciter, aliter se habere non potest. An vero alius quoque detur Sciendi modus, posterius dicemus, dicimus autem, & per Demonstrationem cognoscere. Demonstrationem autem dico Syllogismum, qui scientiam parit, secundum, quem eo, quod ipsum habemus scimus. *Cont. 7.* *Cont. 8.*

PRAELECTIO III.

SCIENTIAE DEFINITIONEM, TVM Demonstrationis tradens.

ILLO probe stabilito, omnem Mentis cognitionem ex praeuia notitia fieri, in quo simul scientia consistit, quae per ostensionem venit, adhuc de ostensione aggreditur, minus quidem omni, sed nobilissima, scilicet vt per illam ad nobilissimam Scientiam tendamus. Ante quam vero id praestet, cur Scientiae finitio tradatur, nonnihil Interpretes dissident. Et sane Ioan. Gram. duplicem rationem affert. Vna est Scientiam, Ostensione magis notam esse, at ex primo Phys. textu 2. monemur initium sumendum a nobis notioribus, quare probe a Scire finitione orditur. Verum quamuis haec ratio possit per se vera dici, tamen hic nunquam admittimus. Nam licet Scientia magis sit nota, quam Ostensio, tamen dedecet ex hoc, sic ad Ostensionis conditiones progredi, quasi possint rite teneri; Alioquin succedet, etiam semper fieri, vt dum aliquid sit alio notius, statim eius naturam exprimat. Alia ratio existit, quia cum ex primo Phys. textu 4. prius sint vniuersalia noscenda, Scientia vero appareat vniuersalior, quod praesertim fit notum, quia ab Ostensione ad Scientiam valet consequentia, haud contra, *Connexio.* *Institutio.* *Prima ratio Philoponi.* *Refellitur* *Altera ratio.*

iure

Refellitur iure huius notitiam præponit. Nec etiam hæc animum implet. Nam præter quam quod idem nodus stringit, certe nec verum continet. Potest nobis deprehendi si textum octauum consulimus, quo loco ait se tantum Scientiam signare, quę Ostensione accedit. Ergo nunquam sequetur, magis late patentem esse, sed potius inuicem conuerti. *Propria ratio.* Quæ cum ita se habeant est obseruandum, quæ prorsus ad finem dirigunt tali pacto esse, vt omnes conditiones, a quibus substantiam sumunt, ex fine dependeant; ex quo contingit, vt nequeant recte nosci, ni prius finem tenemus. Et hæc ratio censetur, cur Scientiæ finitionem tradit; nam si cognitio in ijs, quæ causam obtinent dependet a causa, si Scientia, sic causa existit, vt eius gratia sit Ostensio, sane haud se effert quomodo licet naturam Ostensionis consequi, ni prius Scientię quiditas claret. *Diuisio.* Contextus in tres partes diuiditur; Et quidem in Prima significat, quid per Scientiam notet. In altera eius tradit finitionem. In tertia Ostensionem definit. Quod attinet ad primam partem, *Expositio.* cernens Philosophus Scientiæ nomen pluribus modis sumi, nec quicquam plene casurum, nisi prius pateat quo modo sit vsurpandum, eo institutum seruans, sæpe ab ipso notatum, vt quæ sunt multiplicia, & ad plura pertingunt, antea distinguantur, volens Scientiam definire, ante quam id præstet, illo se occupat, vt distincte splendescat, quam scientiam innuit. Sed quamuis hæc certo credantur, tamen quis dubitabit quid hic maxime denotet cum ait, *Scire autem arbitramur, vnumquodque simpliciter, sed non Sophistico modo*; *Communis expositio.* Interpretes exponunt, plane idem, *Scire simpliciter*, ac perfecte signare, at, *Sophistico modo*, Imperfecte. Et quidem primum quasi apertum ponentes, sic alterum confirmant. Nam cum id Scire sit secundum accidens, illi est aduersum, quod per se appellant, tale vero est scire perfecte, Ergo, *Sophistico modo*, Est imperfecte. Verum hanc opinionem haud valde tutam existimamus. *Reijcitur.* Ac quamuis dedecet negare verba, *Sophistico modo*, alias ample accipi, & omnem imperfectam notitiam claudere, tamen nihil adigit cur sic debeant hic sumi, vt proprium significatum linquant. Libet etiam addere, frustra posita censenda; nam si simpliciter Scientiam notat, id est, vt isti declarant; perfectam Scientiam, & id stabilit intelligere; quam ob causam addidit, haud sophisticum scire notare? *Ipsius scire triplex diuisio.* Quare asserimus Scire in vniuersum, tripliciter accipi; Vno modo ex parte propriæ, & nobilissimæ Scientiæ; Alio vero, respectu non adeo propriæ, ac necessariæ,

De-

Demum in ordine ad apparentem, & captiosam. Dum Philosophus ait, *scire arbitramur simpliciter*, ab illo secundi modi separat, tanquam eo, quod tum secundi gradus Ostensiones, tum illas ab effectu, & dialecticam notitiam seruat; cum autem addit, *& non sophistico modo*, tunc Tertium excludit, quod tantum apparentiam præfert. Postquam fuit detectum quo pacto ipsum scire, siue Scientia, quippe idem indicant in præsentia sumatur, tute ad finitionem accedimus, aientes nihil aliud esse, nisi *quando causam arbitramur cognoscere propter quam res est, quod illius sit causa, & quod aliter hoc se habere non contingat*. Licet vero Alexander dicat hanc alias afferri, tamen haud verum credimus, sed tantum eam effinxit, quæ tot conditionibus non pollet. Vt autem inclareat & obseruandum tria in illa comprehendi. Vnum existit, *cum & causam arbitramur noscere propter quam res est*. Alterum vero, *quod illius sit causa*. At postremum, *quod aliter hoc se habere non contingat*. Primum generis locum vendicat. Cætera vicem differentiæ. Quod attinet ad primum, quidam illud exquirunt, quid nam maxime adigat, vt causam singulari numero exprimat. Putant vero satisfacere si respondent ideo fieri, quia vt non sit negandum plures posse vnius dari, tamen solum est vnica, cui proxima competat esse, & quam sic primo affectio respicit, vt simpliciter pendeat. Et hæc ratio censetur cur hanc volens notare, tanquam illam, quæ vere facit scire, tantum singulari numero dixit. Sed perpetuo timuimus num debeant hæc probari; nam, ut alibi patebit, nullum est absurdum si vnius effectus, sic plures causæ primæ, atque proximæ adsint, vt æque ad Scientiam ducant. Quare firmius est asserere, minus sic proferre, quasi nulla queat Scientia dari, quæ semper plures causas sumat, sed cum præstans Scientia, tantum vnam agnoscat, ipsæ vero hanc Scientiam signet, iure singulari numero ponit. Ideo autem addidit, *propter quam res est*, non solum vt insinuet de qua causa intelligit, sed etiam vt quasi det rationem, cur ad vnam coarctet, nempe quia tantum ab vna pendet affectio. At non satis est ad Scientiam, adhuc tradita conditio, nisi etiam addamus, *quod illius sit causa*, idest vt causa, qua talis cognoscatur, &, *quod hoc aliter se habere non contingat*. Quæ verba nonnihil Interpretes conturbant; nam cum non modo de re scita, sed queant de causa accipi, Latini ad primum traducunt, tanquam significet, quod simpliciter scimus, nunquam mutationem subire. Nos in causam referimus. Credi-

Alexander.

Opinio quorundam.

Desiritur.

Propria sententia.

Latinorum opinio.

Propria sententia.

Credimus autem tria notari. Et quidem Primum nihil aliud respicit, sed causam absolute sectatur, est vero, sic debere esse, vt etiam per se sumpta, simpliciter sit necessaria. At reliqua duo, respectu effectus competunt, nempe vt nequeat alia præstare, & necessario, ac semper producat. Quæ omnia, si probe cernimus, ad simpliciter Scientiam, & eius rationem spectant. Præter quam quod sic effectus necessitas signatur, vt à priori, & per causam fiat, quod minus succedit dum Latinis adhæremus. Quod autem hæc sit Scientiæ finitio, potest ex hominum consensu cerni; *nam tum illi, qui non sciunt, tum illi, qui sciunt*, omnes in hoc concordant, vt ipsius scire sit natura. Quanquam inter se dissident, quod qui nesciunt, tantum *putant sic esse*, quo pacto solum Scientiæ notionem, non Scientiam possident; at qui vere sciunt, *non modo putant* Scientiæ substantiam esse, sed simul hanc notitiam habent. Quo loco Interpretes admonent huius probationis robur non ex quibusdam hominibus, sed omnium consensu pendere. *Aliorum opinio.* Verum est cur aliquid dubitemus, nec potest comprehendi, eam omnibus hominibus niti; *Euersio.* cum minus appareat qua nam via homines, nunquam Disciplinas experti, sic Scientiam penetrent; cum præsertim si ab aliquo ex his quærimus, quæ sit scire natura censenda, tantum abest, vt dictas conditiones cernat, vt vix crasse, scire nomen teneat. *Themistij sententia.* Quare cum Themistio credimus, tantum homines notare, qui Scientiam profitebantur, licet haud omnes scirent. Neque sane Autoritates desunt, quibus posset muniri, sed ne nimij in re minima, solum vnum tangamus, ex quo expositio firmatur. Est vero octauus Metaph. textu 5. quo loco ex Alexandri codice materia, & primum subiectum ab omnibus conceditur, & omnes ut substantiam supponunt. Quæ uerba haud debent sumi, quasi omnes homines innuat, cum ne uerbum ab ijs, qui Disciplinas non sunt experti, sed ut Philosophus tradit, & Alexander explicat, tantum eos, qui Physica tractarunt. Et ex his colligimus, *illud, cuius est simpliciter Scientia haud posse aliter habere*. *Duplex expositio.* Quod dictum missis pluribus, quæ solent adduci, maxime dupliciter capiunt, Vno modo ut ex causæ necessitate in Scientiæ finitione tradita, pariter ad eam, quæ in effectu traducat; nam si causa nequit aliter habere, plane succedit, etiam affectionem pendentem, immutabilem esse. Alio uero ut deducat, id, quod simpliciter scimus si sit plene noscendum, nunquam alia uia, ni per causam dignosci, quo pacto fuit stabilitum. Et hoc modo finitionis firmitatem concludit.

dit. Nos utrunque probamus. At cernens Philoſophus, itidem alias notitias dari, ne aliquis putaret ſub hac finitione claudi, ideo ſubdit ſe tantum modum ſignare, *qui eſt per Demonſtrationem noſcere*. Quo loco eſt obſeruandum, ſummo artificio cauſæ nomen, in id demonſtrationis mutaſſe, nimirum vt paulatim ad eius eſſentiam inuitet, ac vt illam diſtinctè cernamus, à qua finita cognitio pendet. Sed cum Oſtenſionis nomen, interdum ad omnem Syllogiſmum ſpectet, vt primo Priorum, Sect. prima, cap. 25. vbi Alexander, & Sect. ſecunda, Cap. 3. & etiam primo de Anima, textu 48. nos hic vſurpamus tanquam nihil denotet, præter illum *ſyllogiſmum, qui Scientiam gignit*, ac perfectam Oſtenſionem. Et quidem primum, genus, & formam; reliqua finem, ac differentiam indicant. Quod ſi aliquis exquirit, quid hæc differentia contendat, *qui Scientiam gignit*. cenſemus, plane idem ſignare, ac *ſecundum quem, eo quod ipſum habemus ſcimus*. Sed quamuis hæc queant diſtinctè teneri, tamen cur hanc vltimam partem addat, cum valde omnia per ſe pateant, nec forte lucem afferat, haud omnes conueniunt. Illud plurimi volunt eo additam fuiſſe, vt exprimeret, Oſtenſionem minus principalem cauſam, ſed organicam Scientiæ eſſe, at Mentem primarium efficiens, quam ideo deſerit; vel quia ad Logicum non ſpectat, ſed eius munus excedit, vel quia aliquid habetur initio Periherm. Sed cum haud careat difficultate quod tanquam certum ſupponunt aientes, Oſtenſionem cum Inſtrumentis eſſe, minus ab re erit ſi id parum expendimus; cum præſertim ad illa conferat, quæ de Oſtenſione tradentur. Ergo quod Oſtenſio, tantum ad Inſtrumentum pertinet, decet pluribus videre, ſed maxime ex eo, quia Finis nequit eſſe cauſa primarij Agentis, ſed ſolum in ordine ad Inſtrumenta, quibus Agens operatur. At ſi Oſtenſio ponitur Scientiæ cauſa, minus verum apparet, ſed ipſa cum ſit finis, ſic circa Oſtenſionem geret, vt eſſe velut id cuius gratia dedat. Maiorem poſitionem non modo Autoritas, ſed etiam ratio confirmat. Nam 2. Phyſ. textu 29. monet ea finis gratia fieri, quæ inter efficiens, & finem conſiſtunt. At finis eatenus eſt cauſa, qua cuius gratia exiſtit, quod cum non aliter illi, niſi ex parte Inſtrumentorum competat, videtur dicendum, ſolum reſpectu illorum, haud principalis Agentis cauſam eſſe. Quod autem ad rationem ſpectat, ea valde præpollet, quando finis intantum primarij Agentis creditur cauſa, inquantum ad operandum inuitat, ſed omnis operatio rem in Natura ſupponit, quare illi nequit

Cur voce cauſa in eam, quæ eſt demonſtratio per mutet.

Aliorum opinio.

Quæſtio proponitur.

quit esse largiri, ac proinde Ostensio haud primum Efficiens, sed Instrumentum dicetur. Hęc idem Graeci testantur, tanquam ij, qui sic de Ostensione tractant, vt semper Instrumentum nominent. Sed semper timuimus num haec sint quasi fixa tenenda, vel certe vt infirma spernenda. Nos cum Philosophandi campus omnibus pateat illum libere vagabimur, solo erga verum amore ducti. Quare est attendendum Instrumenti nomen ad varia spectare, missis vero ijs, quae possent afferri, vt fuse ab Interpretibus 2. Phys. vel primo de Gener. expensis, tantum proprie acceptum sumemus. Et hac via patebit nunquid haec Ostensio sit vere instrumentum.

Excusatio.

Illud autem passim testantur, nihil aliud huius nomine, praeter illud notari, quod primarium Agens, ad suum munus usurpat. Huic tres Auerroes tribuit conditiones, quas solent Latini amplecti. Prima putatur, ut nunquam rei, quam conficit pars existat. Altera uero, ut statim ac sit opus expletum, ab eo se diuidat. At postrema si fuerit naturale, ut non solum intus, sed etiam extra pertingat, & ad omnem effectus partem, nempe illo contactu, quem uirtutis appellant. Sed ualde de hac Sententia ueremur, nec quicquam prohibet quin Artis instrumenta inter partes ponantur, sed interdum contingit, ut sint cum eis locandae. Nam quod pertinet ad illa Naturae, tantum abest ut possit absurdum dici, ut saepius liceat cernere. Hinc 2. de Gener. Animal. de partium ordine tractans in Animalis structura, expresse indicat uenam, & arteriam tum ad instrumentum spectare, tum quoque finis partes, ac totius fieri.

Aliorum opinio.

Auerroes.

Non probatur.

Ergo magis tutum est credere Instrumenti substantiam, illo maxime niti, vt aliquid alterius virtute praestet, & vt tota operatio, ab alio dependeat. Sic videtur Alexander innuere dum Quinto Metaphys. Com. 4. ait, Instrumenta qua talia, haud à se ipsis mouere, sed ijs primum Mouens causam esse. Id vero est indicium, si effectum, se ipso nobiliorem praebet, vel propriam conditionem excedit, nempe aliquid attingens, ad quod nullae vires essent. Et haec ratio censetur cur prima contraria dum respectu substantiae, quam generant sumimus, tantum debent Instrumenta dici; at si in ordine ad simile, quod efficiunt, tunc prima Agentia vocantur. Neque sane quis opponat, quod Franciscus Bonamicus summus Philosophus, & Praeceptor aiebat, haud recipiendum esse prima contraria ex parte qua simile gignunt, vt primaria Agentia facere, sed verius dicendum, accidentia nihil ex se ipsis, sed omnia tanquam substantiae instrumenta,

Propria sententia.

Franciscus Bonamicus.

ta,& illius viribus largiri;ex quo succedit, minus necessum esse, vt instrumentum propriam superet conditionem, sed satis illi erit si tale existat,& Principali congruat,vt ad opus obtinendum sumat. Nam dum id asserimus, vix occurrit, quo pacto licet tueri secundas causas in ordine ad Primam, à qua pendent,& diriguntur,sub proprio instrumento non esse, nec ipsius genere comprehendi; at qui Peripatetica sectatur, & talibus dogmatibus fauet, plane debet negare secundaria Agentia cum simile procreant, vel proprium effectum generant, in Instrumentis manere. In hunc modum homo quamuis ex parte Primi entis, & etiam Cælorum, Secundæ locum non renuat, tamen in homine condendo, primæ Causæ vendicat. Quare nulla certa via restabit,qua inter Instrumentum,ac primum Agens distinguamus. Hisce sic prænotis decet breui videre, quid sit de hac difficultate dicendum. Nam cum Ostensio nihil extra suas vires præstet, nihil semet illustrius agat,sed contra, vel effectum, vt credimus, præcellat, vel saltem æqualis sit præstantia,quod ex eo renidet,quia Principiorum notitiæ,quibus illa conflatur,nullam Philosophus præponit, sed nec etiam adæquat,videtur concludendum,non posse cum Instrumentis reponi. Præterea nisi id asserimus, haud quicquam se effert; ex quo regula valeat,propter quod vnumquodque tale, & id magis, per quam probat conclusionis notitiam, ab ea principiorum excedi, sed continuo dicent, Instrumentum suam naturam transcendere,nec quidquam adigere, vt tantam præstantiam optemus in Principijs. Et hæc omnia cum de exacta Ostensione, tum de omni propter quid declarant, & siue rebus addictis, seu auulsis sumantur. Nam quod attinet ad rationem, dum aiunt solum Instrumenta, haud Primum agens, à Fine pendere, eo libentius discrutaremur,quo solet breui concedi, & ab Interpretibus admitti, sed res admonet, vt in præsentia mittatur, & alienis temperetur, nisi summa necessitas cogat. Interim id negamus, aientes nihil impedire si interdum Primæ causæ præbet esse. Quod si 2. Phys. sic stabilit, quasi tantum intermedijs det esse, & solum respectu illorum sit causa, respondetur media inter Efficiens, ac Finem dupliciter sumi, vno modo in ordine ad primum Agens, a quo maxime actio pendet, alio vero ex parte finis, ad quem omnia collimant; primo pacto est concedendum Instrumenti vicem subire, siue proprij, siue improprij, at vltimo nihil cogit,vt semper Instrumenta putentur, sed possunt ad primum

Deseritur

Principales difficultatis resolutio.

Ratio aduersa diluitur.

mum efficiens ſpectare. Id in Oſtenſionem cadit, quæ cum a Scientia, vt proprio fine habet eſſe, ſtatim ipſam vt Prima cauſa gignit. Dum autem addunt, finem primi Agentis cauſam credi, quia illud ad opus inuitat, at omnis operatio rem in Natura ſupponit; dicimus tantum probare, nihil a fine præſtari, ni efficiens accedat, quod a fine mouetur, hoc autem Mentem credimus. Ergo dedecet inferre, ſic finem habere, vt nunquam primo Agenti det eſſe, ſed potius dicendum, cum eſt ſubordinatio, quæ in Mente, & Oſtenſione cernitur, optime præſtari. Nam hæc reſpectu Scientiæ cauſa remota, at Oſtenſio proxima cenſetur. Quod ſi Græci ſic de Oſtenſione tractant, vt ſemper Inſtrumentum nominent, haud negocium faceſſit, qui aſſerimus omnes Secundas cauſas poſſe inſtrumenta dici, quamuis vere ſint principales. Quare non longe errant dum Oſtenſionem in ordine ad Mentem, inſtrumentum vocant, quod etiam nos facimus, quæ per ſe eſt primaria, & Philoſophus notat cum inquit, *Secundum, quem eo, quod ipſum habemus ſcimus.*

Cont.9. *SI igitur eſt Scire, vt poſuimus, neceſſe eſt, & demonſtratiuam Scientiam ex veris eſſe, & primis, & medio carentibus, & notioribus, & prioribus, & cauſis concluſionis; ſic enim erunt, & principia propria eius, quod demonſtratur; Syllogiſmus enim erit, et ſine his, demonſtratio autem non erit, non enim pariet Scientiam.* Cont.10. *Vera igitur eſſe oportet, quoniam eius, quod non eſt, non eſt ſcire, vt quod diameter ſit commenſurabilis. Ex primis autem in demonſtrabilibus, quoniam non ſciet non habens ipſorum demonſtrationem; Scire nanque, quorum datur demonſtratio, non per accidens, eſt demonſtrationem habere.*

PRAE-

PRAELECTIO IIII.

DEMONSTRATIONIS CONDITIONES promens, & confirmationem aggrediens.

QVID debet præſtens Scientia cenſeri, quamue ſubſtantiam habet,ſatis pro re expreſſimus; Adhuc ſuccedit vt Oſtenſionis conditiones tradantur,quæ nequibant perfecte teneri, ni prius de Scientia pateret. Nam ſi ad ſimpliciter Scientiam, debent tot attributa coniungi, ſi talis cognitio, Oſtenſionis ope aduenit, pariter contingit vt Oſtenſio, illa materia conſletur,qua ad ſuum finem pertingat. *Connexio.* *Inſtitutum.*

Contextus in duas partes diuiditur.Et quidem in prima ex Scientiæ finitione tanquam fine,omnes conditiones profert, ex quibus Oſtenſio conſtat,per quam Scientiam habemus. In altera incipit firmare. *Diuiſio.* Quod attinet ad primam partem, haud decet ab re credere ſi ante quam propius accedimus;& arcte de Oſtenſione quærimus, Difficultas tangatur,quæ his temporibus inualuit; eo vero libentius facimus, quia apud doctiſſimos peruiget. *Expoſitio.* Eſt vero nunquid Oſtenſio,de qua in præſentia, & in cuius grátiam tot conditiones prodit,& ſic acriter ſe gerit,interdum actu exiſtat,vel certe nunquam ſe dedat. *Quæſtio proponitur.* Ac licet poſſet opponi, quaſi de libri Subiecto ambigamus,an ſit veſtigantes,cum Philoſophus moneat de Subiecto quid nominis,& quod ſit prænoſcendum,tamen decet attendere, id dupliciter accipi; vno modo tanquam nihil aliud notet, niſi an in terminis ſit contradictio, ac proinde num queat probe concipi; alio vero an in Mundo conſiſtat. In rebus neceſſarijs, & quæ Inſpectices Scientias præbent,prorſus ambo poſcuntur;at in contingentibus,ex quibus Artes pendent, haud neceſſarium dicunt,ſed tantum primum optant. Ergo ponentes,nullam in terminis contradictionem eſſe,& hac via Oſtenſionem dari,tute difficultatem adimus. Et ſane quidam contendunt,minus aliam ſedem,niſi in Idea habere,ſed cum Policleti ſtatua, & ſano corpore Galeni; vel cum Ciceronis Oratore, ac Platonis Republica triumuiratum agere, ab hominum conſortio immunem. Eo vero *Opinio quorumdam.*

ro hanc proponere, vt ſit quaſi Exemplar, ad quod cum intuentes nitantur, ipſum pro viribus ſectando, tum quoque Oſtenſiones, quas conflant menſuret, ac proinde notitiam, quæ ab illis dependet. Neque ſane quis credat, haud recte Philoſophum gerere, dum in medium affert, quæ humanam ſortem excedunt, ſed cum omnis potentia ex maximo æſtimetur, quod primo Cæli, tex. 116. apparet, niſi adhuc præſtaret, tantum abeſt vt eſſet laude dignus, vt omnes mancum putarent, tanquam illum, qui de Oſtenſione tractans, eam maxime deſerat, quæ præ cæteris primatum ſeruat. Quod autem nequit hæc Oſtenſio dari, illo valde confirmant, quia ſic primam cauſam poſtulat, vt qua cauſa noſcatur, at id nunquam licet præſtare, nec quis firme comprehendet, eam quam accipit primam cauſam eſſe, ſed poteſt prior dari, quamuis plane ipſum latet. Ac vt res inclareat, ſit riſiuum de homine monſtrandum, tunc rationale ſumetur velut ſit prima cauſa, concludendo, hanc potiſſimam Oſtenſionem dici. At quid tantum ſecuritatis præbet, vt poſſit tantam certitudinem habere? Quod ſi reſpondeat, nullam priorem ſe prodere, iam fallaciam detegit, & progreſſus infirmitatem, cum nequeat inferri, eo quod aliquid non comparet, nec etiam in Natura eſſe, & a Mundo diſtare, ſed plurima conſiſtunt, quæ humanam aciem fugiunt. Quare qui contrarium tuentur, illud debent cauere, ne dum multum rebus logicis fauent, ſe parum logicos pandant. Præterea etiam adeſt Auerroes, qui perſæpe teſtatur, nunquam hanc Oſtenſionem componi. Verum hanc opinionem haud ſatis tutam exiſtimamus. Et ſane, quod non ſic perfecta Oſtenſio ſignetur, decet facile cernere ſi textum 79. adimus, in quo ſuppoſitionem a petitione diuidens, docet primam illam eſſe, quæ ſimul ac auditur, ſuam veritatem profert, at ſi diſcipulus, minus ſtatim aſſentit, ſed potius vacillat, vel contrariam opinionem tenet, tunc petitio vocatur. Quare cum ibi, de Oſtenſionis Principijs agat, cuius hic conditiones quærit, quod omnes concedunt, prorſus contingit haud ſic ad viuum ſecari, nec adeo exquiſite ſumi, vti iſti contendunt. Niſi vero id dicamus, tali modo principia habebunt, vt nunquam de ipſis dubitetur, ſed nobis ſemper, & natura erunt nota. Et quidem optima ratione; nam vt quædam ſic perfecte fingantur, vt tantum ſint in Idea, nec externe vagentur, tamen cum Oſtenſio, illo pacto ſe gerat, & totum eſſe habeat, vt ad aliud collimet, magis aptum videtur ſi eo modo ſumit, vt interdum fabricetur, & ad finem pertingat. Atque

Euerſio.

que hinc refulget, quantum ijs autoritas confert, quam ex primo de Cælo notabant, quo loco affirmat potentiam per maximum expendi, nam dum Ostensio capitur, vt humanas vires æquet, nempe ad summum deductas, cui se maxime adiungit, & ad quod est disposita, rite per potentiæ excessum pendimus. Et hac via tantum abest, vt talis textus confirmet, vt illorum sententiam tollat. Quod vero Ostensio, quam hic signat, & de qua conditiones tractat; possit actu conflari, missis pluribus, quæ ab alijs traduntur, nec forte quicquam conferunt, tantum duo subueniunt, quibus licet deprehendere. Et quidem vnum existit textus 21. Hic cum ait, Scientiæ principium esse, *Quo terminos cognoscimus*; at si præcellens Ostensio nunquam datur, haud dixisset, *Cognoscimus*, sed, *debemus cognoscere*, vel cette, *quod terminorum est notitia*. Aliud vero textus 27. quo loco eorum dogma increpans, qui omnia gyro monstrabant, inquit non posse hanc Ostensionem nisi in ijs esse, quæ viciffim redeunt, tum subdit, pauca id genus in Ostensionibus dari, quæ verba dedecet aliter exponere, præter de actu Ostensionibus. Nam si in Idea sumitur, minus verum apparet, pauca inter Ostensiones esse; cuius rei ratio se effert, quia vt sunt pæne innumera subiecta, ex quorum diuersis essentijs, diuersæ affectiones manant, & causarum numerum præeunt, à quibus dependent, sic pæne innumera erunt, quæ Ostensionibus insint. Neque sane ratio, quam afferunt, tantas vires possidet, quantas aliqui credunt. Etenim cum aiunt, hanc Ostensionem ex prima causa strui; quæ debet vt causa nosci, id autem non posse præstari; dicimus in Scientijs, quæ ope sensus accedunt, circa quas est Ostensio, tunc plenam notitiam fieri, dum causam tenemus, cuius haud prior occurrit. Ergo licet aliæ dentur, quibus eæ possent nosci, tamen cum sensibus non pateant, sed hominis uires superent, ideo ut nullum habeant esse, tanquam primas usurpant, quæ tales per sensum censentur. Potest ratio adduci, quia maxime Disciplinis competit, ut nunquam proprios fines transigant, sed intra eos uagentur. Et ex his fit notum cur naturales Facultates, idest quæ Naturæ lumine pendent, ut Mathematicæ, ac Philosophia, si illas causas obtinent, quas primas sensus putat, nihil amplius quærunt, sed prorsus acquiescunt. Hoc in Theologia non fiet, quæ sensus infirmitatem deserens, & supra humanum captum peruolans, principijs, & causis adhæret, quæ Diuino afflatu inclarent. Quæ cum ita se habeant tantum abest ut fallacia in progressu subsit, non ap-

Locus ex Aristotele retorquetur.

Demonstratio potissima interdum conditur.

Ratio aduersa soluitur.

paret alia alia prior causa, Igitur nec est alia prior, vt perfecte ratio constet, modo diligens examen ponatur, nimirum prout hominis conditio patitur, cum qua hæc ostensio cohæret. Nam quod pertinet ad Auerroem, negamus aliter de Ostensione putasse; & ne nimium in re clara, decet facile cernere si Octauum Physic. consulimus, quo loco nos admonet constitutam Ostensionem, perfectissimam vocandam. Et in nostro libro, textu 36. tali pacto loquitur, vt plane concedat, non semper rerum formas latere, sed interdum cognosci; quare cum ex eodem, sic ad hanc Ostensionem faciant, ut loco medij condant, pariter succedit, illam actu admittere. Hisce in hunc modum prænotis, licet ad conditiones accedere, ex quibus est Ostensio. *Igitur si Scire est vt posuimus*, nempe ex eis conditionibus, & Ostensione pendens, quę antea tradidimus, itidem emergit, *demonstratiuam Scientiam ex veris esse, & primis, & medio carentibus, & notioribus, & prioribus, & causis conclusionis*. Quo loco primum occurrit, quid per, *demonstratiuam Scientiam*, notet. Alexander, quem plurimi sectantur, affirmat illo Demonstrationem, & Scientiam demonstratiuam differre, quia hæc est habitus, quo rite potest Ostensio strui, at demonstratio actus, ab hoc habitu deriuans. Idem videtur Auerroes putare; Siquidem ait, sicut dealbari ab albo dissidet, sic Ostensio ab Ostensiua Scientia. Licet pluribus munire, sed valde ex 2. Post. textu 100. vbi illa Epilogans, de quibus prius egerat, inquit idem Ostensionem, & Ostensiuam Scientiam esse. Verum vt ijs non resistimus, qui hanc Sententiam defendunt, tamen magis D. Thomas arridet, asserens conclusionis notitiam, & cognitionem signari, quæ est effectus Ostensionis. Id vero libentius probamus, quo apparet, sic semper accepisse. Sic textu 28. hic, alioquin meram nugationem præfert; Sic etiam 44. quibus locis eloquitur, vt semper conclusionem indicet. Hac ratione magis verba quadrant dum ait, *sic enim erunt principia propria eius, quod ostenditur*. Ex quibus tanquam signo traditæ conditiones firmantur. Nam quod pertinet ad textum 100. dicimus ibi Ostensionem, & Ostensiuam Scientiam, nullo pacto sumi præter aggregatum expositionibus, & conclusione; quare haud decet inferre, nostram Ostensionem notare, quæ in positionibus consistit tali modo dispositis. Sic autem ratiocinium habet. Scire simpliciter, vt prius attulimus, fit ex causa, &c. Sed Ostensio facit simpliciter scire, certe erumperet, Igitur per Ostensionem Scientia est ex causa, &c. Tamen hanc conclusionem

Alexander. *Auerroes.* *D. Thomas.* *Ratio aduersa tollitur.*

ſionem linquens tanquam ex dictis claram, aliam deducit, quæ ab hac diſtincte pendet. Nam cum nequeat hæc cognitio ſic eſſe, ni ſint Principia vera, &c. plane ſuccedit vt debeant vera, &c. accipi. Quæ omnia adeo optantur, vt ſi vna ex conditionibus deſit, recte poteſt ſyllogiſmus vocari, at Oſtenſio haud poteſt, quod ex eo probatur; quia, *non pariet Scientiam*, & fine deſeretur. Sed aliquis opponet de Oſtenſionis conditionibus, nam cum ſic ad Scientiam habeant, vt ex eius finitione pateant, in hac vero neceſsitatem exprimat, plane ſuccedet, eſſe cum attributis ponendum, quæ Oſtenſioni competunt; at quo pacto id fiat, minus diſtincte cernitur. Reſpondemus particula, *ex veris*, indicari; cuius rei eſt indicium, quia vt, *ex primis, immediatis*, illa maxime notat, quæ ſunt ſimpliciter talia, ſic decet, *ex veris*, exponere, nempe ſimpliciter vera, talia autem ſemper, & neceſſario cenſentur. Hinc 11. Metaphyſices, Sum. 2. Capite tertio monebat verum, ſimul neceſſarium dicendum. Atque hæc de prima textu parte ſufficiant. Adhuc de altera videamus, in qua dum incipit attributa exponere, etiam ſimul confirmat. Ac ut a primo ordiamur, & res diſtincte agatur, eſt obſeruandum, Verum eandem diuiſionem, quam Ens ſubire, cuius illud eſt affectio; Ergo vt Ens in complexum, & incomplexum, ſic pariter Verum ſecatur, & uelut incomplexum Ens nullam affirmationem, vel negationem continet, ſed tantum complexum, ſic ſolum Verum complexum habebit. Modo tantum poſtremum intelligimus. Igitur quod ſint vera adducenda, illud valde comprobat, quia ſi principia ſint falſa, per ſe concluſio manabit, quæ falſitatem geret, vt quod coſtæ diameter æquetur, *at eius quod non eſt, nec Scientia exiſtet*; tale falſum apparet, cum realiter non habeat proprium eſſe; ſed diuerſum ab eo, quod aſſeritur, ſic quarto Metaphyſ. cap. 4. & ſimul duodecimo, textu 11. inter varios non Entis modos, etiam falſum ponebat. Quare illud ſuccedit, tantum poſſe verum teneri, nempe ea cognitione, quæ per Oſtenſionem venit, at id, ſolum ex per ſe veris fluit; quare eſt concludendum ad perfectam Scientiam, tantum vera Principia accipi. Ideo vero per ſe diximus, quia nihil impedit dum per accidens ſumatur, ac ex parte formæ, etiam verum ex falſis fieri, ſicut ex non neceſſarijs neceſſarium, haud tamen in ordine ad materiam, atque adeo per ſe, quod Philoſophus reſpicit. Debent itidem prima, & immediata eſſe. quo loco cur, *immediatum*, in *indemonſtrabile*, mutet, poſset negocium afferre. Aliqui contendunt ideo præſtare, ut

Dubitatio.

Solutio.

Opinio quorundam.

insinuet omnem immediatam positionem, pariter indemonstrabilem esse, & contra; nam si nullum medium habet, quod inter prædicatum,& subiectum adsit,probe immediata dicitur, at quia dum id deest,nec licet à priori, & per causam monstrare,etiam est indemonstrabilis. Verum hanc opinionem haud plane tutam existimamus, sed potius censemus non idem inter se putanda; nam quamuis omne indemonstrabile,simul medio careat, tamen haud omne medio carens est indemonstrabile. Ac ut res satis pateat sit conclusio proposita, Igitur omne admiratiuum est risiuum, certe illa est inter maius, & minus extremum coniunctio, vt nequeant aliam prædicationem,præter immediatam præbere;cuius rei ratio se effert quia subiectum sic prædicatum respicit, vt proxima causa credatur; at ex hoc dedecet inferre nullum medium esse, per quod possit à priori ostendi,tale est ipsum rationale, à quo eadem affectio pendet, licet medio admiratiuo. Ergo tantum valent dicere proximam causam non esse,haud causæ rationem tollere, sed cum proximam causam generet, & inuicem vertantur, firmius concludent,propter quid Ostensionem condere. Atque hinc Alexander primo Metaphysicæ,Com.18.aiebat,minus simpliciter cognoscere si à proximis causis, & alias noscamus superiores habentibus, sed sic primarum notitiam requiri, vt si illam spernamus, nec queant proximæ comprehendi. Licet illo probare, quia vt Octauo Physic.textu 33.docet,quod alterum mouet,& ab eo non mouetur, perpetuo magis mouet. Quæ cum ita se habeant, magis tutum est credere,ideo particulam, *medio carentibus*, in illam, *indemonstrabilibus*, mutasse; vt ex hoc appareat haud omnem immediatam positionem,sed eam innuere, quæ Ostensionem excludit. Et ex his refulget, minus nobis censendum quod aliqui testantur,primum,ac proximum idem esse;sed ut immediatum,semper proximum,& contra,at non semper est primum,sic nec proximum,semper primum dicetur. Præterea refulget quod solent de immediato proferre. Nam cum possit dupliciter sumi, vno modo respectu subiecti, & succedit cum prædicatum subiecto conuenit, at non ratione alterius subiecti, vt si dicimus homo est risiuus, quæ positio eo est immediata, quia maius extremum,haud aliud subiectum obtinet,per quod minori iungatur; altero vero in ordine ad causam, nimirum dum inter maius, & minus extremum, tantum abest ut subiectum adsit,vt nec causa intersit,modo adhuc indicato;sic asserimus homo est animal rationale; Philosophus in

Non probatur.

Propria sententia.

Primum & Proximum differunt.

Immediatum duplex.

præsenti

præſenti immediatum accipit, vt nequeat cum primo locari, ſed ad poſtremum ſpectet. At quamuis poſſent hæc expreſſa videri, nec aliquid requiri, quod ad horum declarationem agat, tamen illud exoptant, quid, *ex primis indemonſtrabilibus*, notet utrum vnum, & idem, uel diuerſa comprehendant. Aliqui Auerroem ſectantes, aiunt nihil aliud his uocibus, præter poſitiones tradi, quæ interne Oſtenſionem conflant, quæ cum nihil ſuperius cernant, rite primæ vocantur; at quia nullum medium datur, ex quo poſſint a priori noſci, iure immediatas dicimus. Et hac via, tantum ex diuerſa diſtinguuntur habitudine. Sed cauendum a nobis eſt ne hic quoque falſitas lateat; nam vt plurimum competat hæc duo idem eſſe, & diſtinctis ordinibus ſecerni, tamen quod ſolum poſitiones ſignet, quæ interne Oſtenſionem condunt, minus vnquam putamus: cum præſertim textu 13. moneat, idem Primum, ac Principium notare, textu vero 14. ſic Principium diuidat, vt etiam externa attingat. Neque ſane quis credat, ſe ſcopulum vitare ſi reſpondet, haud pariter his textibus ſumi, ſed in primo, vt ſolum de internis Principijs, at in alio, vt de omnibus indicet, quæ ad Oſtenſionem concurrunt; Etenim ſuccedet, id in Partes ſecari, quod prius non fuit explicatum, omnis autem diuiſio quandam notitiam ſupponit. Sed cernimus aliquem contra illa, quæ diximus dubitantem, quaſi minus occurrat, quo pacto ex Scientiæ finitione, a qua omnes conditiones pendent, etiam externa Principia legimus, cum magis diuerſum appareat; nam ſi ſcire, maxime conſiſtit, vt res per cauſam pateat propter quam eſt, ſi externa Principia nequeunt talia credi, vt per illa ſit aliquid, nobis videtur dicendum, minus hic comprehendi. Reſpondemus ſic Scientiam produci, vt maxime ab internis Principijs pendeat, in quibus eſt ea cauſa, quæ affectioni dat eſſe. Et hæc ratio cenſetur cur Philoſophus, ſolum hanc nominabat, at non decet inferre, haud alia Principia innuere, ſed cum ad perfectam notitiam, ſimul externa optentur, cum diſtinctim conditiones affert, nullum voluit omitti. Quare ſic credimus ratiocinium diſponi. Quia tunc ſimpliciter ſcimus, dum cauſa, propter quam res eſt patet, &c. id vero per Oſtenſionem venit, prorſus emergit Oſtenſiuam Scientiam ex cauſa produci, ob quam res exiſtit; At quia hæc cauſa nequit Scientiam largiri, ni externis Principijs iuuetur, ideo per Oſtenſionem Scientia, atque adeo Oſtenſio, ſimul externa requirunt.

Opinio quorundam.

Reÿcitur.

Dubitatio

Solutio.

Progreſſus.

runt. Hisce tali pacto traditis, sic hæ binæ conditiones firmantur. Nam si id genus Principia quoddam medium habebunt, prorsus continget, etiam causam habere, & Principia priora, ex quibus possint Ostendi. Quare cum illa scire, *Quorum Ostensio datur*, sit, *Demonstrationem habere*, nunquam recte patebunt, nisi ex causa, & Principijs noscantur. Ex quo fit, vt sit etiam de Principijs quærendum, per quæ alia notuerunt, nimirum nunquid sint prima, & immediata, nec ne, quod si negent, tunc erunt eodem modo, in infinitum noscenda; si autem concedant, iam refulget cum vero quadrare Ostensionis Principia, prima, & immediata esse.

PRAELECTIO V.

VTRVM INTERNA DEMONSTRATIONIS Principia debent ambo immediata esse determinans.

Opinio quorundam.

SED cum Philosophus dicat Ostensionis Principia, prima, & immediata esse, aliqui dubitandi ansam sumunt, quo pacto sit de internis exponendum, nunquid illo modo, vt ambo sint talia, vel certe vnum actu sufficiat. Et sane quidam contendunt, solum vnum signari, nempe maiorem positionem. Probant ex simpliciter Scire finitione, tanquam id, quod per causam accedit, per quam accidens consistit, at plurima id genus se dedunt, quæ cum sic priora accidentia, vt etiam quasi causas noscant, haud valent aliam Ostensionem nisi illam præbere, quæ maiorem immediatam gerit, & tamen debet potissima dici; quod ex eo apparet, quia Scientiam ex causa gignit, prorsus illo modo, quo antea conclusimus. Minorem positionem, quæ videtur dubium præferre, autoritate confirmant. Etenim hic textu 98. sic Ostensionem format de luminis in Luna augmento, vt sphericam figuram, vt causam accipiat. Hoc idem in Secundo libro præstat, textu 41. & 94. necnon etiam 97. dum Tonitrum per ignis extinctionem, & fluxum foliorum per humoris gelu declarat, in quibus cum causa in medio ponatur, quæ aliã præcedentem habet, sane illud erumpit, vt solum maior sit immediata. Neque vero rationes desunt ad idem probandum; Nam

eam

eam decet esse potissimam Ostensionem, quæ sic rei Scientiam præstat, vt nihil possit amplius quæri, talis vero omnis Ostensio se habet, quæ Propter quid existit; quod ex eo fit notum, quia pariter Quid sit euoluit, ad quod Ostensio dirigit, ipsum, vt Scopum attendes, & quo adepto quiescit; at non aliter perfectam gignit notitiam, nisi ob perfectam Principiorum substantiam, quæ omnibus conditionibus pollent, quæ ad completam Scientiam optantur. Nam si aliquam tollimus, haud amplius Propter quid, sed tantum Quod Ostendet. Quod si nouam addimus præter illas, quas Philosophus notauit, nunquam erit negandum præstantiam augere, sed ædem vires erunt, & eandem Scientiam producent. Ac vt res clare pateat, quis duas claues ferreas notet, quæ tantum illo distent, quod vna auro contecta, altera minus existat. Si prima quo ad dignitatem cernitur, haud debet dubium esse, quin aliam præstantia præeat, at si in ordine ad proprium munus, & cuius gratia sunt factæ, vt ambo æquali aptitudine vigent, quæ ex ferro, & illa dispositione pendet, sic sunt æquales censendæ. Quare si minor positio, itidem medio carebit, quamuis dignitatem Ostensioni, tamen quia solum externam addit, haud altera erit nobilior, quæ minorem mediatam seruat, sed cum res ex internis mensuremus, magis erit dicendum, pari dignitate vigere, ob parem Scientiam, quam præstant. Verum hanc opinionem haud plane firmam existimamus; Etenim ait, sic Principia requiri, vt debeant prima, & immediata esse, ex quibus apparet plurali numero proferre. Neque vero quis credat difficultatem vitari affirmando, sic Philosophum sumere, vt Principiorum conditiones notet, quæ ad totam Scientiam conferunt, quæ cum sint in pluribus Ostensionibus; nempe in illarum collectione, simul videtur dicendum, immediata comprehendi. Nam postquam dixit Principia prima, & immediata esse, statim rationem promens ait, *quia nunquam sciet, ni ipsorum Ostensionem habeat*; quæ ratio haud de totius Scientiæ qua talis, sed de cuiusque valet Ostensionis Principijs, etiam distinctim sumptis. Cuius rei est indicium quod subdit, *illa Scire, quorum Ostensio datur, est Ostensionem tenere*. Ergo non Ostensionum seriem, sed quamuis per se indicat. Præterea tex. 70. & 166. docet inter a priori Ostensiones, magis perfectam notitiam dare, quæ causam independentem habet, præsens vero Ostensio cum simpliciter Scientiam quærat, pariter succedit, vt plane independentem optet; at si superior causa desit, nec minor mediata hærebit; quod ex eo *Euersio.*

fit

fit notum, quia dum ſolum maior medio vacat, tunc haud licet primam dicere, ſed vt prius firmauimus, alia cauſa adeſſet, a qua eſſe acciperet. Et hæc ratio exiſtit cur 2. Phyſic. textu 27. & 38. monebat, ſemper ſummam cauſam quærendam, quod etiam in de Generat. Animal. & Octauo Metaphyſ. initio repetit; nimirum vt doceret completam Scientiam ex hac cauſa pendere. Poſtremo immediatum, & indemonſtrabile, vere idem exiſtunt, quod etiam concedunt, cum quibus hic rem gerimus, & ſolum ratione diſtant, ſed Oſtenſio, cuius minor ſit mediata nequit illo modo habere maiorem immediatam, quo Philoſophus deſignat, nam poterit monſtrari. Quare tutius eſt aſſerere Oſtenſionem notare, quæ vtraque ſtat immediata. Hoc idem Alexander primo Metaphyſ. Commentar. 10. teſtatur, inquiens potiſſimas Oſtenſiones dici, quæ non ſolum ex primis, ſed etiam immediatis conſtant, minus vero perfectas, quæ proxime ab his pendent; At tales non poſſunt aliæ, præter illas eſſe, quæ minorem immediatam gerunt. Et ne aliquis crederet id temere proferri, ſtatim rationem tradit ex noſtris libris deſumptam. Nam ſi eſt exactior cognitio, cum ex paucioribus dependet, ſi hoc maxime contingit, dum ſic prima Principia ſectantur, vt magis ſint proxima, certe illud emergit, quod ad perfectam notitiam præſtandam, tali pacto ſumenda erunt, vt ſint prorſus prima, & immediata.

Alexander.

In contrarium allatis occurritur.

Quod autem pertinet ad rationem, in qua affirmant, nihil inſignis Oſtenſionis medium, niſi affectionis cauſam eſſe, dicimus haud intelligi quaſi omnis queat cauſam facere, a qua affectio manat, ſed illo modo, vt prima indicetur, quæ maxime effectum generat, nec vllam Oſtenſionem recipit. Et ex his fit notum cur vna affectio, dum in medio ſumitur ad aliam affectionem monſtrandam, haud potiſſimam Oſtenſionem conflat. Ac quamuis non deceat negare, plurima accidentia ſic eſſe, vt cauſæ ordinem ſeruent, minus ſubiectionis, nempe qua accidentia, ſed pro vt ſubſtantiam adumbrant, tamen non tantum hæc pendentia pollet, vt ſimpliciter Oſtenſio ponatur, ſed ſolum ea, quæ ad aliquod genus ſpectabit. Quid vero ſit de Oſtenſionibus dicendum, quas antea notarunt, num omnes alterius ordinis Oſtēſionem, vel quædam noſtram exprimit, partim id ſuis locis, partim ex progreſſu patebit. Dum autem addunt omnem Propter quid Oſtenſionem, potiſſimam eſſe, cum omnes faciant ſimpliciter Scire, & breui in finitionem vertantur, id prorſus denegamus, nam haud diſtincte affectionem proferunt; nec finitionem concinnant,

Quo pacto Accidens ſit Subiectum.

quæ

quæ rei substantiam euoluit, quod nos intendimus, sed tantum illam, qua quodammodo affectio pandatur. Neque sane de clauibus exemplum tantas vires obtinet, vt nos e sententia turbet, sed imparem rationem credimus, nec idem in minori positione immediatum, quod aurum in claui præstare, cum non magis disponat vt suum munus absoluat; cuius illud est indicium, quia licet omni auro deserta; tamen nihil habilitatem perdet, sed æque claudet, ac aperiet; at medio carere, quod in minori volumus, haud splendorem, & dignitatem, quasi externum auget, sed interne præstantiam præbet; nam si e minori hæc conditio demitur, certe quandam notitiam gignet, at non adeo exactam, ac si illa esset fulta. Ergo concludendam Ostensionis simpliciter Positiones ambas immediatas esse. *Exemplum consideratur.*

CAVSASQVE, & notiora oportet esse, & priora. Causas quidem, quia tunc scimus, cum causam cognoscimus, & priora, si quidem causæ: & præcognita non solum altero modo, eo quod intelligantur, sed etiam vt sciantur quod sunt. Cont. 11.

PRAELECTIO VI.

RELIQVAS FIRMARE CONDItiones prosequens.

PERGIT adhuc Philosophus cæteras conditiones munire, parum ordine mutato, quo illas in finiendo locarat. Nam cum id recta dispositio præstet, vt ipsorum notitiam apprehendamus, volens viam monstrare, qua breuius consequantur, tali modo proponit, vt etiam simul firmet. Et hæc ratio existit cur primo, *causas*, posuit, tum ad reliqua deuenit; nimirum vt ex huius cognitione, alia distinctius pateant. Contextus in tres partes diuiditur. Et quidem in prima confirmat causas esse. In altera esse priora. In tertia notiora esse. Quod attinet ad primam partem est ex Themistio obseruandum duplicem causam notari; vna reputatur, quam rei causam nominant, nec alia censetur præter eam, quæ sic effectui dat esse, vt simul per illam noscatur. Quod non intelligimus *Connexio.* *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.*

E quasi

quasi possit quouis modo accipi, sed tali pacto si sit res dignoscenda, vt eius natura optat; Alia vero, quam cognitionis vocant, & per hanc, tantum effectum tenemus. In præsentia tum primæ indicantur, & quæ rebus dant esse, tum quoque aliquæ ex postremis, & per quas effectus clarent, velut Dignitates, Suppositiones, &c. tanquam illæ, quæ deforis Ostensionem iuuant. Neque sane quis opponat quasi volens rationem tradere cur principia hanc conditionem velint, nihil aliud adducit, nisi, *quia tunc scimus cum causam cognoscimus*, talis vero est Scientiæ finitio, quam antea expressit, at in illa, tantum interna continetur, quare videtur dicendum haud aliquid externum, sed solum ea signari, quæ interne Ostensionem conflant. Nam cum interna causa, minus quidquam perficiat, ni simul externæ adsint, a quibus roboretur, iure etiam has comprehendit. Sic autem ratiocinium nectimus. Quia tunc Scientia succedit, dum causa, per quam res est noscatur, hæc vero vt conclusionem inferat, ab externis dependet, ideo sunt hæ adhibendæ. At cum Ostensio sic fiat, vt ex causis conclusionis pergat, quæ prorsus nihil aliud, præter Principia censentur, quam Philosophus intuens, conditiones declarat, ob quam rem dictionem, *causas*, plurali numero posuit, nempe vt refulgeat in ordine ad Ostensionem sumi, dicimus dupliciter intelligi. Et quidem vno modo vt positiones sint causa conclusionis; altero vero quasi conclusionem causent, quia sic a proprijs Principijs manat, vt in ijs maioris extremi sit causa; primum non ad solam Ostensionem, sed ad omnem syllogismum spectat; at vltimum nihil cum reliquis communicat, sed sola Ostensio adhibet. Hisce tali pacto notis, sic progressio se habet; Tunc rei Scientiam tenemus, *vbi causam cognoscimus*, sed per Principia, Scientiam conclusionis tenemus, Igitur debent Principia causæ conclusionis esse. Quanquam vero hæc queant certa videri, tamen in quo causæ genere resident, minus quidem omnia, sed illa, quæ interne Ostensionem condunt, nam de cæteris est apertum ad efficiens traduci, haud omnes eodem modo credunt. Nos ne possit quidpiam optari, parum hoc occupabimur, nec sane ad viuum secantes, sed tandiu quærentes, donec ad textum confert, atque adeo patet quid Philosophus intendat. Ergo quidam contendunt Principia materiam conclusionis esse, hoc autem sic firme tenent, vt valde illos increpent, qui ad aliam causam extorquent. Neque sane autoritates desunt, quibus solide nitatur. Etenim Secundo Physic. tex-

Opinio quorundam.

tu 31.

ctu 31. & 74. docet sic ex positionibus conclusionem, vt ex propria materia strui. Idem Quinto Metaphys. textu 3. dicebat; at quod ad aliud causæ genus spectet, nusquam alias testatur. Preterea etiam est ratio, ex qua valde probetur; nam si aliquid impedit, plane nihil aliud, præter efficiens censetur, ad id autem nequit transferri, quod ex eo refulget, quia hæc causa debet esse ab effectu seiuncta, at positiones, tantum abest vt a conclusione se separent, vt eiusdem sint partes, nec aliquid in ea profertur, quod in positionibus non steterit, sed termini, quibus consistit, ante in positionibus erant. Verum hanc opinionem minus plene solidam censemus. Nam 5. Metaphysices textu 23. inter explicandum, *secundum quod*, acceptiones, dum nobis adaperit tot modis assumi, quot etiam causæ nomen, statim exemplum affert de Ratiocinio, ac Syllogismo, tanquam illo, qui conclusionem vt efficiens producit; quo loco renidet positiones ad causam efficientem transferri. In hunc modum Alexander explicat. Nisi vero sic exponimus cum de reliquis causis exempla dederit, ni etiam de hac præstaret, iure posset mancus dici. Licet pariter ratione probare; nam si id ad efficiens spectat, a quo motus principium pendet, cum hoc sit a Principijs ad conclusionem, videtur dicendum sic Principia gerere, & conclusioni fauere, vt tanquam efficiens producant. Neque vero negocium præbet quod opponunt efficiens ab effectu diuelli, nam tunc verum apparet, dum solum efficientis rationem habet, nec quidem quouis modo accepti, sed tali pacto, vt simpliciter sit efficiens, haud tamen si naturam permixtam seruat, quo casu tantum abest vt ab effectu distrahatur, vt sit eius pars dicenda. Quæ cum ita se habeant, satius est asserere interna Principia respectu conclusionis sumpta, tum materiæ vicem, tum quoque efficientis præbere. Primam partem satis confirmant, quæ pro altera sententia traduntur; postremam ea, quæ ad ipsam tollendam notauimus. Atque hæc de prima textus parte satis sit indicasse. Adhuc de altera videamus, in qua communit Principia, *priora esse*. Licet autem rimari, quia cum ab ipsis conclusio manet, causa vero natura effectum præeat, etiam succedit ut debeant priora dici. Addimus autem, natura, quia in ordine ad tempus nequeunt Secerni, sed inuicem iunguntur. Quod si interdum cadat, vt a suis effectis se diuidant, vt de rebus interitui deditis, præter quam quod ad per accidens transfertur, cum id ex requisitis prodeat, a quibus desertæ nequeunt intentum as-

Non probatur.

Ratio in oppositum refellitur.

Propria sententia.

ſequi,illa vero ſunt notanda, quæ ex natura debentur, nihil amplius curandum ſi aliquid per accidens conuenit,ſed vt ab inſtituto remotum ſpernendum, dicimus cauſam de qua in præſentia, & inſignem Oſtenſionem condit, nunquam ab effectu diuelli,nec poſſe vnum abſque altero eſſe,ſed viciſſim redire. Quæ omnia inferius ſplendeſcent. Sed cum etiam addat Principia, *notiora eſſe*, aliquis dubitabit quo modo ſit vſurpandum, numquid ea ratione vt in ordine ad naturam, vel quoad nos ſumantur. Auerroes exiſtimat tantum priora, & notiora differre quod primum maxime ipſam rem,at vltimum cognitionem reſpicit; quare vt paſsim exponunt, intantum priora erunt, qua rei cauſæ putantur,intantum vero notiora,qua illam declarant. Verum hanc opinionem haud valde tutam exiſtimamus; nam vt ſuis locis patebit,nihil adhuc Philoſophus de hac notitia, ſed rem ex natura conſiderat. Igitur cenſemus natura notiora indicare, quod plane idem notat ac ex ſe haud in notitia pendere, nempe ſaltem in Scientia, cuius Principia apparent, ſed potius ſic eſſe, vt cæteris ſint ratio pendentiæ. Et hac via eadem ratio, qua probauit de Principijs, *priora,* ſcilicet, *quia ſunt cauſæ,* ſimul notiora firmat;nec vlla conditio reſtat, quæ non ſolum fuerit detecta, ſed etiam expreſſum cur ſimpliciter Scientia optet. Quod ſi aliquis opponat, fruſtra has conditiones tradi,tanquam illas,quæ in,*primis,ac immediatis,*conſtent, eſt obſeruandum,*primum,* in ſui ratione nihil aliud claudere, præter independens eſſe,at,*prius,* ordinem ad aliud ſignat; & hac via non de quouis primo, & immediato; ſed de illo ſumetur, à quo effectus pendet. At quamuis nulla de,*notiora,& præcognita,*contentio,aientes ſic idem notare,vt nec etiam vllo pacto diſtent, tamen quam ob cauſam addat, *non tantum altero modo in intelligendo, ſed pariter in noſcendo quod ſunt*, aliquid Interpretes vacillant. Etenim quidam aſſerunt, nihil aliud præſtare, niſi anſam arripere,leuiter modos libandi, quibus nobis Principia noſcantur, alias vero magis fuſe, & ex propoſito acturum. Sed libenter exponimus de ſecundum naturam prænotionibus; Niſi vero ſic dicatur, iure poſſet mancus haberi, cum illa omittat, quæ per ſe Principijs competunt, & propria conditione; cum præſertim æe ab his prænotionibus pendeant,quas deinceps tractabit. Nam quot modis Principia ſunt natura notiora,totidem nobis noſcentur, vt perfecta ſit cognitio. Quæ cum ita ſe habeant, probe hæc prænotio manet ſi duabus complectimur. Et quidem vna in, *intelligendo,* conſi-

Auerroes. *Reijcitur.* *Propria ſententia.* *Opinio quorundam.* *Propria ſententia.*

consistit, id est, quid Principia significent; at altera; *in cognoscendo quod sunt*, nimirum uera. Prima tantum simplex; Postrema composita putatur.

PRIORA autem sunt, & notoria dupliciter, non enim idem est prius natura, & ad nos prius, nec notius; & nobis notius, dico autem ad nos quidem priora, & notiora, quæ sunt propinquiora sensui, simpliciter autem priora, & notiora, quæ longius ab eo absunt; sunt autem remotissima quidem illa, quæ maxime sunt vniuersalia, proxima vero, quæ singularia, & hæc opposita sunt inuicem. *Cont.* 12.

PRAELECTIO VII.

PRIVS ET NOTIVS PRO VT AD Demonstrationem facit pandens.

CVM antea Philosophus inter Principiorum conditiones Priora, & Notiora locasset, cernens haud posse rem succedere ni etiam in illis versetur, ideo hic tales voces distinguit, nec quidem ex latitudine, quam obtinent, nam id minus præsentis negocij, sed alterius est speculationis, ob quam rem Quinto Metaphys. præstat, sed qua necessarium videtur vt distincte pateat, quo pacto pro Principijs sumantur. Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima docet quot modis Prius, ac Notius debent in ordine ad Ostensionem accipi. In altera splendide declarat. Quod attinet ad Primam partem est obseruandum, quod etiam primo Physic. textu 2. & Septimo Metaphys. textu 8. apparet, non solum id, quod prius est, sed pariter quod est notius, dupliciter sumi; vno modo ex parte nostri, altero vero in ordine ad naturam. Nos vt res distincte fiat, illud prius trademus quid per nobis notius, & natura denotet, ex quo postea patebit, quid sit de nobis priori, & natura dicendum, tanquam ijs, quæ plane inuicem conueniunt. Ergo est primo notandum, nobis notius binam acceptionem subire; nam primo pacto secundum imperitiam, & confusam cognitionem sumimus, at alio ex parte distinctæ, ac in Sapientiæ statu; in præsentia haud postremam, sed primam

Connexio. *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.*

primam notitiam indicat. Decet illo cernere, quia cum Sapiens naturę conformetur, quod Philosophus monet 6. Topicorum Cap. 3. si plenam notitiam signaret, certe succederet idem nobis notius, & natura esse, at hic de nobis notiori tractans, illud significat, quod ab illo naturæ diuiditur. Quare nihil nobis notius innuet, nisi magis sensus attingere, atque adeo sic esse, vt magis illis congruat. Quod pertinet ad notius natura, minus decet accipere quasi idem ac Deo notius importet; quem interdum Naturæ nomine signat; nam vt 12. Metaphysicæ, cum Dei cognitio sit eiusdem simplex, ac eminens essentia, nequit quicquam magis, vel minus cognoscere, sed eandem notitiam seruat, nullis temporis legibus addictam, sed certa æternitate perennem. Præterea non decet sic sumere tanquam circa aliquid natura versans, prius, vel posterius comprehendat; cuius rei ratio se effert, quia vt per natutam agere opponitur agere per cognitionem, sic etiam emergit, proprie ex natura agens, prorsus nihil noscere. Deinde nec licet cum conditione exponere, nempe si natura intelligeret, id primo teneret; quod ex eo probatur, quia simpliciter profert, nihil amplius addens, quod possit rem arctare. Præter quam quod si natura cognoscat, quamuis vti operans a Principijs incoet, tamen vt cognoscens, & opera dirigens, a fine ordietur. Quæ cum ita se habeant censemus hic notius natura dici quia tum ex sui conditione, simpliciter tale, tum quoque eo modo se gerit, vt sit ratio notitiæ cæterorum. Potest illo firmari quia id, quod ante notius natura, postmodum simpliciter notius vocat, quod pariter primo Physic. textu 2. notatur. Et ex his refulget, quid sit de nobis priori, & natura dicendum; nam cum idem sit nobis notius, & nobis prius, idem natura notius, & natura prius, decet eodem modo progredi. Quare, *ad nos priora, & notiora dicimus, quæ magis sunt sensui propinqua*, illa vero ad naturam, *& simpliciter priora, & notiora, quæ ab eo longius absunt*, talia vero putantur, *quæ maxime sunt Vniuersalia. at proxima quæ singularia*. Quibus vltimis verbis quid præsertim denotet, valde Interpretes variant. Auget autem difficultatem quia primo Physic. textu 4. contrarium fatetur. Nos missis pluribus, quæ nihil ad præsens negocium, sed ad aliam facultatem spectant, censemus hic nihil aliud per, *singularia*, nisi effectus tradi. At cum Vniuersale dupliciter sumatur; vno modo pro eo, quod de pluribus dicitur, & Vniuersale in prædicando, alio vero pro illo, quod pluribus dat esse, haud tamen de ijs dicimus, & secundum causam vocant

Quid hic nobis notius denotet.

Quid notius natura indicet.

Quid nobis prius, & natura importet.

Quid, singularia, *in sinuet.*

vocant, dum ait, *qua maxime vniuersalia*, ad vltimum referimus, tanquam id quod præsenti negocio confert. In hunc modum primo Metaphysices, Cap. 2. asserit maxime Vniuersalia hominibus difficilia esse, quia maxime a sensibus distant, quo loco, vt probe Alexander, vniuersalissimas causas, nimirum Deum, & Intelligentias indicat. Quod si primo Physic. inquit Vniuersale notius esse secundum sensum singularibus, ac proinde nobis prius, sic exponimus, vt primum intelligat, quo pacto nihil officit. Sed cum Philosophus ponat, *haud idem prius natura, & ad nos prius, nec notius natura, & nobis notius*, minus debet ab re credi si parum hic tangamus, nec sane vniuerse quærentes, sed tantum de illo, quod in nostro textu notat, & cuius gratia hæc positio effertur. Ergo aliqui contendunt adeo vero quadrare, vt sit vniuersaliter sumendum. Licet breui munire si præsentem textum attendimus, quo loco habetur, natura priora, & notiora esse, quæ simpliciter sunt talia, nobis vero priora, & notiora, quæ postrema simpliciter, quare cum primum, ac postremum maxime distent, vix apparet, qua via idem credantur. Præterea si nobis magis sunt nota, quæ magis sunt sensui propinqua, si magis nota natura, quæ magis a sensu absunt, certe contingit vt idem ad sensum accedat, & recedat, quod quam sit inconueniens satis ex se renidet. Demum inuicem opponuntur, ergo simul non concordant. Verum hanc opinionem haud plane firmam existimamus, nam hic textu 96. de ab effectu Ostensione agens, inquit nihil prohibere quin illorum, quæ conuersim dicuntur id interdum sit notius, quod causæ ratione caret, quare succedit causas posse nobis priores, & notiores esse, quæ pariter sunt tales natura. Et hoc pacto prorsus idem prius, ac notius nobis, & naturæ erit. Deinde id a quo opus dependet vere est gratia operis, sic 2. Cæli textu 17. sed cuius gratia, vt ad causam finalem pertinet, sic prius natura censetur, at quia ipsum facimus, ideo prius erit, ac nobis notius. Rursus actus sunt secundum naturam priores quam potentiæ, & etiam obiecta, a quibus actus pendent, & hæc ratio existit cur 2. de Anima 33. volens de intellectiuo, sensitiuo, & vegetatiuo quærere, monet nunquã perfecte casurum, nisi prius noscatur, quid sit intelligere, sentire, ac vegetare, at nemo vnquam negabit sic operationes, & obiecta gerere vt nobis vna sint priora, & notiora. Demum sensuum obiecta cum ab illis spiritalis actio fluat debent natura priora esse, hæc autem nobis sunt priora, & notiora, quod ex eo relucet quia magis sensum

Quid, maxime vniuersalia.

Locus ex Aristotele explicatur.

Opinio quorundam.

Damnatur.

sum attingunt,ac percipiuntur. Neque sane tanti facimus,quibus contrarium ornant, vt nos de sententia exturbent. Nam cum aiunt illa priora natura putanda,quæ simpliciter sunt prima, ea vero nobis,quæ postrema simpliciter, primum autem, & postremum maxime distant, respondemus haud verum censendum prima,& nota nobis,vltima semper esse,sed magis sensus tangere, & cum illis hærere, quo pacto cum Philosopho damus; Quare valde aberrant quasi vniuersale sumentes,quod vniuersitatem excludit. Dum autem addunt nunquam idem ad sensum accedere,ac recedere,at nobis notoria ad sensum accedunt,natura notioria recedunt; nos deCausis secundem esse vniuersalissimis,non de reliquis concedimus,inter quas multæ occurrunt,quę licet magis notæ natura,tamen nobis sunt proximę.Quod si inuicem opponuntur,ex quo deducunt, nunquam simul coniungi, minus aliam oppositionem præter rationis credimus. Libet quoque addere haud nostrum textum fateri nobis notius, & natura opponi, sed maxime Vniuersalia, & Singularia, nempe sic explicata, vt antea tetigimus. Quæ cum ita se habeant est obseruandum dum ait, *non enim idem est prius natura, & ad nos prius, nec notius natura, & nobis notius*, cum queat positio sumi vel tanquam nullum sit nobis notum, quod notum sit simpliciter, vel quæ nobis nota apparent, haud omnia sic esse, vt debeant simpliciter nota dici, sed magis quædam se dare, quæ non solum nobis, sed etiam simpliciter sint talia,nonnulla tantum simpliciter, haud tamen nobis, & contra quædam nobis, haud tamen simpliciter, in præsentia accipimus, vt solum tollatur vniuersalis affirmans. Ergo minus recte ex uniuersalis affirmatæ negatione uniuersalem negatam inferent, sed ut alias didicimus ex negata uniuersali, tantum licet negatam in parte ut eius contradicentem. Et sane id ad præsens institutum facit, nam afferens prius, ac notius binas notiones subire, dum hoc tentat probare, & illas inter se differre, tunc rite contingit si aliqua se dedunt, quibus has distinctas cernimus.

Rationes aduersæ soluuntur

Ex

EX primis autem est quod ex propriis principiis est, idem enim dico primum, & principium. Est autem principium demonstrationis propositio immediata; immediata autem est qua non est alia prior; Propositio autem est Enunciationis altera pars vnum de vno; Dialectica quidem, quæ similiter accipit vtranlibet; Demonstratiua vero, quæ determinate alteram, quæ vera est. Enuntiatio autem contradictionis vtralibet pars; contradictio autem, cuius per se non est medium; pars autem contradictionis illa quidem, quæ est aliquid de aliquo, affirmatio, quæ vero aliquid ab aliquo negatio. Immediati autem principii syllogistici positionem quidem dico, quam non est monstrare, neque necesse est habere docendum aliquid. Quam vero necesse est habere docendum quemlibet, dignitatem, sunt enim quædam huiusmodi, hoc enim maxime in talibus consueuimus nomen dicere. Positionis vero, quæ quidem accipit vtranlibet partem enuntiationis, vt cum dico esse aliquid, vel non esse, suppositio; quæ autem sine hoc definitio est. Definitio enim positio quidem est; ponit enim Arithmeticus vnitatem esse id, quod est indiuiduum secundum quantitatem, suppositio autem non est, nam quid est vnitas, & esse vnitatem non est idem. Cont. 13. Cont. 14.

PRAELECTIO VIII.

DICTIONEM, EX PRIMIS, APERIENS; & immediatum Principium diuidens.

POST quam nobis de Priori, & Notiori distinxit, nempe qua necessarium videbatur ad Principia noscenda, & vt plene Ostensio succedat, adhuc incipit exponere quo nam pacto, *ex primis*, sumatur. Nam cum solum detexerit cur debet ostensio ex primis fieri, recta tractatio postulat, vt sicut *priora, & notiora*, expressit, sic pariter indicet quid vox, *ex primis*, importet. Nisi vero sic præstetur haud tute ulterius pergemus; cum præsertim antea dixerit natura priora, & notiora esse, quæ sunt vniuersalia, & a sensu recedunt ex quo posset quis credere tantum remotas causas ad Ostensionem accedere, tanquam illam, quæ sic nobis prioribus penderet, *Connexio.* *Institutum.*

vt ſemper talia natura poſcat, hoc autem quam ſit abſurdum, ſatis ex ſe apparet. *Diuiſio.* Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima declarat quid vox, *ex primis*, innuat. In altera Immediatum principium diuidit, & leuiter exponit. *Expoſitio.* Quod attinet ad primam partem cum dictio, *ex primis*, ſe habeat vt poſſit omnes cauſas claudere, quibus primum eſſe quouis modo competit; ob quam rem comprehendentur, quæ vix quicquam ad effectum conferunt, nos tantum eas ſumimus, quibus ſic primum aptatur, vt itidem ſit proprium; quare idem notabit, *ex primis*, ac, *ex propriis principiis*, pendere. At cum, *primum*, tali pacto ſumptum, ſimul Principij rationem ſeruet, nequit diſtincte teneri, ni huius ſubſtantia pateat, quam probe deſignamus, aientes quod, *Oſtenſionis principium eſt propoſitio immediata*. Et quidem, *propoſitio*, cum de omnibus poſitionibus dicatur quemuis ſyllogiſmum iuuantibus, generis locum occupat, at, *immediata*, differentiæ, tanquam ea, quę ſi recte accipitur, noſtram poſitionem a cæteris diuidit. Et ut ab hac cum Philoſopho ordiamur, nihil aliud, *immediata*, præter poſitionem ſignificat, *qua non eſt alia prior*. Quæ verba ne difficultatem gignant eſt obſeruandum quatuor modis unam poſitionem altera priorem dici. Primo pacto quia eius ſignificatum, illud alterius præcedat. Talem decet putare, Deus eſt ens, in ordine ad eam, Homo eſt animal; Alio uero quia magis terminos vniuerſales geſtet. Hac ratione, Impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe præ cæteris primatum obtinet. Tertio quia alteram in notitia ad nos præeat, vt omne currens mouetur, prius nobis ſe effert, quam Omnis homo eſt rationalis. Demum quia per unam quaſi per primam rei, vel cognitionis cauſam alia firmetur. Sic aſſerimus Omne ſentiens habet organa ſic diſpoſita, illam præire, Omne animal habet organa ſic diſpoſita, cum ex prima ut ex cauſa pendeat. Dum Philoſopus dicit, Immediatam cenſendam, qua nulla prior exiſtit, haud aliquam ex tribus primis notionibus, ſed poſtremam accipit, quod etiam alibi attigimus. Quæ cum ita ſe habeant cenſemus medio uacantem, de qua hic, nullam ſupra ſe noſcere uel ſimpliciter, uel ſaltem in Scientia, in qua eſt Principium, ex qua uelut prima cauſa monſtretur. Dicimus uero in Scientia in qua eſt principium, quia nihil prohibet quin in alia oſtendatur. Sic de Enunciato ſuccedit, A quouis dato puncto in quoduis punctum licet rectam lineam ducere. Et quamuis apud Geometram, nullum medium habet,

Quatuor rationibus vna propoſitio altera eſt prior.

Propoſitio immediata, de qua in præſentia, nihil obeſt ſi in alia ſcientia Oſtenſionem recipit.

per

per quod possit proferri, tamen vt Sexto Physic. patet, minus desunt Naturali, quæ ex causa ostendant. Addimus vero, quasi prima causa, illa maxime ratione quia 4. Metaphysices, textu 9. docebat posse omnes positiones præter vnam fulciri. Atque de differentia sufficiant. Sequitur vt genus explanemus. Neque debet superfluum credi tanquam fuerit primo Prior. tractatum, quo loco plura ex professo de positione, cum præsertim ad fastidium vitandum soleat acta supponere, nam vult indicare quo studio essent noscenda, quæ tanti Philosophus faceret. Igitur, *propositio est enunciationis altera pars vnum de vno*. Sed cur, *vnum de vno*, apponat, nonnihil Interpretes discordant. Nam aliqui contendunt ideo factum esse, vt insinuet positiones, quibus Ostensio conflatur terminos ambiguos arcere, & solum ex vniuocis strui. Verum hanc expositionem haud plane tutam existimamus. Illud vero satis viget, quia sic positionem tractat, vt simul Ostensiuam, & dialecticam comprehendat, in quas statim illam secat. Præterea dialectica positio haud debet multiplicibus, & æquiuocis terminis, sed tantum simplicibus constitui. Libet etiam addere eo primo Prior. hanc eandem tradi positionis finitionem, quamuis ibi, vt passim concedunt, nulli speciei restringat, sed vniuerse rimetur. Quare magis firmum est credere ideo factum esse, vt a Sophistarum separet positionibus, quæ cum circa prædicatum, & subiectum sic gerant, vt sæpe non vno significatu sumant, haud proprie omnes id nomen merentur, sed licet verius plures, quam vnam vocare. Et hæc ratio existit cur in species segregans, nullum verbum de ambigua positione, tanquam illa, quæ sub hac finitione minus explete, sed quodammodo consistat. Potest vero hæc positio in duas species diuidi, nimirum dialecticam, & ostensiuam; Prima veritatis nodis non ligatur, sed valet falsum claudere. Quamquam non intelligimus quasi Dialecticus, simul vtranque partem sumat, quod est impossibile, sed illo sensu vt ad libitum se disponat, & quamuis queat capere; ob quam rem quæstionem proponens, ad vtrunque paratum se præbet. Et ex his comprehendimus quid sit de dialectico Syllogismo, & eius substantia dicendum, cum non solum ex veris, sed etiam falsis constet, modo probabilitatem gestent. At ostensiua positio, minus quælibet seu vera, seu falsa potest esse, sed perenne verum optat; quod ex eo inclaret, quia demonstrans, maxime materiam respicit, quæ necessitatem seruet, nec sane quo vis modo, sed pro ut est necessaria, talis

Quorundam expositio.

Reÿcitur.

Dialectica propositio ambiguos terminos excludit.

Propria expositio.

lis autem vt vera necessario apparet, sic nequit vnquam falsa esse. Et hæc ratio existit cur Ostendens, haud vtramque Problematis partem, sed tantum veram obseruat. Sed iam videamus quid enunciationis nomen notet, quæ in Positionis finitione generis locum vendicat. Et vt res distincte fiat, illud antea ponamus, sic solere Philosophum progredi, vt interdum generis nomen Speciebus adaptet; Ergo minus decet nouum esse si in libris Periherm. atque adeo Prior. idem per Enunciationem, ac eiusdem partem indicat, nempe uel affirmantem, vel negantem positionem, ubi uero proprie loquitur, semper aliquid designat, quod utramque positionem continet, ut in præsentia succedit. At quamuis possint hæc certa uideri, tamen quid sit id putandum, ualde Interpretes nutant. Et quidem Philoponus, & Auerroes affirmant hæc tria, nempe Enunciationem, Positionem, & Quęsitum idem subiecto esse, & solum ratione differre. Et sane ex parte qua uerum, & falsum innuit, Enunciationem, prout syllogismum condit, Positionem; at quia etiam ut ignotum quæritur, iure Quæsitum uocari. Sed quantas uires hæc habeant licet facile cernere si hunc textum attendimus, in quo id Enunciatio ponit, quod utramque contradictionis partem habet, quo pacto latius pertinget, quam quæsitum, & positio sic sumpta, nec idem subiecto erunt. Ergo alij contendunt per Enunciationem cum syllogismi positiones, tum quoque conclusionem signari. Probant autem ex eo, quia conclusio haud positionis nomen recipit, nec quis probe incedet si positioni conclusionis nomen indat, quæ intantum dicitur, qua conclusioni est proposita. Verum aliquid occurrit cur itidem de hoc dubitemus; Nam uidetur hic Philosophus uti primo Prior. agere, quo loco illa positio tractatur, quæ simul quibat conclusio esse, nec absurdum emergit. Quare missis pluribus, quæ Alexander primo Prior. Cap. primo, & Philoponus ibidem, necnon etiam Auerroes primo Periherm. Com. 12. & 13. de Enunciatione quęrunt, ut num ne uniuoce, uel ab uno de suis partibus dicitur, tanquam extra propriam sedem, nec quicquam nobis conferant, putamus nihil alud per Enunciationem, nisi affirmationem, & negationem tradere simul sumpta, haud positionem, vel conclusionem attendendo pro ut talia. Potest illo muniri quia inter finiendum ait, *Enunciatio autem contradictionis quælibet pars*, tum subdit, *pars vero contradictionis, quæ est aliquid de aliquo affirmatio, quæ autem aliquid ab aliquo negatio*. Quæ verba satis probant sic Enunciationis

Aristoteles quandoque generis nomine species vocat.

Io. Gram. & Auerroes.

Damnatur.

Altera opinio.

Confutatur.

Propria sententia.

Enunciationis substantia in affirmatione, & negatione consistit simul accepta.

nis naturam esse, & in affirmatione, ac negatione constare, vt non se ad positionis, vel conclusionis ordinem vertat, sed quasi externa linquat. Atque hinc relucet cum Philosophus inquit, *propositio autem est enunciationis altera pars vnum de vno*, haud positionem finire, tanquam simul affirmantem, & negantem, sed eo pacto, vt distinctim alteram denotet, quo modo Enunciationis partes dicimus. At cum in Enunciatione finienda contradictio se habeat, vt generis locum seruet, plane requiritur, vt etiam hanc tangamus, alioquin praue incedetur, nec tute Scopum prehendemus. Potest vero sic describi. *Contradictio est oppositio, cuius non est secundum se medium*, quo loco solum, *Oppositio*, in genus ponitur, & de quatuor speciebus dicitur. Nam vel Contraria existunt, vti album, & nigrum; vel Priuatiua, sicut cæcum, & videns, vel Ad aliquid, quasi dextrum, & sinistrum; vel Contradicentia, velut album, & non album. Sed licet etiam de medio loqui, & dupliciter sumere. Et quidem vno modo ex parte formę; quod mediam formam vocant, quo pacto viridis color se habet, qui in sui communionem extremas formas suscipit, ac ex ijs, vt partibus constat; Alio in ordine ad materiam, quod medium subiectum nominant. Sic est lapis censendus, de quo minus probe cæcum, vel videns dicimus. Primum tantum in contrarie oppositis, nec certe semper adest, sed dum magis, ac minus admittunt, & forma intenditur, & remittitur. Postremum, si Contradicentia excipimus, in omnibus versatur. Nam talis est contradictionis conditio, vt omnibus se misceat, nec subiectum se dedat, cui pars non conueniat. Eo vero *secundum se*, addit, vel vt nobis designet, intantum reliqua Opposita carere medio, qua virtute Contradicentiam claudunt, quod ex eo apparet, quia licet inter album, & nigrum, actu medium adsit, tamen cum nigro albi negatio insit, & ad contradictionem reuocetur, nullum potentia medium tenet; vel vt de Enunciationibus diuidat, quæ sunt Contrariæ vniuersales. Nam dum necessaria aduenit materia, omnem medium excludunt; At id ad per accidens transfertur; cuius rei est indicium, quia pariter aliæ in materia contingenti, sic Contrariæ naturam seruant, vt medium præseferant. Potest vero Contradictio sic finita in duas species diuidi, nam, *quæ aliquid de aliquo*, asserit, *affirmatio*, *quæ autem aliquid ab aliquo*, aufert, *negatio*, dicitur. Sed forte quis opponet ob positionis declarationem, quam per affirmationem, & negationem expressit, quasi prius sit per verum, ac fallum præstandum. Respondemus

Quatuor oppositionis species.

Medium duplex.

Dubitatio.

Solutio.

demus veritatem,& falsitatem minus formam,sed materiam attendere,ob quam rem sumitur in Ostensiua positione finienda, tanquam illa,quæ præsertim materiam respicit; at in præsentia eam maxime proponit,quæ Ostensiuæ,& dialecticæ est congruens, & in ordine ad Syllogismum,quo pacto probe se gessit,dum affirmatione,& negatione finxit; inferius vero Ostensiuam per verum diuidet. Libet quoque addere positionis substantiam in affirmatione, vel negatione esse, & ab his verum , ac falsum manare, vt affectiones a terminorum nexu pendentes,qui prorsus nihil aliud, nisi affirmatio,vel negatio apparet. Ac certe cum rebus cohæret, verum,quod si ab illis diffidet,falsum vocamus. Et hac via ex Ostensiuo Principio ad Positionem , ex Positione ad Enunciationem,ex Enunciatione ad Contradictionem,ex Contradictione ad Opposita,ex Oppositis ad eius partes traduxit, atque adeo detexit immediati Principij in communi naturam. Et hæc in primam textus partem satis sit annotasse. Sequitur altera pars textus,in qua sic immediatum Principium diuidit, vt ipsum quodammodo declaret. Ergo immediatum Principium antea expositum, & sua amplitudine sumptum,maxime in duas species secatur; vna illius existit,quod,*haud est monstrare,nec necesse est aliquid docendum habere*,sed in eo quiescit si parum Doctor innuat: Altera vero illius, quod, *necesse est quemuis docendum habere*.Quanquam non accipimus, quasi possit quouis modo sumi, sed eo pacto vt nulla præceptoris explicatio,nec prorsus labor optetur,sed vt omnibus notum ponatur, quod præsertim 4. Metaphysicæ textu 8. notabat. Primum Positio dicitur,postremum Dignitas, vel vt quidam Naturæ lumine,ac de se nota propositio,vel certe maxima , effatum , pronunciatum, proloquium,communis animi notio, quæ apud Interpretes cernuntur. Sed Positio sic sumpta potest dupliciter distribui,nam, *quæ vtramuis arripit Enunciationis partem* , & , *aliquid esse,vel non esse*, dicit Suppositio, *quæ vero sine hoc*,Definitio uocatur,quæ licet sub Positione tanquam illius species insit, tamen de decet suppositionem credere,quod ex eo renidet,quia aliud apparet,*vnitatem esse secundum quantum indiuiduum*, quod ad definitionem,at aliud,solum,*vnitatem esse*, quod ad suppositionem spectat. Et hæc sufficiant libasse, nempe, qua necessarium duximus ad Principij substantiam tenendam, & distinctius noscendum. Alias hoc eodem libro, magis ex proposito pendemus.

Altera solutio.

Totus Aristotelis progressus.

Principiũ immediatum duplex.

Positio duobus nolis vsurpatur.

QVO-

QVONIAM autem oportet credere, & scire rem, eo quod talem habemus Syllogismum, quem vocamus Demonstrationem: est autem hic eo quod hæc sunt, ex quibus est Syllogismus; necessum est non solum prænoscere prima aut omnia, aut quædam. sed etiam magis; semper enim propter, quod vnum quodque tale est, illud est magis tale, vt propter quod amamus, illud magis amicum est. Adeo vt si nouimus per prima, & credimus, & illa noscamus, & credamus magis, quoniam per illa nouimus posteriora. *Cont. 15.* *Pars cont. 16.*

PRAELECTIO IX.

PRINCIPIA NOBIS ESSE notiora euoluens.

SATIS vulgatum notamus ut Philosophus post immediati Principij finitionem, ac diuisionem, denuo reuertatur ad ipsum perfectius noscendum, haud sane secundum omnia, quæ in illo insunt, sed tantum ratione quarundam conditionum, quæ maius examen optabant; talis uero apparet, Principia magis nota esse quam conclusio. Præter quam quod cum Principiorum notitia tum ad conclusionem deducendam, & ignotam, tum quoque ad cognitam, & deductam referatur, Auerroes necessarium putabat, ut post primam habitudinem consideratam, quam solum prius absoluit, pariter aliam ageret, quod in præsentia orditur. Sed perpetuo timuimus numquid possint hæc uero quadrare, & Philosopho competant; nam cum prius hanc conditionem dederit, & ipsam declararit, prius, ac notius distinguens, qui post Principij diuisionem, iterum ad idem reuocant vix occurrit qua nam uia ordinem tuentur, quem in hoc uiro miramur; cum præsertim explete fieret dum primo laborem suscepit. Nam quod pertinet ad Auerroem quamuis prima fronte habent ut omnia uideantur deberi, tamen si parum cernimus nequeunt plene constare. Nam initio nostri textus cum enthymema proponit, sic in antecedente loquitur, quasi adhuc non perfecte Scientia adsit, sed potius mentis actionem signans, postea textu *Aliorum opinio.* *Auerroes.* *Non probatur.*

tu

tu 16.conclusionem obseruat uti ex Principijs deductam;At textu 17.dum repetit,quod 16.dixerat,expresse declarat se Principia spectare ex parte conclusionis deducendæ:Etenim ait, *habiturum autem Scientiam illam , quæ per Demonstrationem succedit , &c.* Ex quibus refulget sic notare conclusionis scitæ Principia, vt etiam noscendæ innuat. Quare est obseruandum ex Scientiæ finitione duo maxime prodire,quod alias tetigimus. Vnum existit Principia natura notiora esse,ijs uerbis , *scire autem arbitramur quando causam , &c.* alterum vero nobis esse notiora , cum inquit , *vbi causam nouerimus propter quam res est, &c.* ob quam rem in Ostensionis conditionibus dandis, monens Principia notiora esse haud decet vnico modo,sed vtroque sumere. Philosophus textu 11. sic explicat , qua solum magis nota natura indicat ; at quia non poterat sufficere , nec completam notitiam præstare, ni etiam distincte pateat;nobis notiora esse, merito hic aggreditur. Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima ostendit conclusionem ob Principia detegi. In altera cum Principia prænoscenda esse, tum quoque magis quam conclusionem. Quod pertinet ad primam partem sic ratiocinium disponimus. Intantum est Ostensio , qua Principia existunt , quibus illa conflatur , sed conclusio per Ostensionem patet , Igitur conclusio patet propter Principia. Maiorem positionem insinuat,*est autem hic eo quod hæc sunt ex quibus est Syllogismus*. Minorem cum ait ; *quoniam autem rem oportet credere , ac cognoscere eo quod talem Syllogismum habemus, quem Ostensionem dicimus.*At quia conclusio satis ex se patebat,ideo silentio voluens,aliam expressit alterius Syllogismi,nimirum, *necesse est non solum prima vel omnia,vel quædam , sed etiam magis prænoscere*. quæ ab hoc progressu pendet. Quod de alio per alterum dicitur , debet magis de primo dici,at de conclusione dicitur,quod sit nota propter Principia,Igitur non solum prius,sed etiam magis debent prænosci. Maiorem propositionem designat , *semper enim propter quod vnumquodque tale,etc.*Minorem dum inquit , *adeo vt si per prima cognouimus*,quo loco tantum abest,vt ex proprijs pergat , sicut quidam contendunt , vt communia qua talia sumat. Etenim præter quam quod maior ad varia se aptat,& illis rite debetur,id amici exemplo illustrat ; ex quo fit notum secundum communitatem capere. Potest etiam addi,quamuis ad proprium subiectum arctemus,haud propriam rationem præbere , tanquam illam,quæ ex proprijs , ac internis emanat , Atque hæc de totius pro-

Propria sententia. *Connexio.* *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.*

progreſſus ſtructura in vniuerſum. Adhuc ad partes properemus, quæ fortaſſe difficultatem ſeruant. Ac certe quo ad primam poſitionem, vt in arduis ſolet, plures vndique anguſtiæ, in diuerſum traxerunt. Nam cum dictio, *propter*, omnibus cauſis competat, quod ex Quinto Metaphyſices textu 23. renidet, minus ſe effert quomodo ad materiam ſpectet, nec recte procedit, compoſitum eſt per ſe corruptibile ob materiam, Igitur materia eſt per ſe magis corruptibilis. Nec eiuſdem veritas in forma adeſt, vt cum aſſeritur, lignum eſt calidum propter calorem, Igitur calor eſt magis calidus. Nec pariter in efficiente. decet id videre ratiocinantes, Cælum mouetur ob Intelligentiam, Igitur Intelligentia magis mouetur. Idem de finali cauſa apparet. Etenim minus valet, Homo laborat propter diuitias, Igitur magis diuitiæ laborant. Quod ſi ad Inſtrumenta conuertimur, præter quam quod transferunt ad cauſas principales, a quibus diriguntur, haud procedit, Animal perit propter enſem, Igitur enſis magis perit. At e contrario 5. Metaphyſicæ, textu 2. illam in genere efficientis ſumit, inquiens Ignem omnium calidiſſimum putandum, quia cæteris calorem impertit. Idem poteſt in noſtro textu cerni, in quo cum Principia ſic ſint efficiens, vt ſimul materiam miniſtrent, & concluſionem condant, ſic de efficiente accipit, vt pariter ad materiam penetret; at poſtea amici exemplum ferens, etiam finalem cauſam attingit. Septimo vero Metaphyſ. textu 7. & Octauo eiuſdem, 7. totum ad formam traducit; ſi quidem ait quod ſi licet formam priorem, & magis ens cenſere, quam materiam, eadem ratione quod ex vtriſque conſtat, prius licebit credere. Quæ cum ita ſe habeant miſsis pluribus, quæ paſsim apud Interpretes, aſſerimus hanc poſitionem ad omnes cauſas ſpectare; modo in illis ab vno ſumatur; id autem exponimus vt prædicatum, in quo comparamus, primo vni competat, tum reliquis reſpectu ipſius. Et ex his ſolutio ad contraria apparet, tanquam ea, quibus hæc conditio abeſt. Dum vero in minori ait, Concluſionem per Principia dignoſci, minus eſt vſurpanda quaſi à Principijs pendeat ſicut ab inſtrumento, ſed tali modo, vt velut à principali cauſa, quo pacto alias tetigimus. Ac vt etiam Concluſio clareat, eſt aduertendum cognitionem dupliciter accipi, vno modo ex parte diſtinctæ, alio in ordine ad confuſam notitiam; cum Philoſophus infert Principia magis noſcenda eſſe quam concluſionem, haud vltimam, ſed primam intelligit, nimirum illam, quam præſertim in Sa-

Maior propoſitio expenditur.

Minor propoſitio.

Concluſio.

piente cernimus, qui, vt ex 6. Topicorum, maxime Naturæ cohæret. Poteſt illo probari, quia ſatis eſt per ſe clarum aliqua Principia reſpectu confuſæ notitiæ a concluſione præcedi. At cur dicat, *vel omnia, vel quædam*. haud plane Interpretes concordant.

Prima expoſitio. Et quidem aliqui aſſerunt concluſionem, duplicem notionem ſubire; nam vel vſurpatur vt per omnia Principia firmatam, a quibus ex ſe pendet, vel ſolum per quædam Principia; primo pacto aiunt omnia debere notiora eſſe, at poſtremo, tantum abeſt ut ſint magis noſcenda, vt prorſus ignota remaneant. *Euertitur.* Verum hanc expoſitionem haud valde firmam exiſtimamus; nam vt prius notauimus in præſentia nullam aliam Scientiam, præter illam deſignat, quam potiſſima Oſtenſio largitur, talis vero ab omnibus Principijs pendet.

Altera expoſitio. Alii affirmant ſic interdum Oſtenſionem fieri vt maiorem, & minorem immediatas habeat, interdum autem ſolum alteram, ob quam rem ambas exprimere. *Euertitur.* Sed nec etiam vindicant a dubitatione; cuius rei ratio ſe effert quia præter quam quod indicat primariam Oſtenſionem, quæ vtramque immediatam optat, inquit, *prima vel omnia, vel quædam prænoſcere, ſed etiam magis*. at præſens explicatio nequit niſi ad dictionem, *magis*, referri. Libet quoque addere, tantum ad interna Principia ſpectare, hoc autem antea reiecimus, oſtendentes ſimul externa comprehendi.

Tertia expoſitio. Quidam factum contendunt ob quaſdam concluſiones, quæ ſic ſenſui patent, vt Principia ex quibus dependent nequeant notiora dici. Sic de illa ſuccedit, Sol deliquium patitur, cuius tantam notitiam tenemus, vt nullum Principium agnoſcat, quod eius euidentiam præeat. *Euertitur.* Sed hæc etiam opinio vt minus de notitia diſtinguit, ſic ſuam infirmitatem prodit. Ac quamuis Solem obſcurari ſecundum confuſam cognitionem magis apparet quam propria principia, tamen ex parte diſtinctæ, & de qua in præſentia, cum ab ea Principiorum manet, haud eſt verum cenſendum.

Quarta expoſitio. Plurimi credunt ſcopulum vitare ſi reſpondent non Philoſophum dixiſſe, quaſi vellet exprimere, nihil prohibere quin interdum concluſionis notitia quoddam ex Principiis ſuperet, ſed cum eius inſtituto ſit ſatis, ac vt eo, quo cupit pertingat, quædam id genus eſſe, ideo nihil de hoc firmare. *Euertitur.* Verum tantum abeſt vt noſtram mentem illuſtrent, vt potius tenebris obſcurent; nam indeterminate proferens minus comprehendimus qua via Scopum attingat, & plene Oſtenſio noteat, cum præſertim nullus locus ſe dedat, cui magis id competat, ſed hic proprius putetur ta-

lem

lem nodum ſoluendi. Ergo cum in aliorum dictis vix ſecuritas adſit, cenſemus ſic fuiſſe loquutum ob quandam Principiorum ſpeciem, quæ non præeit concluſionis notitiam. Decet in Poſitione cernere, tanquam illa, de qua vt textu 79. tantum abeſt ut Demonſtrans prænotionem optet, vt valeat aliter credere, ac contrariæ Opinionis eſſe. Et hoc pacto cum non ſolum hæc concluſio ad tempus, vel ſaltem ad naturam ſe referat, quod vox, *prænoſcere*, indicat, ſed etiam ad notitiam efficaciorem, vt dictione, *magis*, ſplendet, probe vtrumque ſignamus. *Propria expoſitio.*

NON poteſt autem credere magis his quæ ſcit, ea, quæ neque eſt ſciens, neque melius diſpoſitus, quam ſi eſſet ſciens; accidet autem hoc, niſi aliquis præcognouerit eorum, qui per Demonſtrationem credunt, magis enim neceſſe eſt credere Principiis vel omnibus, vel quibuſdam, quam concluſioni. Habiturum autem Scientiam illam, quæ fit per Demonſtrationem, non ſolum oportet Principia magis cognoſcere, & magis ipſis credere, quam ei, quod demonſtratur, ſed nec aliud ipſi credibilius eſſe, nec notius oppoſitis Principiis, ex quibus erit Syllogiſmus contrariæ deceptionis; Siquidem oportet ſimpliciter ſcientem immutabilem eſſe. *Pars cont. 16.* *Cont. 17.*

PRAELECTIO X.

PRINCIPIORVM HABITVM, ET PERENNEM certitudinem indicans.

NVNQVID præſens textus difficultatem ſeruet, an non, licet ex Interpretibus cernere, tanquam illis, qui plurimum in Scopo diſcordant. Quanquam hæc haud Ingenij neruos laxare, ſed potius debent intendere. Nos ab alienis abſtinentes, quæ ægre verum attingunt, cum præſertim ſem per minuta ſectari queat illiberale videri, & alias a Philoſopho reprehenſum, obſeruamus, quædam ſæpe in explicando proferre, quæ videntur extra locum inculcari, nimirum vt hac via ad id; quod intendit diſponat, & paulatim ad verum deducat. Ergo haud decet mirum eſſe ſi poſt quam concluſit ſic Principia noſcenda, vt etiam magis ſint quam concluſio, *Obſeruatio. Connexio. Inſtitutum.*

 conti-

continuo attingat de qua notitia intelligit, tamen illo modo, ut nihil expresse constituat, sed tantum duplex genus indicet, in quorum altero, necessario insit; quod nam vero credatur, ad suum locum reseruat. Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima de Principiorum Habitu insinuat. In altera de eorum perenni certitudine. Quod attinet ad primam partem D. Thomas sic rationem concinnat; Principia ante conclusionem noscuntur, cum adhuc illa non sit deducta, quare si haud magis nota essent quam conclusio, statim succederet, vt addiscens vel magis, vel saltem æque cognoscat, quæ adhuc non nouit, quam illa, quæ cognouit, hoc autem nequit cadere, Igitur etiam quod Principia in notitia conclusionem non præeant. Verum id ratiocinium valde dubium existimamus. Nam præter quam quod sic Principia accipit, illa cum conclusione comparans, vt minus nobis cognitam, sed adhuc noscendam consideret, nos vero firmauimus, vtrumque notare, dum sic inceditur consequens haud necessitatem habet; quod ex eo refulget, quia Philosophus, solum dictionem, *magis*, exprimit. Et hæc forte est ratio cur D. Thomas, *vel æque*, adiunxit. Libet etiam addere præcedentem notitiam cum efficaciori confundi, quæ in textu distinguuntur. Quare sic censemus incedere. Si Principiorum cognitio nec Scientia, nec sit perfectior dispositio quam Scientia, plane succedet nos magis credere, de quo nec Scientiam tenemus, nec perfectiorem dispositionem, quam id, de quo Scientiam tenemus, at consequens est falsum. Antecedens significat. *accidet autem hoc nisi aliquis prænouerit*. Consequens illis verbis, *fieri autem non potest vt magis credat, &c.* Consequentiam confirmat. *Etenim magis est necesse Principiis credere*. Potest vero hic progressus sic Ostensio fieri; Quod magis, ac certius alio notuit, eius notitiam vel decet Scientiam, vel præstantiorem dispositionem credere, sed Principia magis, ac certius notuerunt quam conclusio, Igitur Principiorum cognitio vel Scientia, vel perfectior dispositio credetur. Atque hinc deducunt Principiorum habitum, nobiliorem notitiam illa conclusionis esse.

Diuisio. *Expositio. D. Thom.* *Reijcitur.* *Ratio ex propria sententia.*

Quæstio proponitur.

Nos ne quicquam requiratur, adhuc parum tangemus, cum præsertim vndique rationes de possessu contendant. Quare in hunc modum opponent, qui nullam notitiam concedunt magis Scientia præstantem. Nam nostra mens sic naturaliter gerit, vt a minus perfecto, ad perfectius tendat, ergo a Principiis, ad Conclusionem pergens, erit confitendum Principiorum notitiam, minus nobi-

nobilem illa conclusionis esse. Præterea Quod notitia haud tanta dignitate pollet, quanta notitia Propter quid, at primam tantum ex propria conditione Principijs, vltimam Conclusioni damus. Tertio minus commune, magis præstans communiori dicitur, talis est Conclusionis notio, quę non sic ad plura, vt Principia penetrat. Demum finis eis est illustrior, quæ ad finem collimant, quare cum Principiorum cognitio ad illam Conclusionis tendat, erit affirmandum de Principijs notitiam, ab ea Conclusionis præcedi. *Euersio.* Sed qui hanc sententiam defendunt duos magnos aduersarios habent, Philosophum, & veritatem. Siquidem textu superiori probauit Principiorum notitiam illa Conclusionis maiorem esse; & in præsentia inquit haud posse fieri, vt id magis credatur, de quo nec Scientiam tenemus, nec perfectiorem dispositionem, quam id, de quo Scientiam tenemus. Inferius uero, maxime textu 21. stabilit, quę de Principijs habetur, ex Ostensione non fluere, nec Scientiam vocandam. Ergo satis enitet, magis insignem censere. Idem in fine Secundi libri asserit, quo loco testatur Principiorum notitiam, magis quam Conclusionis exactam esse. Vt autem id pateat est obseruandum, quod initio de Anima docebat, vnam notitiam, alteram ex rei conditione, ac excellentia præire, posse dupliciter capi, vno modo respectu Subiecti, alio in ordine ad certitudinem. Nos hic nihil de primo loquimur, sed satis apparet, sic Conclusionis subiectum dari, vt quodam Principio sit præstantius, a quo tota Conclusio pendet. At certitudo etiam duplicem ordinem notat; vnum ex parte eiusdem, vt dum circa aliquid versantes, magis efficax notitia aduenit, atque idem adhuc minus, adhuc magis inclaret; alium ratione diuersorum, & hunc vltimum sumimus. Hisce sic prænotis, nequit alio deprehendi num Principiorum cognitio, illa Conclusionis sit clarior, nisi ex minori pendentia, talis vero maior in Conclusione, quam in Principijs cernitur; quod ex eo refulget, quia Principia, vel nihil supra se habent, sed ex se independent, vel saltem in Scientia, in qua pro Principijs sumuntur. At Conclusio, sic Principijs adhæret, vt nequeat sine illis stare, sed ab eis suum esse accipit. Hinc textu 166. inuicem Ostensiones comparans, affirmat illam magis illustrem dici, quæ a paucioribus dependet: quod dictum haud Ostensionem qua talem, sed rei naturam respicit, & ad omnia pertingit. Quod si textu 178. aliter diuidit, ex alijs præstantiam pendens, decet aduertere solum notitiam attendere, quæ Ostensione aduenit, & intra Scientiæ cancel-

Vna cognitio magis est ex natura, quam alia insignis dupliciter.

Rationes aduersatol luntur.

los, quamuis nec perfectæ, se continet. Nam quod pertinet ad rationes minus tantum negocium præbent, quod non possit absolui. Et quidem ad primam cum aiunt Intellectum a minus perfecto ad perfectius progredi, ex quo inferunt Principiorum notitiam illa Conclusionis præcedi tanquam eam, quæ ob Conclusionem disponitur, breuiter dicimus si sic considerant, vt in genere distinctæ notitiæ, quam hic Philosophus attendit, plane nobis negari; quid uero fit in alio genere, vel de alia notitia firmandum, nihil ad nostrum munus, qui solum distinctam respicimus. Dum autem addunt, Quod notitiam minus nobilem esse quam notitiam Propter quid, si ea intelligunt, quæ etiam propter quid admittunt, sane concedimus; at si diuersa comparantur, quorum vnum quod, alterum quod, & propter quid subeat, vt de Principijs, ac Conclusione, quæ nequit absque ijs dignosci, haud contra, prorsus negamus. Libet quoque addere, vt suis locis patebit, Principiorum notitiam minus recte quod dici. Ad Tertium cum aiunt minus commune præstantius communiori censendum, talem Conclusionem esse, cuius notio non sic ad plura, vt illa Principiorum spectat, potest dupliciter sumi, vno modo quia de multis dicitur, & vocant in prædicando; altero vero quia pluribus dat esse, & secundum causam nominant, nos concedimus primo pacto minus commune magis perfectam naturam habere, at de alio negamus; cuius rei ratio se offert, quia id, qua causa est perfectius, quod ad plura pertingit; Et ex his fit notum cur superiora corpora magis insignes causas itidem prout tales, quam inferiora credimus, tanquam ea, quorum actio ad plura penetrat, & ab illis dependent. Quod si Principiorum cognitio in conclusionem collimat, nunquam decet inferre, simul præstantia præire, sed cum duplex sit finis, quod ex 2. de Anima, textu 35. apparet, primus cuius gratia, alter vero cui; vel certe, vt Auerroes, quem per motum acquirimus, & qui motui quodammodo anteit, postremus vere magis est illustris, haud tamen cuius gratia. Et quamuis sic Philosophus incedat, ut per id, vltimum bonum denotet, tamen solum contingit cum ipsum per se accipit; dum vero a fine cui separat, semper vt non vltimum intelligit; at Conclusionis notitiam haud finem cui putamus. Atque hæc in primam textus partem sufficiant. Restat adhuc altera pars. Nam cum antea probasset, quæ in Principijs notitiam illa Conclusionis maiorem esse, cernens, vt optime Auerroes, minus hic sufficere, sed pariter deberi Dialectico Syllogismo, qui ex ijs conflatur,

Principiorum cognitionem non probe Quod appellari.

Qua ratio ne minus commune sit nobilius quam magis commune, & contra.

Finis duplex.

tur, quorum notitia eam Conclusionis superat, ideo vult stabilire tantam in Principijs requiri certitudinem, vt nequeant in nobis mutari, sed perenne consistant. Id autem est indicium si sic erit apertum Principijs opposita falsa esse, *ex quibus fit Syllogismus contrariæ deceptionis*, vt nihil notius appareat. Licet vero sic probare. Simpliciter Sciens nunquam potest in notitia mutari, Igitur etiam Principia, quibus hæc Scientia pendet debent immutabiliter nosci. Antecedens designat, *siquidem oportet simpliciter Scientem, &c.* & ab eo vires sumit, quod postremo loco ponebat in Scientiæ finitione, nempe, *haud valet aliter se habere.* Consequens illis verbis, *sed nec aliud ipsi credibilius, nec notius esse, &c.* & huic progressui nititur, id per quod aliud est in Scientia immutabile cum est immutabiliter notum, tum quoque magis, at per Principia conclusio scitur, Ergo hæc cum sunt immutabiliter nota, tum pariter magis, quam conclusio. Et hac via sic consequens firmatur, vt vna ex proprijs monstretur Principia notiora esse conclusione, quod textu 15. tantum per communia egimus.

QVIBVSDAM igitur propter id, quod oportet prima scire non videtur Scientiam dari. Quibusdam autem dari quidem, omnium tamen Demonstrationes dari; quorum neutrum verum est, neque necessarium. Qui enim constituunt non esse omnino scire, hi ad infinitum existimant reduci, tanquam non scientes posteriora per priora quorum non sint prima: recte dicentes, impossibile nanque est infinita pertransire; Si vero stent, et sint principia, hæc dignosci non posse, cum non sit ipsorum demonstratio, quod quidem dicunt esse scire solum; si autem non est prima cognoscere, neque illa, quæ ex his posse simpliciter sciri, ac proprie, sed ex suppositione si illa sunt. Alii vero Scientiam dari fatentur, per Demonstrationem enim dari solum, nihil tamen impedire quominus omnium Demonstratio detur, posse enim circulo, & inuicem fieri Demonstrationes. Nos autem dicimus non omnem Scientiam esse per Demonstrationem, sed eam, quæ immediatorum est indemonstrabilem; & quod hoc necessarium sit manifestum est, si enim necesse quidem est prima scire, & ex quibus est Demonstratio, stant autem aliquando immediata, hæc necesse est esse indemonstrabilia. Hæc igitur ita dicimus, & non solum Scientiam, sed, & Principium Scientiæ esse quoddam dicimus, quo terminos cognoscimus.

Cont. 18. Cont. 19. Cont. 20. Cont. 21.

PRAELECTIO XI.

QVASDAM OPINIONES proponens, atque illis occurrens.

Connexio. CVM antea dixerimus ſic Principia noſcenda eſſe, vt non ſolum tempore, vel natura, ſed etiam efficaciori notitia concluſionem præeant, hinc duæ contrariæ ſententiæ fluxerunt; nam ex eo quod debent prima teneri, quidam dicebant nullam Scientiam dari. Contra vero alij, prorſus omnium concedi. *Inſtitutum.* Philoſophus hic totus ſe occupat, vt ambas refellat, quod ſic diligenter facit, vt nihil dubitandum deſerat. *Diuiſio.* Contextus in tres partes diuiditur. Et quidem in prima Dogmata proponit. In altera rationes. In tertia occurrit. *Expoſitio.* Quod attinet ad primam partem, qui Scientiam oppugnant, tali pacto incedunt. *Primæ ſectæ ratiocinium.* Vt nos ſcire ſuccedat, etiam erunt Principia noſcenda, at non alia cognitio præter illam apparet, quæ per cauſam, & Oſtenſionem aduenit, Igitur debent ex alijs Principijs comprehendi. Quare vel in infinitum pergemus, vel Prima apprehendentur, quæ cum nihil ſupra ſe teneant, ſed ex cauſa non pendeant, plane in illis ſiſtemus. Quo vis horum admiſſo, ſtatim emergit nullam Scientiam haberi. Ac ſane ſi ad primum vertimur, cum nequeat infinitum traici, hoc vero ad Scientiam optetur, nec poterit Scientia adeſſe. Quod ſi ad alterum, dum Principia ſic gerunt, vt a ſuperioribus deferantur, ſine quibus nequeunt plene noſci, nec ſimpliciter Scire facere, tanquam id, quod ab omnibus rei Principijs pendet, vt prorſus nota requirat, vix ſe effert quo pacto ad Scientiam ducant. Ergo magis tutum eſt dicere Principia haud ſui notitiam poſcere. At ex aduerſo qui omnium Scientiam defendunt in hunc modum ediſſerunt. *Alterius ſectæ ratiocinium.* Prima principia queunt dignoſci, ſed nulla Scientia niſi Oſtenſione datur, Igitur ſolum huius ope patebunt. At cum nihil ſuperius noſcant, ex quo illa ſe exerant, certe contingit, vt ſint per concluſiones monſtranda, quæ ab ipſis Principijs firmantur; qua via omnium gyro Oſtenſio, ac Scientia fient. Et hoc modo variæ ſectæ viri acriter Ingenium iacta-

iactabant. Quibus se Philosophus opponit, & quod in arduis solet mediam viam retinens, primum eos vniuerse, mox singillatim exturbat. Sed vt omnia splendescant est obseruandum, adhuc traditas rationes vnum maxime respicere, in quo tanquam solido nituntur fundamento. Est autem nunquam quicquam dignosci ni Ostensio concedat, quare id in præsentia negando, asserens, *haud omnem Scientiam per Ostensionem esse, sed quæ immediatorum inde monstrabilem*, vtramque rationem tollit. Et ne gratis videretur dixisse, responsionis partem firmat, quæ ait de immediatis notitiam, plane Ostensionem pellere. Nec sane longe petitis rationibus, sed illorum Principiis conuincit. Nam si circa Principia sic gerimus, vt minus infinite vagemur, sed tandem in immediatis stamus, debent vero Principia teneri, iam conclusio erumpit, Ergo sunt immediata noscenda. At cum immediatum sit indemonstrabile, quod itidem ij, cum quibus res est concedunt, talia vero sint Principia, eo vt claram deserens, hanc eius loco expressit, Igitur, *necesse est indemonstrabilia esse*. Maiorem positionem insinuat, *stant autem aliquando immediata*. Minorem cum ait, *etenim si necesse quidem, &c.* quo loco viri Ingenium suspicimus, qui vna primi progressus parte sic responsum stabilit, vt ipsam in illos retorquens, tum abunde euacuet, tum quoque admoneat nihil in ea includi, quod ipsi præclare non conferat. Et hæc ratio existit cur nihil de illa attexet; quasi deceat satis credere, quæ adhuc adduxit. Nam de altera parte, quæ in primis Principijs ponit infinitum, nihil putauit addendum esse, cum tantum absit ut quicquam officiat, vt nostram sententiam confirmet, quod ijs verbis notabat. *recte dicentes, siquidem est impossibile infinita transire*. Ac vt propius Syllogismos accedamus, & distinctius solutio iungatur; dum primi dicebant vel infinite vagamur, uel certe in Principijs manemus, respondetur nos in Principijs stare, quæ medio a priori uacant, & Ostensionem excludunt. At ex hoc non succedit nunquam posse dignosci, sed immediatorum notitiam haud Ostensio largitur. Dum autem alij addunt rite prima Principia patere, quare cum nequeat per priora esse, statim erumpit ut sit conclusionibus præstandum; tunc occurrimus aientes, sic nobis comprehendi, ut nihil a conclusione quærant, sed probè ex se patere. Quænam uero sit notitia, quoue pacto accedat, in fine Secundi libri pandit, ut quidam immerito querantur tanquam respondendo principium petat, scilicet supponens tantum cognita esse, nihil

Aristotelis mos.

Aliorum fundamentum.

Generalis solutio.

Primæ sententiæ ratio deletur.

Secundæ sententiæ ratio deletur.

præterea addens. Atque hinc refulget, *haud solum Scientiam*, conclusionis per Principia obtentam, *sed & quoddam Scientiæ Principium dari*, quem Intellectus habitum uocant, pro ut, *terminos noscimus*, id est prima complexa Principia, quibus cognitio dependet. Nam, ut credimus, tantum hæc per, *terminos*, denotat, tanquam illa, quæ ut probe Eustratius nostram notitiam determinant. Sed cernimus aliquem dubitantem quasi id in præsentia confirmet, quod in nostro munere Principium gerit, nam omnia, quæ hic tractat, sic in Scientia nituntur, & ab ipsa substantiam sumunt, ut si e medio tollitur, uel in dubium uocatur, nequeant tute constare, sed uel plane sit cessandum, uel alia imploranda facultas, cuius ope substentetur. Præterea passim monet, An sit quæstionem prius quam Quod sit tenendam, at in præsenti contrarium agit, cum ante quid sit Scientia dixerit, hic uero an sit quærat, aduersus eos disputans, qui prorsus illam negabant. Philoponus censebat omnem difficultatem tollere aiens traditam Ostensionis finitionem, solum ad Quid nominis spectare, ob quam rem ante An sit cognitam esse. Sed perpetuo timuimus vtrum vero conueniat An sit inquirendum esse, cum Philosophus moneat sic subiectum habere, vt tum quid nominis prænotionem, tum quoque respectu an sit postulet. Libet etiam addere Ostensionis finitionem tribus causis comprehendi, nimirum forma, fine, & materia; quare ni rei finitio dicitur, vix occurret vbi nam hæc lateat, quoue loco dederit. Quæ cum ita se habeant missis pluribus, quæ forte nodum non soluunt, licet posset responderi haud dicta ratione Scientiam, sed Principiorum notitiam tolli, tanquam illam, quæ Scientiam delet, tamen quia dum Principia diruit, pariter Scientiam diruit, saltem eam, quam antea signabat, asserimus alicuius facultatis Principia dupliciter vexari; vno modo rationibus, quæ nunquam eius Principijs hærent, nec quicquam inuicem communicant, sed plane sunt contraria; altero vero iis, quæ ab ipsa Scientia, & eiusdem Principijs pendent, quanquam praue intellectis; primo pacto non decet responsum dare, sed vt nihil officiant spernere, quod ex eo apparet quia prorsus a disciplina diffident; at postremo valde erit dispositum si ad rei notitiam clareant. Sic videmus sæpius præstasse. Nos ne nimij absque causa, tantum tria ex nostris libris legimus, quorum duo iuncta notantur, plura quiuis ex se cernet. Ergo vt fuit alias tactum dum a textu 3. ad 7. iretur, Sophistæ Scire petentes, tamen illo modo gerebant, & cauilli noti-

Prima controuersia.

Secunda controuersia.

Io. Grammatici solutio.

Reijcitur.

Verior solutio.

Duobus modis Principia turbantur.

notitiam ſupponebant, vt prorſus verum crederent, & cuidam Scientiæ niterentur. Idem etiam Plato ſeruauit, qui aſtruens noſtrum Scire eſſe reminiſci, Principio inhæret, Omnis doctrina, & omnis diſciplina Intellectiua ex pręcedēti fit cognitione, ob quam rem rationes ſoluit. Hoc idem in præſentia ſeruant ex Principiorum notitia tentando. Quibus ſe Philoſophus opponit haud an ſit Scientia quærens, quam expreſſe ſupponit, ſed tantum rationem inanem detegens. Eo autem hic præſtitit, & poſt nudatas Principiorum conditiones, quia ab ijs praue ſumptis fluxit. *Quod ſit ſcientia ſupponitur.*

CIRCVLO *autem quod impoſsibile demonſtrare ſimpliciter, manifeſtum eſt: ſi quidem ex prioribus, & notioribus oportet Demonſtrationem eſſe. Fieri enim non poteſt, vt eadem eiſdem ſimul priora ſint, & notiora; niſi altero modo vt hæc quidem ad nos, illa vero ſimpliciter, quo pacto Inductio facit notum. Si autem ſic, Scientia ſimpliciter non eſt bene definita, ſed eſt duplex. An non eſt ſimpliciter altera Demonſtratio, quæ fit ex nobis notioribus. Accidit autem iis, qui circulo Demonſtrationem fieri aſſerunt, non ſolum id, quod nunc dictum eſt, ſed etiam vt nihil aliud dicant, quam hoc eſſe, ſi hoc eſt; ſic autem omnia facile monſtrare. Quod autem id contingat manifeſtum tribus terminis poſitis, nam per multos dicere, vel per paucos reflecti, nihil refert: per paucos autem vel per duos; quando enim A. exiſtente ſit ex neceſsitate B. hoc autem exiſtente ipſum C. vtique exiſtente A. erit C. Itaque ſi A. exiſtente neceſſe eſt B. eſſe, hoc autem exiſtente ipſum A. (hoc enim erat circulo vti) ponatur A. in quo eſt C. Igitur dicere B. exiſtente A. eſſe, eſt ipſum C. eſſe dicere, hoc autem quod A. exiſtente C. eſt: at C. ipſi A. idem. Quare contingit iis, qui dicunt circulo Demonſtrationem fieri, vt nihil aliud dicant, quam quod A. exiſtente A. eſt; ſic autem omnia monſtrare facile eſſet. Verum neque id poſsibile, præter quam in iis, quæ ſe mutuo conſequuntur, quemadmodum propria. Vno igitur poſito oſtenſum eſt quod nunquam neceſſe eſt eſse aliquid aliud; dico autem vno, ſcilicet nec termino vno, nec poſitione vna poſita; ex duabus autem poſitionibus primis, ac minimis contingit, ſi debeat eſſe Syllogiſmus. Itaque ſi & A. conſequatur ipſum B. & C. & hæc tum ſe mutuo, tum ipſum A. conſequantur, ſic contingit vt ex ſe mutuo demonſtrentur omnia petita in prima figura: vt oſtenſum fuit in libris de Syllogiſmo: ſed hoc etiam oſtenſum eſt quod in aliis figuris vel non fit Syllogiſmus, vel non de acceptis. Quæ*

Cont.22. Cont.23. Cont.24. Cont.25. Cont.26. Cont.27.

vero non reciprocantur, nullo modo eſt circulo monſtrare; adeo vt, quoniam pauca talia in Demonſtrationibus, manifeſtum ſit quod non ſolum vanum, ſed quoque eſt impoſſibile dicere ex iis, quæ ad ſe inuicem res poſſe demonſtrari, & propter hoc omnium contingere Demonſtrationem eſſe.

PRAELECTIO XII.

POSTERIOREM SENTENTIAM ſeorſum explorans.

Connexio. AT cum illa, quæ alterius Sectæ viri proponunt valde apparentiam præferant, ob quam rem cauendum erat ne in animos irreperent, ideo conſtituit paulum in eis morari, atque adeo per ſe expendere. *Inſtitutum.* Tanti vero facere deſignat, vt triplici ratione impugnet. Neque ſane negocium dedat, quaſi nihil amplius de primo Dogmate, ſed plane ipſum deſerat; nam vt fuit indicatum, ſic omnia quæ huc ſpectabant, tradita ratione confecit, vt cum illud communiter, tum ſeparatim delerit. *Diuiſio.* Contextus in tres partes diuiditur ex tribus rationibus, quas proponit. *Expoſitio.* Quod attinet ad primam partem cum Philoſophi rationes, id maxime contendant, vt in gyrum Oſtenſio tollatur, haud decet ab re eſſe ſi ante quam proponamus, quid nam ſit hic gyrus, quoue pacto fiat inclareat. *Cur circularis Oſtenſio dicitur.* Quare miſſis pluribus, quæ poſſent ex Prioribus tradi, credimus id nomen ſortiri, quia circularem figuram exprimit. At hæc duplicem notionem ſubit, primam vt imperfectam ſumendo, quod ſuccedit cum ab eodem ad idem non redit; aliam vero tanquam perfectam, & contingit ſi ab eodem ad idem prorſus terminat. Idem *Circularis Oſtenſio duplex.* eſt de noſtro orbe dicendum. Nam cum Oſtenſio duabus poſitionibus conſtet, quibus concluſio pendet, minus perfectus putatur, ſi poſt concluſionem illatam, tantum altera poſitio probatur; quod ſi ambæ poſitiones, ita tamen vt eodem modo fiat, tunc eſt *Quo pacto fiat abſolutus Oſtenſionis gyrus.* perfectus cenſendus. Philoſophus in præſentia haud primo modo, ſed vltimo intelligit. Licet autem ſic condere. Nam primo oſtenſam concluſionem ſumentes, & minorem conuerſam iungendo, ſtatim maiorem monſtramus. Exin eandem con-

conclusionem aptantes, & maiorem conuersam nectendo, mox simul minor firmatur, & erit plenus gyrus contectus, qui in eo consistit, vt conclusio per duas positiones detecta beneficium rependat, & eodem modo illustret. Addimus vero, eodem modo, quia haud satis videtur ad completam in orbem Ostensionem, dum sic conclusio positiones, vt quodammodo probet, sed cum debeat gyrus similis esse, illud optatur, vt perpetuo extet quasi ad effectum tendamus, vt per primam, & maximam causam fiat, & perfectæ Ostensionis munere. Hisce sic prænotis ad rationes pergamus, quę in gyrum Ostensionem tollunt. Prima tali pacto habet. Simpliciter Ostensio ex Principijs consistit, quæ sunt nobis, ac natura notiora, quare est impossibile, simpliciter circulo monstrare. Antecedens designat, *siquidem ex prioribus, & notioribus, &c.* Consequens illis verbis, *circulo autem quod impossibile, &c.* Decet illo munire, quia, *eadem simul eisdem*, & sibi inuicem, nobis simul, ac natura priora, & notiora essent. Et quidem positiones cum conclusionem monstrent, magis notæ, ac primæ quam conclusio; contra vero hæc prior, & notior positionibus, tanquam illa, quæ eas illustrat, atque adeo idem prius, ac posterius, notius, ac ignotius dicetur, quod quam sit absurdum satis per se apparet, cum nequeat præstari, *nisi altero modo, vt hæc quidem ad nos, illa vero simpliciter, quo pacto Inductio facit notum.* Quæ verba quid maxime importent haud plane Interpretes concordant. Quidam ad superiora nectunt, quasi dicat nunquam contingere, vt eadem magis prima, & nota inter se, & eodem pacto existant, sed tantum, *altero modo, vt hæc quidem ad nos, illa vero simpliciter.* Ex quo sibi opponit inquiens, *si autem sic*, concedimus, continuo emergit duplicem viam dari, qua simpliciter sit Scientia. Prima ex prioribus, & causis secundum naturam, cui tradita finitio competit; altera solum ex nobis prioribus, & notioribus, & cum talis finitio non comprehendat, nobis videtur dicendum diminute Scientiam finisse. Verum hanc expositionem minus plene solidam putamus. Etenim haud se effert cur esset adhuc hæc difficultas excitanda, cum ad textum 12. spectet, in quo prius, & notius distinxit. Quare censemus quoddam effugium signari, quod forte quis rimatur; nam quamuis minus deceat idem in ordine ad idem, & eadem ratione, simul notius, & ignotius, prius & posterius esse, tamen in ordine ad diuersa, & respectu distinctæ rationis est concedendum. Et hac via contradictio deletur, quæ Osten-

Prima ratio.

Quorundam expositio.

Euersio.

Propria expositio.

Ostensionis gyrum oppugnat, cum præsertim pateat, etiam notitiam ex solum nobis prioribus gigni, cuius amplum est indicium, quia Inductio ex singularibus, & magis nobis notis ordiens, recte Scientiam parit, at Ostensio ab vniuersalibus, ac simpliciter notioribus. Huic se Philosophus opponit per Scientiæ finitionem. Ac sane si tutum esset dicere notitiã secundum nos, & disiunctim acceptam, simpliciter Scientiam præbere, statim emerget non probe Scire finisse, tanquam solum contingat, vt ex causa, & nobis, ac natura notioribus fiat; id autem proferre, tantũ abest vt vero conueniat, vt Philosophorum consensus temnat, cuius fuit testimonio firmatum, atque adeo ab illis, qui parum memores pugnantia fundunt. Quare magis firmum constat si concludimus Ostensionem, *quæ ex solum nobis notioribus pendet*, haud posse talem simpliciter, sed tantum secundum quid censeri. Atque hæc de prima ratione.

Altera ratio: Alia ratio occurrit, quia si gyrum concedimus, statim succedet idem per se ipsum ostendi, nec quicquam nos inferre, *quam quod hoc est, si hoc est*, at si hæc via panditur, iam omnia licebit monstrare. Vt vero clare pateat, duos terminos, id est positiones sumit, cum nihil referat siue duo, siue tres vsurpentur, vt eo, quo intendit pertingat. Quod si A. & B. elementis explicat, ac in eis circulum proponit, ideo maxime præstat, vt sicut Auerroes monebat textu 98. hic, sermonis vniuersitatem notet, nec ob determinatam materiam esse. Sed cernens ipsum A. bis assumi, ob quam rem obscuritatem præberet, eo tres positiones adhibet A. B. C. quibus id clare fulget, & binas consequutiones infert. Sic autem ratiocinium habet; A. existente necessario existit B. B. existente necessario existit C. Ergo tertio succedit vt existente A. necessario existat C. Hoc posito adhuc circulum ab A. ad B. & a B. ad A. notemus, tali pacto incedentes; A. hoc extremo gyro positum illo modo se habet, ac in tribus positionibus C. habuit, quod ex eo renidet, quia hic eundem locum A. seruat, quem prius C. seruabat, quare si A. loco C. ponimus, vt tunc ab A. ipsum C. pendebat, sic in præsenti ab A. ipsum A. pendebit; qua via idem per idem monstratur quasi per primam causam, ac proinde sic prius, & posterius erit, vt simpliciter existat. Et hæc de altera ratione.

Tertia ratio. Quod ad vltimam pertinet, cum satis detexerit, quam sit circulus spernendus, modo haud directe impugnat, sed solum stabilit, quod etiam hoc gyro admisso nequeunt quo intendunt venire, nempe illo posse omnia Ostendi, qua via magis id dogma infirmat. Ac vt id recte cadat,

illud

llud sit probe fixum vno vel termino, vel positione admissa nihil necessario comprehendi, sed vt primo Prior. Cap. 22. tunc præstari si ad minus agatur vt duplici positione, & tribus terminis fiat. Præterea tunc perfectus circulus euadit dum ex plene nota conclusione vtraque positio Ostenditur, at id nequit in omnibus, sed solum in prima figura strui, nec quidem sparsim, sed tantum in primo eius modo. Et vt breui inducendo pateat, licet altero modo ex minori aiente conuersa, & neganti conclusioni iuncta, recte maior negans prodeat, tamen ex maiore, & conclusione negantibus, haud minor aiens prodibit. Idem de tertio modo credimus, tanquam eo, in quo maior quidem, & conclusio minorem, at conclusio minori iuncta nequeunt maiorem inferre, cuius rei ratio se effert, quia hæc vniuersalis, illæ vero in parte se habent. Nam quod attinet ad Quartum modum; cum maior vniuersalis negans, minor vero in parte aiens, & conclusio sit in parte negans, prorsus neutram positionem monstrat. Neque sane putandum est id in reliquis figuris esse, quibus, *vel non fit Syllogismus, vel non de acceptis*. Decet illo probare, quia vel nullam positionem conclusio, vel tantum vnam deducit, quo pacto haud acceptas monstramus, nec perfectus gyrus erit. Quæ cum ita se habeant valde renidet, si sit ei locus dandus, sic primam figuram optare, vt tantum primum modum postulet. Quanquam minus sumimus quasi semper sit verum, sed tali pacto si, *A. ex B. & C. sequitur, & hæc ex se inuicem*, *ac ex ipso A.* id est cum termini sunt dispositi, vt simpliciter conuertantur, quod cum in paucis contingat, etiam paucæ Ostensiones essent. Et ex his fit notum hanc procedendi rationem dum respectu formæ accipitur, optimam esse, si vero ex parte materiæ, minus semper constare. Et hęc ratio existit cur alias, & apud Dialecticum admittit. Nam cum ex probabilibus pergat, hæc autem dicantur quæ pluribus apparent, certe nihil prohibet quin causa quamuis per effectum illustris, simul ab illo dependens, ipsum quasi prius noscat. At simpliciter demonstrans, cum dirigat ad necessariam materiam, & eo modo se gerat, vt rerum naturæ se adaptet, nec effectus queat dici sua causa prior, dum absolute sumatur, plane succedit, haud talem gyrum moliri.

Dialecticus circulum recipit.

PRAE-

PRAELECTIO XIII.

VTRVM DEBEAT REGRESSVS concedi, & qua ratione fiat obseruans.

SED difficultas existit quia licet in gyrum Ostensionem destruat, tamen videtur Regressum astruere. Ne autem vocis ignorantia conturbet, cernimus apud illustres Peripateticos tripliciter sumi. Et quidem primo si intermedijs effectibus ad illorum causas ascendimus, quibus cognitis, non amplius ad eosdem effectus, sed ad alios conuertimur. Postea dum ex effectu causam concludimus, tum causa distincte ex alijs intermedijs nota, iterum ad eundem effectum regredimur, vt ipsum distincte noscamus. Demum cum ex manifesto effectu infertur causam esse, a qua statim propter quid effectus comparet nullo medio ratiocinio, ex quo illa pateat, sed tantum Mentis apprehensu quod hæc causa, at talis res sit effectus. Hisce hoc modo notatis affirmant prima duo minus vere Regressus vocanda, nec proprie id nomen mereri; de Tertio libenter concedunt; cum præsertim Alexander testetur apud Simplicium 2. Cæli, textu 59. Licet vero ex octauo Physic. & alijs locis probare, quibus hunc Regressum cernunt. Neque sane ratio deest, per quam firmetur. Nam cum hic solus virtute primi fiat, reliqui non item, quod ad verum Regressum postulant, certe contingit, vt nec queant id nomen habere. Sed vt Alexandri putamus sententiam verissimam, sic eorum fundamenta infirma. Nam illo Octauo Physic. dum primo ex motu æterno æternum Motorem legit, postea ex Motore æterno æternum motum, haud credimus sic perfecte regredi, vti isti contendunt. Quo loco est aduertendum, vt id obiter, non de motu æternitatem, quasi de primo subiecto, sed coniunctum ostendi, scilicet æternum motum per Motorem æternum tamquam per primam causam, quod Philosophus explicat præsertim textu 53. At quamuis hæc ita se habent, tamen adhuc indagatio optatur, quod perfectum Regressum impedit, nimirum illa cur Motori æternitas competat, quam comple-

Regressus triplex.

Quid sit existimandum de loco Octaui Physic.

tæ

tæ causæ partem censemus; cum autem innotuit, statim propter quid æterni motus adest. Et hæc ratio existit cur quasdam conditiones de æterno Motore quærebat. Neque sane quis existimet Ostensionem sic esse, vt causam præcedentem agnoscat, tanquam illam, quæ in medio sumit Motoris æternitatem, nam vt diximus, Motoris æternitas, minus tota causa, sed tantum pars putatur, at Motor æternus simul sumpta tota causa; quo pacto nec aliam supra se habet, & expletum medium componit. Nunquid vero hæc Ostensio sit in potissimis locanda, vel potius requiritur, quod textu 63. monebit, nempe vt maius extremum sit vniuocum, & causa non solum ex parte, sed etiam prorsus independens, haud est huius negocij. Et ex his effulget, nunquam vero quadrare, quod aliqui contendunt, aientes causam, ob quam æternus Motor motum æternum præbet, illam maxime dicendam, quia nihil cum materia communicat, nam cum hoc non ens, ac priuatio signetur, vix se effert quo pacto circa ens sic gerat, vt possit vera causa dici, per quam ipsum prodeat, quod per se ab ente efficitur, sed verius sine quo non vocamus, nec quidem æterni motus, sed æternitatis in Motore. At de his alias. Quæ cum ita se habeant, vt ad rem redeamus, tutius est credere, perfectum Regressum inter Motum, & Motorem dari. Etenim dum notuit, mentis ictu causa motus exstat, quod decet satis censere, ad motum tali modo noscendum. Quod autem pertinet ad rationem illis periculum imminet, quanquam nostris temporibus illustres, ne dum nimium Regressui fauent, Circulum inducant. Illud vero ad credendum cogit, quod sibi putant conferre. Nam si verus est Regressus cum ex causa, tantum virtute effectus nota, & ex primo conflatur, vti isti affirmant, si hæc causa distincte effectum promit, quod pariter concedunt, plane succedit perfectam effectus notitiam primo, ac per se ab eiusdem effectus notitia manare; ac proinde idem per idem patebit, & eodem modo. Et hac via tantum abest vt quicquam dicta ratio conuincat, vt magis propriis armis fugentur. Quare asserimus hunc eo præcipuum Regressum esse, quia sic causæ notitia ab effectu dependet, vt solum per illum inclareat tanquam per signum, quem postea ipsa a priori monstrat; quo modo haud fit causam effectus viribus, & primario, sed quasi ab instrumento pandi, nempe ob expressam connexionem, ac pendentiam, quas in ijs duobus cernimus. Quæ cum ita se habeant sic de Regressu agetur, vt etiam Speciem continet, quam secundo

Quid deducatur.

In quibus perfectus Regressus adsit.

Quantum ratio polleat, quam adducunt.

Propria ratio.

tetigimus : Ac licet plene id nomen non competat, tamen Interpretum consensio sic sumens, nos inuitat vt manus admoueamus. Nam quod attinet ad primam, quamuis aliter Simplicius, haud consortem facimus,sed libenter explodimus,velut illam, quæ vix Regressus notam præfert. Ergo aliqui audent etiam talem Regressum negare, ipsum cum impossibilibus locando. Sic præsertim Balduinus testatur. Probant primo illis rationibus, quibus fuit circulus destructus. Nam cum omnis Ostensio ex notioribus constet, apparet in Quia Ostensione sic effectum,& causam esse, vt effectus notitia causam præeat,velut id,per quod ea se essert. E contrario in Propter quid tali pacto se habent, vt causæ notitia illam effectus præstet. Neque sane quis credat se dubium vitare asserens causam magis notam natura,at effectum nobis esse,quia nulla Ostensio notitiam nisi nobis notioribus geret. Ex quo contingit idem,saltem in ordine ad nos eiusdem notius, ac ignotius poni,quod num sit incoueniens, satis antea diximus. Præterea si Regressus inducitur idem semet ostendet, vt si rationale risiuum, & contra,idem per idem patebit. Adest etiam alia ratio,quam ex se cogitarunt. Nam in prima Ostensione uel apparet effectum a tali causa,vel nobis non apparet fieri; si vltimum iam nulla via remanet, per quam nobis causa pateat; quod si primum frustra ad effectum regredimur eius propter quid scrutantes, cum plene alia Ostensio dederit. Alteram sententiam Peripatetici tuentur,aientes non solum possibilem, sed etiam necessarium Regressum, vt Scientiæ accedant.Sic Themistius hic Cap.7. & Secundo lib. 18. & 30.Auerroes Com.23.24.26.97.& Octauo Physic. Com. 50. 54. Philoponus Com. 81. Simplicius 2. Cæli Com. 59. Diuus Thomas hic lectione 10. & Secundo Cæli textu 59. Potest pluribus muniri, quæ praeclare rem confirmant, nos ne iure rideamur, quasi Soli lumen ferentes, tantum tentabimus vt illa se exerant, quæ præ ceteris firma putantur.Ergo hic textu 23. docens Ostensionem, quæ solum nobis notiora sumit, haud sub ea simpliciter claudi,expresse testatur Regressum dari.Hoc idem Secundo libro monet,textu 92. atque adeo alijs locis, sed maxime Octauo Physic. vbi sic ex motu æterno æternum Motorem legit, vt postea ex Motore æterno æternum motum monstret.Et 2.Cæli tex.13.quia Cæli ab Ortu in Occasum rotantur, in illis sursum,ac deorsum detegit, quod postea textu 15. Sumens ostendit Cælum ab Ortu in Occasum volui. Neque sane ratio deest ad idem probandum.

Opinio quorundam.

Peripateticorum sententia.

Nam

Nam vt etiam concedunt cum quibus adhuc res est, sæpe effectus habet ut ad causæ notitiam ducat, minus quidem perfectam, & vt completa cognitio poscit, sed tantum adumbratam, ac imperfectam, quo casu dum fuerit adepta vt queat plenam notitiam dare, probe Regressus conditur, & per causam ad effectum pergimus. Quod vero pertinet ad rationes, licet alibi dicta satis essent, tamen ne id quis requirat, eo parum tangamus. Ac certe dum primo concludunt posito Regressu idem notius, & ignotius dari, asseritur haud absurdum censendum si diuersa ratione contingat. Sic effectus in confusa notitia causam excedit, at contra causa effectum in distincta. Eadem via alteri occurrimus, concedendo ab eodem ad idem esse, sed non eodem modo, quod requirimus in Circulo, in Regressu negamus. Nam cum tertio addunt quasi nos ancipiti gladio petant, vel in prima Ostensione apparet effectum a causa gigni, vel certe non apparet, quorum neutrum videtur dandum, dicimus sic interdum causam esse, vt prorsus nihil se efferat, interdum vero adeo confuse, vt non possit teneri, nisi quædam notatio accedat, per quam distincte splendeat. Et hæc ad Regressus confirmationem. Restat adhuc exponere quo pacto sit præstandum, vna indicantes quo cum Circulo congruat, vel dissideat, & erit præsens labor expletus. Igitur credimus triplici Mentis actu plenum Regressum absolui. Et quidem vnus est quod Ostensio, & succedit cum ex effectus confusa notitia, simul ad causam tollimur confuse noscendam. Alter uero quædam Mentis indagatio, scilicet dum post causę confusam notitiam, eiusdem distinctam tenemus. Vltimus propter quid Ostensio, & contingit cum per causam distincte notam, pariter distincta uenit effectus notitia. At cum hęc nequeant comprehendi, ni declaratio additur, haud est inane censendum, si exemplo pręstemus, ex quo omnia illustrentur. Et ne longe discedatur, vel uersemur in obscuris, sint rationale, ac risiuum, quibus negocium conficimus. Sic autem primo ex noto effectu causa infertur. Omne risiuum est rationale, sed omnis homo est risiuus, Igitur omnis homo est rationalis. Circa quem progressum Interpretes non solum de minori, sed etiam de maiori uacillant, nempe quo modo clarent. Quod ad minorem attinet sic credimus Inductione nosci, quod subiecto affectio inhęret, ut interdum minus fiat, sed alio signo pateat. Idem est de maiori putandum, cuius in terminis connexionem, tantum per Inductionem nitere, cum ad hoc infirmitas notetur, plane dubium credimus. At si pa-

In contrarium allatis occurritur.

Integer Regressus triplicem poscit Mentis actionem.

Quo pacto minor, & maior propositio splendescunt.

si parum inspicitur quamuis ex hoc actu inter conclusionis subiectum, & prædicatum se effert necessaria coniunctio, tamen haud decet ab hac Ostensione ad illam causæ regredi; quod ex eo refulget, quia uel adhuc causa qua talis ignota, vel saltem non sit cognita, vt notitia propter quid postulat. Quare debet alter actus dari, qui siue mentale examen, siue Intellectus negociatio, siue notatio, ac ratiocinium, siue aliter dicitur, est ipso causa noscenda, nimirum quantum satis videtur vt plene ad Scientiam ducat. Hoc vero interdum haud ex alijs, sed ex Mentis apprehensu continget, ob conspicuam pendentiam, quæ inter medium terminum, & prædicatum adest, ut in nobilissimo Regressu, interdum ex ratiocinio a signo, ob minorem euidentiam, vt de altera Specie minus nobili, quicquid aliqui reclament. Quo facto, statim tertium actum gerimus, & ex causa plene nota, iam effectum plene dignoscimus, & propter quid Scientiam sumimus. Nam cum primo innotet rationale risiui causam esse, statim maior vniuersalis prodit, Omne rationale est risiuum, quod si subiectum proponitur, in quo hæc causa inest, tunc minor existit, Omnis homo est rationalis, at quia mox se effert in eodem risiuum, in quo eius causam esse, merito infertur, Igitur omnis homo est risiuus. Sed cernimus aliquem opponere, quasi nequeat perenne credi, vt triplex actus concurrat, nec aliter Regressus constet, sed nihil prohibet quin interdum in prima actione sic causa per effectum splendeat, ut tanquam causa noscatur, atque adeo perfecte, ut nihil pro effectus notitia restet, quare frustra secunda actio promitur. Aliqui concedunt etiam posse esse, vt vnicus actus, & Ostensio Regressum expleat, at ex hoc non huius substantiam tolli, sed illo quiescere si non tempore, saltem natura distinctæ notitiæ comparent. Verum quamuis hæc Peripatetici dicant, tamen haud valde peripatetica credimus, nam si vno progressu non solum causa, sed etiam effectus plene patent, Ostensionis speciem inducunt, quæ ex illis conflatur, quæ simul ab effectu, & causa procedunt, & quidem cæteris illustrior, quo perfectius opus relinquit; hoc autem Philosopho est aduersum in duas species secanti. Neque nobis negocium præbet quia hi actus, solum naturæ distinctionem habent, nam in quod, vel propter quid Ostensionibus nunquam hæc distinctio se offert. Quare magis tutum est asserere expressam effectus pendentiam sic quandoque Mentem pulsare, atque adeo repente ut putemus omnia vno instanti præstare, non tamen uerum censendum, sed

Dubitatio. *Quorundam solutio.* *Non probatur.* *Propria solutio.*

illos

illos tres actus dari. Numquid vero inrer eos terminos claritas, & pendentia, ex natuta rerum, ac ex Mentis celeritate fluat, & assuetudine; vel interdum ab vno, interdum autem ab alio nostrum munus excedit. Atque hinc cum trium actuum necessitas, quos tetigimus, tum regressus finitio enitet, quam venabamur. Potest vero sic connecti. Regressus est progressio ex Ostensione ab effectu ad illam propter, quid in eisdem terminis confecta, vt distincte minor Ostensionis ab effectu sciatur. Dicimus, ex Ostensione ab effectu ad eam propter quid, ut refulgeat haud transitum ex propter, quid ad illam ab effectu fieri, cum Ostensionis a causa nihil restet noscendum, quod dedecet de altera credere, tanquam ea, quæ tantum rem esse promat. Præterea indicamus binas Ostensiones requiri vt Regressus absoluatur. Dicimus, in eisdem terminis confecta, quando, vt prius notauimus, debent semper manere. Addimus, vt distincte minor Ostensionis ab effectu sciatur, nam id maxime optamus, vt complete affectio pateat, & de suo subiecto noscatur, quod solum in minori succedit. Et ex his fit notum, quo pacto perfecta in orbem Ostensio, & Regressus conueniant, ac differant; & sane tantum videntur congruere quod ambo ex terminis constant, qui reciproci existunt; Diffident vero primum, quia sic gyrus in vtraque Ostensione, vt quasi per propriam causam pergat, qua via effectus semper vt causa sumitur. At in Regressu ex effectu ad causam ducimur, ex qua post recedendo, effectus per causam splendet. Præterea in gyro conclusio nota ambas positiones infert, quibus prius effluxit; id autem haud de Regressu contingit, in quo solum minor Ostenditur. Demum gyrus idem per se ipsum detegit; sed Regressus cum ex effectu ad causam tendat, postea ex causa ad effectum, Quæsitorum varietatem respicit, & vt saltem ratione inter se distent.

Regressus definitio.

In quibus circularis Ostensio, & Regressus concordent, ac dissentiant.

QVONIAM autem impossibile est id se aliter habere, cuius est Scientia simpliciter, necessarium vtique illud, quod est secundum demonstratiuam Scientiam scibile; Demonstratiua autem est, quam habemus eo quod habemus Demonstrationem; Demonstratio igitur est Syllogismus ex necessariis constans. Accipiendum igitur ex quibus, & qualium sunt Demonstrationes. Primum autem constituamus, quid dicimus de Omni, & quid Per se, & quid Vniuersale. De Omni quidem hoc dico, quod sit vtique non in aliquo quidem, in aliquo autem non; nec aliquando

Cont.28.

Cont.29.

do quidem, aliquando vero non; vt ſi de omni homine animal, ſi verum eſt hunc dicere hominem, verum eſt, & animal, & ſi nunc alterum, & alterum; & ſi in omni linea punctum, ſimiliter eſt. Signum autem eſt, namque inſtantias ſic ferimus, vt de omni interrogati, vel ſi in aliquo non, vel ſi aliquando non.

PRAELECTIO XIV.

PRINCIPIA INTERNA, neceſſaria eſſe denudans.

Connexio.

DIVI Thomæ connexione omiſſa tanquam ſatis difficultatem præferat, Philoſophus, quod intendit declarat. Nam cum antea textu 9. inter Oſtenſionis indicaſſet conditiones, ſic debere Principia eſſe neceſſaria, vt non ſolum interna, ſed etiam externa ſignaret, nec ſane, vt a cæteris diuerſam, ſed quaſi in eis contentam conditionem, in præſentia de primis aggreditur, velut ijs, quibus maxime Scientia pendet, de alijs vero proprio loco aget. Quod ſi aliquem conturbat tanquam parum in Philoſophum grati, ipſum inordinatum reddentes, cum de illis quærat, quæ prius videbantur noſcenda, dum reliquas conditiones detexit, eſt obſeruandum ſæpe in declarando deſeri, quæ limatius examen, & quodammodo tractatum optant, qui ſit eis peculiaris, nec aliam ob cauſam, niſi vt filum conſeruet, quem præ manibus habebat. Quare haud licet nouum credere, & a recta via remotum, ſi in illo adhuc verſatur, quod iuſtum fere tractatum poſcit. Contextus in quatuor partes diuiditur. Et quidem in prima Scibilis, ac concluſionis neceſſitatem exprimit. In altera ex concluſione confirmat Principia neceſſaria eſſe. In Tertia proponit, quæ ad neceſſitatem concurrant. In quarta primam detegit pro neceſſitate conditionem. Quod attinet ad primam partem ſic primum enthymema procedit. Id, de quo ſimpliciter Scientiam acquirimus, prorſus eſt inuariabile, Igitur id, quod eſt ſecundum Oſtenſiuam Scientiam ſcibile, prorſus eſt neceſſarium. Antecedens illis verbis denotat, *Quoniam autem impoſſibile eſt ſe id aliter habere, cuius eſt Scientia ſimpliciter*, Conſequens ſic confirmat. Cui definitio competit, etiam competit defini-

Institutum. *Diuiſio.* *Expoſitio.*

definitum, at per ſimpliciter Scientiam ſcibili, neceſſarij finitio competit, nam dicimus id neceſſarium putandum, quod eſt a variatione liberum, Ergo pariter neceſſarium. Aliud enthymema, quod in primo fundatur ſic gerit. Quod eſt ſecundum Oſtenſiuam Scientiam ſcibile eſt neceſſarium, *Igitur Oſtenſio eſt Syllogiſmus ex neceſſariis pendens*. Conſequentiam hic non communit, velut eam pro qua plura deinceps, ſed in eo quieſcit ſi quodammodo innuat, aſſerens, *Oſtenſiua autem eſt, quam habemus in Oſtenſionem habendo.* At cum neceſſarium ſic conſtet, & plures acceptiones habeat, vt etiam vltra noſtram Oſtenſionem, & concluſionem penetret; quod ex eo fit notum, quia aliud eſt ſecundum quid; aliud vero eſſentiale, ac ſimpliciter, merito declarandum ſuſcipit, nec ſane ex communibus, vel ſignis, ſed ex eiuſdem conditionibus. Et hac via non ſolum patebit, *ex quibus*, neceſſarijs Principijs ſunt Oſtenſiones, ſed etiam, *qualium*, neceſſariarum concluſionum. Vt autem probe cadat tria decet cognoſcere, quibus ineſt noſtri neceſſarij notitia. Sunt vero, *quid de Omni, quid Per ſe, & quid Vniuerſale dicimus*. Et quidem a primo ordientes quaſi magis communi, ſatis protritum cernimus de Omni dictum, vti dictum de Nullo, ſi large ſumatur duplex adeſſe. Primum paſſim prioriſticum, vltimum poſterioriſticum vocant; de primo in primo Prior. Cap. primo; de altero in textibus agit, quos præ manibus habemus. Quod attinet ad primum nihil aliud ſignatur eſſe, quam ſic de aliquo ſubiecto dici, vt nihil ſub illo conſtet, de quo idem prædicatum non dicatur, quod contingit ſi prædicatum de ſubiecto vniuerſe, & cum ſigno vniuerſali affirmamus. Contrarium in dicto de Nullo, nec aliud importat, quam ſic de aliquo ſubiecto dici, vt nihil ſub ipſo conſtet, de quo idem prædicatum non negetur, & ſuccedit dum prædicatum de ſubiecto vniuerſe, & cum ſigno vniuerſali negamus. Sed quamuis hæc valde plana ſe dedant, & ab omnibus credantur, tamen pro illis declarandis Interpretes laborant. Nos miſſis varijs, quæ forte præter rem eſſent, cernimus de Omni prædicationem maxime dupliciter ſumi; primo pro vniuerſali poſitione, cuius prædicatum cum in vniuerſum de ſubiecto, tum de quouis dicitur, quod ſub tali ſubiecto reſidet; poſtea pro quodam principio, quod primæ Figuræ ſubſtinet aientes Syllogiſmos. Idem eſt ab oppoſito in de Nullo prædicatione tenendum. Quæ cum ita ſe habeant cenſemus dictum de Omni quoddam euidens Principium eſſe naturæ lumine clarum, ac proinde ab Oſten-

Neceſſarium duplex.

Neceſſarium de quo hic, ex tribus dependet.

Quid de Omni, & Nullo Prioriſtica.

ſione

sione liberum, a quo primæ Figuræ pendet aiens Syllogismus quo ad necessariam illationem. In hunc modum se gerit. Quod de omni subiecto vniuerse affirmatur, itidem de omni affirmatur, quod sub tali est subiecto, quare si cursus de omni Cane, simul de Lycisca affirmabitur, qui sub Cane consistit. Diximus vero, ab Ostensione liberum, quia sic eius certitudo patet statim ac termini proferuntur, vel explicantur, vt nullam probationem postulet. Pari modo est in de Nullo tractandum si contrarium seruemus, aientes euidens Principium esse ab Ostensione immune, a quo primæ Figuræ pendet negans Syllogismus, prorsus illo pacto, quo de altero dedimus, ob quam rem prima Figura, maxime in his fundatur, tanquam ijs, quibus suas vires sumit, deinde reliquæ si ad primam traducantur, quod Auerroes monebat. Et ex hoc refulget cur nequeat hæc Figura stare, ni maior positio, vniuerse sit affirmans, vel negans, at minor semper affirmans. Nam in maiori aliquid de subiecto, vniuerse affirmamus, vel negamus, cui debet aliquid in minori subijci, vt possit de eo in conclusione, vniuersale affirmari maioris prædicatum, vel negari, quæ omnia patebunt si per singula pergimus, Frisesomorum excepto. Licet vero præsens dictum tot modis secare, quot sunt Logicæ partes, ad quas vt genus refertur. Nam si ei perenne verum quasi conditionem iungimus, Posterioristicum prodit; si autem idem nec quidem simpliciter, sed tantum secundum Opinionem, & probabilitatem, Topicum; quod si in ordine ad apparentiam, iam Sophisticum erumpit. Et hæc pro Prioristici declaratione. Adhuc videamus, quid sit de omni Posterioristicum censendum, quod Philosophus hic tractat, & ad, quod omnia de Prioristico dirigunt. Potest vero sic finiri, *Quod non in aliquo quidem sit, in aliquo autem non, nec aliquando quidem, aliquando autem non*, quæ verba nihil aliud indicant, nisi tunc de omni prædicationem esse, dum cuiuis subiecto sic adest, vt semper illi iungatur, *quo pacto si animal de omni homine* etiam de Cæsare dicetur, atque adeo alijs, quę sub homine constant, *& si nunc alterum, pariter alterum*, competet, *& si punctum omni lineæ*, hæret siue recta, siue curua, illarum extrema claudens, itidem huic, & illi hærebit, quæ sub linea morantur. Ergo solum duas conditiones optat. Primam subiecti vniuersitatem, quam designat cum ait, *quod non in aliquo quidem, in aliquo autem non*; Alteram vero perpetuum tempus, & insinuat, *nec aliquando quidem, aliquando autem non*. Et hac via necessitas exprimitur. Sed potest adhuc accipi,

Quam ob causam prima Figura maiorem positionem, vniuerse affirmantem, vel negantem postulat, at minorem semper affirmantem.

De Omni, & Nullo prædicata secundum Logicæ partes diuiduntur.

De Omni Posterioristici definitio.

cipi, vel quasi omni subiecto simpliciter, ac necessario; vel certe quod ex natura competat, at per accidens impediens neget; vel demum quod omni tempore haud quidem continuo, sed certo, & determinato; in præsentia non quidam ex his modis, sed omnes indistinctè notantur. Quod vero hæc prædicatio vtramque conditionem velit, satis inde probatur quia dum quis contendit de omni esse, tunc, *instantias sic ferimus*, opponendo quamdam harum deesse, nimirum, *vel si in aliquo non, vel si non aliquando*. Atque hinc renidet huius a Prioristico discrimen maxime duobus stare; vnum censetur quia Prioristicum haud temporis perpetuitatem, sed tantum inferendi necessitatem, at Posterioristicum perenne verum optat. Alterum quia Prioristicum instar Regulæ tenet ad vniuersum Syllogismum, si ipsum per se sumimus, nec determinatam materiam respicit, quod nequit de alio censeri; nam licet possit vt Regula sumi necessarias positiones dirigens, vt cum asserimus quod de omni subiecto, & semper, simul de ijs dicitur, quæ sub tali sunt subiecto, tamen hic tanquam positio se habet, cuius prædicatum sic omni conuenit subiecto, ut perenne tempus notet; qua ratione haud signum uniuersale, necessario postulat. Quod ex eo apparet quia cum prædicatum cuiuis subiecto, & omni tempore competat, plane idem creditur ac si sit inter illa necessaria connexio, necessariæ vero positiones ut uniuersalibus æquipollent, sic queunt indefinitæ effici. Et hæc ratio existit cur Scientiæ sæpe in necessaria materia indefinitas, uelut uniuersales adhibent. Neque sane negocium præbet quasi de rebus singularibus fiant, ut cum dicitur, Mundus est sempiternus, Deus est primum mouens, &c. quæ quamuis pro posterioristicis habentur, tamen cum sit unum indiuiduum, nec sub eo se dedant, quæ de ipso affirmentur, uix occurrit quo pacto de omni dictum seruent. Nam harum positionum subiecta haud tanquam singularia, sed ut species sumuntur, & secundum uniuersitatem, quam in hoc prædicato poscimus. Potest etiam addi, eo de omni dictum uigere, quia præter tempus perpetuum, nullum sub se indiuiduum tenent.

In quibus de omni posteriori-sticum a prioristico dissideat.

Indefinita propositiones pro vniuersalibus habentur.

Dubitatio.

Solutio.

PRAELECTIO XV.

QVOT SINT PER SE MODI, QVI AD SIMpliciter Demonstrationem conferunt quærens, & num omnes prædicandi, vel partim prædicandi, partim vero sint essendi.

POST de omni posterioristici cognitionem, statim ad per se prædicata ducit, quæ est altera conditio ut minus vniuersalis, sic magis necessitati conducens. Sed cum varijs modis possit sumi, tantum quadrupliciter distinguit, ei modos per accidens opponens, tanquam illos, qui ad eandem disciplinam spectant; quos cum fuerit confutatus vna cum nonnullis per se, parum nostræ Ostensioni commodis, solum ij restabunt, qui ad simpliciter Scientiam ducunt. Nos, vt omnia distincte pateant, & Philosophi methodus seruetur, breuiter agemus de modis per se in vniuersum, nec quidem indagantes quid sit per se dicendi modus in communi, cum multiplex, & æquiuocum se dedat, quod 5. Metaphysicæ habetur, Cap. de hac re, sed in suas partes distinguentes, & singulas singillatim declarantes. Ergo quatuor in nostris textibus numerat. Primus existit cum finitio, vel illius pars de finito dicitur. Alter vero dum affectio de subiecto prædicatur, vel certe quod in idem recidit cum sic prædicatum finimus, vt in eius finitione sit subiectum, & ex 5. Metaphysices 18. tunc succedit dum affectio finitur. Tertius si de substantia suam existentiam affirmamus. Vltimus cum effectus de propria externa causa prædicatur, vel contra. Hisce quatuor per se modis, tres dicendi per accidens se opponunt. Et sane primis duobus si aliquid neutro modo dicitur. Tertio dum existentiam extraneo subiecto damus. At Quarto si aliquid haud per se alterius causa, sed est secundum accidens, modo effectus de illa prædicetur. Quæ cum ita se habeant Interpretes vacillant non solum de hoc modorum numero, & num sit adæquatus putandus, sed etiam vtrum omnes prædicandi, vel partim sint prædicandi, partim vero existendi. Quod attinet ad primum, quidam

quidam non his quatuor contenti, alios aggregarunt. Sic Themistius hic,& Secundo de Anima quintum addit, & consistit dum aliquid non ratione alterius subiecto, se primo, ac per se inhæret; tali pacto color habet in ordine ad superficiem. Addebat Linconiensis quod ex Quinto Metaphys. notant, loco adhuc tradito, cum aliquid haud ab alio pendet, itidem per se dici. Sic Deus Opt. Max. cum nihil supra se noscat, per se appellamus. Alii vero ad quatuor notatos omnes reuocant, quod maxime Auer. testatur à textu 30. aiens Philosophum quod per se est in suas omnes notiones partiri. Neque sane ratio deest ad id firmandum. Nam tunc dicitur aliquid per se deberi, dum sic ex natura conuenit, ut nullo pacto ratione alterius, At id dupliciter fiet, primo in ordine ad aliud sumendo, quod sit subiecto distinctum, atque adeo loco seiunctum; præterea secundum se, & nunquam externa attendendo. Si primum quartus per se modus prodit; quod si postremum, vel tali pacto accipimus vt in quiditatiuis Principiis, ac conditionibus, vel in affectionibus notetur, quæ ab his principijs dependent, vel certe in interno existendi modo, nempe qua per aliud non extat: ex primo primum per se modum; ex altero secundum; ex vltimo tertium colligunt. At nos, vt in arduis solet, mediam viam tenentes cernimus in prædicatis, de quibus in præsentia, cum vniuersalem perennitatem, tum quoque in terminis pendentiam, & causæ ordinem signari essentialem. Quare nec negamus quosdam modos præter numeratos esse, nec alios concedimus his conditionibus fultos, quin ad hos pertineant. Et quo ad primam nostri dicti partem illo 5. Metaphysicæ adest, superficies est colorata, per se esse. Sed quod plurimum vrget sub Capitis fine addit, superficies est per se alba; quos modos sub quatuor decursis claudere, satis lubricum videtur. Et quidem in primo haud se continent; quod ex eo fit planum, quia prædicatum subiecti essentiam non intrat, quod requirimus. Neque vero in secundo, tanquam illo, qui debet de omni esse, talis autem nec respectu coloris superficies, nec est in ordine ad albedinem. Et quamuis omnis color, & albedo superficie inhærent, tamen non omnis superficies habet vt vel colorata, vel alba credatur, quod maxime de elementis dicimus, ac cælestibus corporibus. Nam quod attinet ad tertium, adeo est ex se clarum, & ab omnibus conceditur, vt frustra quicquam addatur. Hoc idem de vltimo testamur; cuius rei ratio apparet quia nec colorem superficies, nec albedinem efficit, vel cer-

Themistius. *Linconiensis.* *Auerrois sententia.* *Quorundam comprobatio.* *Propria sententia.*

Themistius partim recipitur, partim vero excluditur. te ad eam collimant, quod in quarto optamus. Et ex his comprehenditur, praue Themiſtium reprehendi, qui id diuerſum prædicatum putet, cum potius ſit de hoc laudandus, & in eo culpandus, quaſi haud ſic diuerſum ponat, vt nihil ad noſtros libros ſpectet. *Ratio aduerſa diluitur.* Quod autem pertinet ad rationem, quam ſecunda opinio tradit, aiens tunc ſolum aliquid per ſe deberi, dum ſic ex natura conuenit, vt nullo modo ex parte alterius, cernimus colorem, & albedinem, quamuis per ſe adhęrent, tamen non ex natura in ſuperficie, nec ex ſua conditione ineſſe, & ſuis locis patebit cum generis de ſpecie dicitur affectio inter illa, quæ per ſe reponi, nec ex propria natura eſſe. Nam ad Linconienſ. reſpondetur talem per ſe modum rite ad hæc transferri. Adhuc de alia parte videamus, in qua fuit notatum, nullum prædicatum dari perennem vniuerſitatem ſeruans, & in terminis dependentiam, & cauſæ ordinem eſſentialem, quod ſub his non conſiſtat. Nam cum ante indicaſſet Oſtenſionis Principia internam cauſam gerere, & in terminis ſubſtantialem pendentiam, ob quam rem poterat videri omnia, quibus cauſæ ordo ineſt, ſimpliciter Oſtenſioni facere, iure quoduis prædicatum recenſet, cui hæc conditio competat, quod eo modo præſtabit vtilia ab inutilibus ſegregans, vt nihil dubitandum relinquat. Niſi vero ſic aſſerimus nihil firmum occurret, ex quo poſſit dignoſci cur per ſe modi mittuntur, at per accidens ſeruantur. Nam *Quorundam euaſio.* illo confugere tanquam æquiuocationem præferant, vel quia inutiles Oſtenſioni, quod aliqui contendunt, nobis inane videtur, cum cernamus magis ambiguum gigni dum per ſe prædicata, ob maiorem, quam tenent ſimilitudinem, quam ſi illa per accidens linquimus. Nam quod attinet ad vſum, certe maior in per ſe modis, quam in eis per accidens adeſt, quos cum hic non omittat, *Per ſe modorum, quos hic Philoſophus conſiderat diſtributio.* plane videtur dicendum nec illos per ſe omittere. Quæ cum ita ſe habeant ſic ſolemus hæc prædicata partiri, vt primum præſertim formam, tum internam materiam attendat, vel prorſus tantum formam. Alterum vel in primis internum efficiens, poſtea externam materiam, aut contra, vel ſolum materiam externam. Tertium maxime ab externa cauſa independentiam, exin a ſemet dependentiam. Vltimum finem, ac efficiens loco ſeiunctum. Hiſce tria per accidens ſe opponunt. Vnum ſi maius extremum nullo ex his modis ſubiecto ineſt, & primis duobus eſt aduerſum. Aliud cum quidpiam exiſtit ratione alterius, quod tertio opponitur. Vltimum dum aliquid haud per ſe efficit, quo pacto quarto eſt contrarium.

trarium. Quæ omnia satis patebunt cum de illis agemus. Atque hæc de prima difficultate satis sit indicasse. Restat vt adhuc aliam tãgamus,&erit præsens labor expletus. Illo vero consistit numquid omnes hi modi tanquam enunciandi, vel aliter sumantur. Nos cum non solum arduum, sed etiam sit molestum omnium rationem habere, minus rem geremus, vt ea expendantur, quæ passim occurrunt, sed magis necessaria libantes, quod intenditur concludemus. Eo vero libentius agimus, quia ex dicendis nitebit quid sit de cæteris censendum. Ergo quidam contendunt sic hos modos tractari vt primum, & secundum quasi prædicandi, at tertium, & quartum velut essendi vsurpet. Et ne quicquam temere proponant, id ex nostro libro probant textu 32. quo loco postquam primus,& secundus modus patuit, statim subdit, *quæcunque neutro modo insunt accidentia putanda*. Quare cum Philosophus excludat, haud manent cum illis prædicandi, sed si aliquis locus competit, tantum essendi tenebunt. Adsunt etiam rationes, quibus acriter concludunt. Siquidem hæc prædicata debent ex internis causis dirigi, at hæ cum duæ se offerant materia, & forma, idem est de prædicatis credendum. Præterea omne per se dictum in substantiale, & accidentale partimur; si primum, iam est primus prædicandi modus; quod si postremum, modo proprium existat, tunc secundus emergit. Verum hæc opinio minus plene solida putatur. Solent quidam probare quia primo Topic. Cap. 13. ait quot modis vnum Oppositorum, totidem alterum dici, at aliquid per accidens pluribus, quam duobus dicitur. Sed talis autoritas non est ad viuum secanda, vt prima fronte appa ret, quod alias notauimus, dum Scoti ratio tollebatur, nec vnquam procedit, quia ex 10. Metaphysices textu 9. identitas, & diuersitas sunt opposita,& in rerum natura est diuersitas cum secundum numerum, qua vnus homo ab alio differt, tum quoque secundum formam, qua homo differt ab equo, vt simul sit identitas non solum in ordine ad numerum, sed etiam in ordine ad formam, per quam homines, idem substantia dicuntur. Hoc idem in quantitate cernitur; nam quamuis finitum,& infinitum sunt opposita, & in natura sic quantitas comparet, ut actu sit finita, tamen haud succedit, eodem pacto infinitum dari. Quod autem de hoc diximus potest ad alias qualitates transferri. Vt vero obiter declaremus hanc Regulam, cum sæpe in disputando occurrat, est aduertendum cum duo nomina opponuntur, vt pariter inter se sint æquiuoca,

Opinio quorundam.

Euersio.

Locus ex Aristotele quantum ad id polleat.

Regula explicatur

uoca,

uoca, quam vnum illorum diuisionem, si in prima distinctione sumimus, eandem alterum subire. Ergo cum, per se, æquiuoce constet, nam aliud designat per se esse; aliud prædicari per se, aliud causare per se; sic per accidens constabit, & aliud signabit per accidens esse, aliud prædicari per accidens, aliud per accidens causare. Sed ex hoc minus contingit, quod si quædam huius pars iterum secatur, sit illi opposita eodem modo secanda. Libet etiam addere primo Topic. haud ample materiam, sed probabilem vagari; at in præsentia, vt eam necessitati ligat, sic nequit tute præstari. Quare magis firmum credimus ex 2. Poster. munire, quo loco de An sit quæstione tractans, nominat an Deus sit, an Centaurus sit, ex quibus declarat hos existendi modos, etiam fictorum, ad idem referri enunciationis genus, nec præsens institutum attendere, vt omnes existentias quærat, sed tantum per se, vel per accidens prædicata, tanquam illa, quæ nostro muneri fauent; nisi vero sic dicatur vix posset defendi cur has positiones ad vnum genus transfert; quod ex eo apparet, quia aliam Deus existentiam, aliam Centaurus habet, & prima in rerum natura, altera in Mente constat.

In contrarium adducta refelluntur. Nam quod attinet ad autoritatem, ex qua contrarium tentant, Ioan. Gram. & Auerroes respondent tertium, ac quartum per se modos dupliciter sumi, primo ad duo priora comparando, tum in ordine ad reliqua per accidens, quæ ijs se opponunt; si primum, cum

Philoponus, & Auerroes. haud tantam necessitatem, quantam primus, & secundus habeant, ob quam rem nec Ostensionem intrant, concedunt per accidens vocari; quod si vltimum, prorsus negant.

Verior solutio. Sed quia hæc prædicata, interdum summam necessitatem gerunt, dum ait, *quæcunque neutro modo insunt, accidentia putanda*, credimus vnum per accidens notare, quod primis duobus se opponit, quæ fuerunt numerata. Siquidem postquam detexit, primo per se modo claudi, quæ subiecto in quid competunt, altero autem ea, quæ in sui finitione subiectum ponunt, statim per accidens dictum explicat, quod his duobus aduersatur. Neque sane negocium præbet cum inquiunt prædicandi modos ex internis causis dirigi, tales vero duas esse; nam illud fiet, quod vt nulla causa adest, quæ vere queat interna præter formam, & materiam dici, sic tantum primum per se modum dabunt; qua via nec quicquam conficiunt. Dum autem addunt, omne per se dictum in substantiale, & accidentale distribui; si primum, iam primum per se prædicatum; at si postremum, & proprium, secundum oriri, asserimus si accidentis nomen sumitur, vt

ad omnia penetrans, quæ præter essentiam inhærent, haud alia prædicata in subiecto esse, at ex hoc nihil infertur, quod talem sententiam confirmet, sed eadem affectio, quæ respectu subiecti vnum per se modum, cum ex parte causæ accipimus, valet alium condere. Decet in Eclipsi videre, tanquam illa, quæ ratione Lunæ ad secundum prædicatum, at respectu Terræ obiectæ ad quartum spectabit. Ergo censemus hos modos, maxime vt enunciandi respici; quanquam non assumimus quasi quouis pacto sit verum, sed illo modo si secundum naturalem enunciationem. Quod si etiam considerantur existendi modi, minus primo contingit, sed in gratiam eorum prædicandi, qui ab illis dependent. Nam intantum per se, vel per accidens prædicata dicuntur, pro vt quod enunciamus, per se, vel per accidens existit, ex quo postea fiet, vt positio sit vera, vel falsa. Ni vero sic asseritur, cum res, vt varijs ordinibus se continent, sic varios essendi modos gerant, esset concludendum, per se Logicum contemplari, quod libenter omnes vitant, & nobiliori facultati legant. Sed cernimus adhuc dubitantem, quia si prædicandi modi ad Periherm. spectant, quod solent omnes testari, vix occurrit, quo pacto hic tractentur, & circa idem se occupent. Quamuis huic difficultati satis alij fecerint, ob quam rem posset deseri, tamen respondemus hos modos duplicem acceptionem subire, vnam in ordine ad formam, sed ab omni determinata materia auulsam; alteram in ordine quidem ad formam, sed necessariæ materiæ addictam, haud sane determinatæ, sed in communi; primam Perihermeniæ concedimus, at vltimam negamus, tanquam illam, quæ nostris libris competat.

Propria sententia.

Dubitatio.

Solutio.

PER se autem sunt quæcunque insunt in eo quod quid est, vt Triangulo linea, & linææ punctum; substantia namque ipsorum ex his est, & oratione quid est dicente insunt. *Cont. 30.*

PRAE-

PRAELECTIO XVI.

PRIMVM PER SE PRAEDICATVM explicans.

Connexio. PRAESENS negocium poſcit, vt poſt quam per ſe modos nouimus, illos in vniuerſum tractando, & prout Oſtenſioni conducit, de illis ſingillatim agamus. *Inſtitutum.* Contextus in duas partes diuiditur. *Diuiſio.* Et quidem in prima finitionem tradit. In altera exemplis illuſtrat. *Expoſitio.* Quod attinet ad primam partem ſic primum prędicatum finitur, aientes ea per ſe putanda, *quæcumque in eo quod quid eſt inſunt*. *Opinio quorundam.* Ex quibus quidam contendunt illa primum modum præſtare, quæ in rei finitione ſumuntur; quo pacto vnam conditionem optant, vt prædicatum de ſubiecti ſit ratione. Quare talis poſitio, riſiuum eſt homo, primum per ſe dictum habebit. *Damnatur.* Sed perpetuo timuimus numquid poſſint hæc textui quadrare. Nam minus adeſt, illa hoc modo prædicari, quæ finitionem conflant, ſed, *quæ in eo quod quid eſt inſunt.* Ex quibus apparet tunc præſentem dictum proponi, dum id maius extremum de minori dicunt, quod debet in minori eſſe, ac pro ipſo finiendo accipi. Licet etiam exemplis cernere, ſatis ijs temporibus vulgatis; Etenim Triangulum finimus, Figuram planam tribus lineis contentam, & lineam, longitudinem duobus punctis terminatam. Per quæ ſit notum ſic debere in finiendo ſumi, vt ſimul ſint in ſubiecto. *Pro primo per ſe dicto duæ conditiones requiruntur.* Quæ cum ita ſe habeant ad primum per ſe modum duæ conditiones concurrent, vna cenſetur vt ſubiecto prædicatum inſit, altera uero vt in quid de ſubiecto dicatur. Et hac via tantum poſitiones tenet, quæ vel totam ſubiecti finitionem, vel quandam partem eſſentialem affirmant de ſubiecto. At cum id dupliciter ſumatur, vno modo ut per finitionem, & eius partes, ſolum illa notentur, quæ in recto ponimus, aut ſaltem rem componunt, & in eadem reſident; vel certe non tantum hæc, ſed etiam ex quibus externe, ac tanquam materia in qua res pendet, licet haud in illa conſtent, Interpretes inter ſe diſſident quo pacto ſit intelligendum. *Opinio quorundam.* Et ſane qui priorem ſententiam tuentur, aiunt vtraſque partes ſignari, quod ex Græcis confirmant, & Auerroe. Neque vero ra-

ro rationes desunt,quibus valide substentent. Nam hæ partes sic subiecto insunt, vt eiusdem essentiam conflent, hoc autem solum id prædicatum quærit. Præterea quæuis horum prædicentur cum nequeant contingentia poni, erit concludendum, necessario per se esse,sed id nequit præstari,nisi in Enunciationis gradu,de quo adhuc tractamus. Verum hanc opinionem haud plane tutam existimamus, uelut eam, quæ in primum per se modum, innaturale prædicatum infert,quod est ab Ostensione arcendum, cuius naturam pandimus. Nam dum hæc positio effertur, risiuum est homo, uere maius extremum non est in minori, & naturæ ordinem linquimus. Quod autem pertinet ad rationes dicimus, per subiectum,notari quod a mota omni Mentis notitia, in natura est subiectum; isti uero sic usurpant, ut quoduis positionis claudat minus extremum,cuius prædicatum siue directe ad essentiam,siue quodammodo confert,ut respectu hominis risiuum, qui quamuis eius naturam perficit,tamen quia non ipsi re inest, sed potius contra, ideo nec primum dictum prębet. Quod si hæ positiones necessitatem gerunt, haud est ad id per se ratiocinandum, de quo hic peragimus,sed naturalem ordinem optat, a quo longe uagantur. Nam de Gręcis Interpretibus, & Auerroe, quanquam sic uidentur loqui,quasi omnes finitionis partes,primum dictum condant, tamen est cum conditione, ut re subiecto insint. Ergo magis uerum attingimus aientes, solum indicari quæ uel in recto ponuntur, uel certe rem componunt tanquam aliquid ad quid est faciens,ut pariter sint in illa. Quę omnia exemplis inclarent. At posset quis opponere, quia ut positio ad primum modum spectet debet maius extremum a minori diuidi,sed dum tota finitio affirmatur de finito non diuiditur, quare nec uidetur hic locanda. Sed non est cur difficultas turbet, nam cum finitionem de finito asserimus, nihil aliud nobis fit, quam sic partes essentiales de suo toto dicere, ut prorsus nulla restet, quę cum ab eo ratione diffidant, nunquam est timendum ne in synonimum labamur. Hoc autem non decet de identica positione, quæ maius extremum seruat, quod nullo pacto à minori distat. Quod uero nec positio, quę partem essentialem de subiecto affirmat,ad hoc dictum pertinet, inde licet uidere, quia sic tantum ea dicuntur,quæ inter finiendum capimus;at ad finitionem haud media genera,uel differentiæ,sed solum proxima conueniunt. Quare uix se offert cur possit libere proferri, tunc primum prędicatum esse, cum de subiecto affirma-

Reÿcitur.

Rationis aduersa eluuntur.

Prima dubitatio.

Solutio.

Altera dubitatio.

L tur,

tur, quod illi essentialiter inest. Auget etiam dubitationem, quia hæc genera, & differentiæ non aliter subiecto, nisi per proximum genus, ac differentiam insunt. Ad horum perfectam notitiam plura essent tradenda, quæ nostrum munus excedunt, cum præsertim alias de ijs, interim dicimus, sic Speciem componi, vt ex pluribus constet vnitis differentijs, quod sæpe apud Græcos cernitur, & Philosophus docet octauo Metaphysicæ textu 6. vbi etiam Alexander suo quarto Com. Sed distincte 2. Poster. dum viam explanat, qua finitio apprehendatur, eam absque errore pangendo. Neque sane nos confundat, quia interdum monet vltimam differentiam esse præbere, velut septimo Metaphysic. 43. nam id quasi rei complementum præstat, sed vere cætere concurrunt. Ex quo emergit quod etiam hac data distinctione, de qua nihil in præsentia, tamen vnam differentiam exprimendo, reliquas supponimus, vel innuimus, quæ ni prius distincte pateant, haud plene substantia constat, quod perfecta finitio largitur. Et ex his refulget quædam genera, & differentias non subiectis deberi, vt illis per alia competant, sed magis adeo ex natura, ac per se, vt nihil impediat, quin ad hoc dictum spectent. Atque hinc obseruatur; praue quosdam censere quod si Secundi modi positio vertitur, semper in Primum euadat, cum maius extremum ad minoris finitionem accedat; nam præsens positio haud naturam deserit, sed eiusdem ordinem imitat, cuius hic contrarium sæpe cadit. Dicimus autem, sæpe, quia nihil prohibet sic interdum conuerti Secundi modi positionem, vt in Primum ascendat, & succedit dum affectio de subiecti finitione, vel de vltima differentia dicitur, a qua ipsa dependet, vt animal rationale est risiuum, uel rationale est risiuum; huius rei ratio se effert, quia cum nec animal rationale risiuo, nec risiuum animali rationali, sed ambo homini insint, tute queunt conuerti, nec innaturalis est prędicatio. Nam dicentes animal rationale est risiuum, prorsus nihil dicimus, nisi in quo subiecto rationalitas, in eodem risibilitatem esse, quo pacto uertendo risiuum est rationale, signabit in quo subiecto risibilitas, in eodem rationalitatem esse. Et hac uia ut prima propositio ad secundum per se modum, quod suis locis patebit, sic secunda ad primum pertinet, tanquam illa, cuius maius extremum non solum re in subiecto, sed etiam est de subiecti essentia, haud quidem in positione expressi, quod est risiuum, sed implicite notati, quod est homo. Præterea obseruatur dum idem de

Solutio.

Locus ex Aristotele quo pacto intelligatur.

Primum quod deducitur.

Secundi per se prædicati enũciatio valet in Primum transire.

Alterum quod deducitur.

de semet asserimus, nunquam primo modo claudi. Ac quamuis sit contra Scotum, tamen Philosophum habet monentem nihil sibi inesse, vel in sui finitione accipi. Sic ex Sexto Topic. deprehenditur, loco 13. & 18. Et Secundo eiusdem cum identicam excludit, & a simpliciter positionibus arcet, magis ab hoc modo arcet. Neque sane quis opponat, quasi Quinto Metaphysices textu 23. adsit, hominem secundum se esse hominem; ex quo videtur sequi identicam positionem sub hoc prædicato stare; nam si probe cernimus, nihil aliud importat, præter nullam externam causam dari, per quam homo sit homo. Quare, vt bene Alexander, minus recte inferunt hanc per se reputandam. Idem etiam notatur primo Periherm. Cap. vltimo dum inquit bonum per se bonum esse, cum non illi externe, sed ex propria conditione insit. Deinde obseruatur cum finitum de finitione dicimus, & Speciem de Genere, vel de differentia, nec ad præsens dictum spectare. Potest illo comprehendi quia omnibus naturæ ordo deest, & secundum perpetuo, tertium persæpe de Omni deserit, quod pro hoc modo volumus. Item obseruatur si Genus de Differentia affirmamus, haud primo dicto reponi. Ac licet queat intelligi, quasi importet, in quo subiecto rationale, in eodem animal esse, & innaturalem modum tolli, tamen cum causalis nexus absit, nec animal rationalis causa, sed magis sit requisitum, dedecet huc referre. Rursus obseruatur nec vero quadrare quod aliqui contendunt aientes, vnius differentiæ de altera prædicationem quouis pacto sumatur, primum modum præstare. Nam vt vna aliam supponat, tamen ad finitionem non conuenit. Præterea obseruatur quod dum Genus de Speciei affectione prædicamus, nec in tali dicto constat. Patet ob eandem causam. Nam licet animal essentiæ adsit, & tanquam genus componat, ex qua hæc affectio pendet, tamen, vt subiectum haud ex genere, sed ob differentiam possidet, sic causæ ordo recedit. Deinde obseruatur ens non de inferioribus dici, vt hunc modum constituat. Nam vt primo Top. 4. & Quarto eiusdem 72. atque adeo Octauo Metaph. 16. ens nullam veram finitionem intrat. Potest vna ratio tradi, quia quod in finiendo sumimus haud debet inæqualiter inferioribus, sed eodem pacto competere, hoc autem enti non adest, cum non ex æquo participent, nec vere genus existat. Altera vero ex Quinto Topic. 17. quo loco habemus quæ in finitione locantur determinata esse, at ens cum per omnia excurrat nihil tale agnoscit. Quanquam est confitendum quod si ad quan-

Dubitatio. *Solutio.* *Tertium quod deducitur.* *Quartum quod deducitur.* *Quintum quod deducitur.* *Sextum quod deducitur.* *Septimum quod deducitur.*

dam naturam ligetur, ita vt illam denotet, probe hoc dictum constat. Dicimus vero ad naturam, quando si ad substantiæ existentiam, tunc tertium per se modum; quod si ad eam accidentis, per accidens præbebit. Sed hæc omnia suis locis patebunt.
Octauum quod deducitur. Postremo obseruatur nec negantes positiones sub hoc prædicato esse. Decet illo cernere, quia mera negatio minus adeo pollet, vt alterius essentiam condat, & propriam finitionem intret. Quod si interdum cadit, vt aliquid explicemus media negatione, ideo fit quia positiuum est ignotum, quod per negationem adumbramus.

Cont.31. *ET quibuscunque eorum, quæ insunt ipsis, ipsa in oratione sunt quid est declarante, vt rectum inest lineæ, & circulare; & impar, & par numero: & primum, & compositum: & æquilaterum, & altera parte longius; & omnibus his insunt in oratione, quid est dicente, ibi quidem linea, hic autem numerus. Similiter autem, & in aliis, talia singulis per se dico.* *Cont.32.* *Quæcunque vero neutro modo insunt, accidentia sunt, vt album, aut musicum animali.*

PRAELECTIO XVII.

SECVNDI PER SE PRAEDICATI notitiam tradens.

Connexio. Institutum. Diuisio. POST primi per se modi cognitionem pergit alterum proferre. Contextus in tres partes diuiditur. Et quidem in prima finitionem tradit. In altera exemplis illustrat. In tertia designat per accidens prædicatum, quod his duobus modis se opponit.
Expositio. Quod attinet ad primam partem sic secundum dictum finitur. *Et quibuscunque eorum, quæ ipsis insunt, ipsa sunt in oratione quid est declarante.* Quæ verba nihil aliud indicant, nisi tunc secundum per se modum esse, cum subiectum, illorum intrat finitionem, quæ vere ipsi inhærent, nempe suorum prædicatorum. Ex quibus refulget etiam binas conditiones quæri, vt hæc positio consistat. *Pro secundo per se dicto duæ conditiones perceptantur.* Vna censetur vt maius extremum re minori insit, quod illa verba exprimunt, *& quibuscunque*, nimirum prædicatis, *quæ ipsis insunt*, subie-

subiectis. Atque hinc apparet naturale prædicatum optare, quod de primo modo diximus. Altera vero vt minus extremum maioris finitionem intret. In quo hic modus primo est aduersum, tanquam illi, qui postulat vt maius extremum minoris condat finitionem. Et ea insinuant, *ipsa*, scilicet subiecta, *sunt in oratione quid est declarante*. Possent hæ conditiones pluribus exemplis euolui, nos quatuor feremus, quibus id plene pateat. Primum in continua quantitate, reliqua in discreta nituntur. Ac vt probe succedat est obseruandum duplex affectionum genus dari. Nam sic quædam subiectis debentur, vt simpliciter, & seorsum competant, sic risiuum respectu hominis; quædam vero haud simpliciter, sed duo simul opposita cum disiungenti particula sumpta, vnam integram affectionem præbent. Et hoc pacto sunt illa, quæ in præsenti traduntur. Igitur primum exemplum sit in recto, ac curuo in ordine ad lineam, cum hæc lineæ insidant, & in finitione poscant. Nihil autem aliud est rectum præter lineam, cuius extrema a medio non recedunt, at contra curuum, cuius extrema a medio recedunt. Alterum exemplum in pari, & impari; Etenim impar finitur, numerus in partes inæquales ductus, e contrario par in partes æquales. Tertium in primo, & composito. Vltimum in æquilatero, ac altera parte longiori. Quæ reliqua exempla quid maxime denotent, aliquid Interpretes discordant. Nos missis varijs, quæ solent adduci, libenter Alexandrum recipimus, quem Philoponus accusat, cum præsertim ab Euclide non absit, sed eius finitionem attingat. Quare per primum numerum haud simpliciter primum, sed illum accipimus, quem sola vnitas, nullus numerus metitur. Sic quinarius, & id genus alij, tanquam ij, qui non aliam mensuram, præter vnitatis habent. Nam dum tentamus numero metiri, prorsus continget, vt vel aliquid desit, vel perpetuo supersit. Per compositum vero, quem alius numerus metitur, & succedit si minorem numerum sumentes vel eiusdem generis, vel diuersi, semel, aut sæpius repetendo, sic eum absumimus, vt nihil deficiat, vel nihil sit reliquum. In hunc modum de senario habet, quod ex eo fit notum, quia binarius, ac ternarius consumit. Quod spectat ad vltimum exemplum, iidem æquilaterum, & altera parte longius simul sumpta, vnam numeri affectionem præbent, haud quidem vniuerse accepti, sed per numerum iterati. Nam dum quinarius per se capitur, nec æquilaterus, nec est altera patte longior, at si in se ipsum, vel in alterum repetimus,

Affectionum genus duplex.

Quid primus numerus.

Quid compositus numerus.

ſtatim æquilaterum,vel alia parte longius facit:& ſane cum in ſe ipſum,æquilaterum;vbi vero in alterum, alia parte longius. Tunc autem numerus in ſemet iteratur,dum toties repetitur in tot vnitates,quot numerus conſiſtit; ut ſi quinarium in totidem vnitates ducimus,quot compactus exiſtit, 25. præſtabit ,qui eſt numerus quadratus,quia quadratam figuram ponit,cuius quoduis laterum ſe habet,vt quinarium comprehendat. At in alium numerum iteramus,cum haud in toties tot vnitates quot conſtat,ſed in alias repetitur;vt idem quinarius ſi non amplius in quinque, ſed in tria multiplicent,inæqualem figuram præbet, quod in figuris enitet, quæ ex his numeris pendent. Sed quamuis hæc poſſint credi,tamen haud Interpretes quieſcunt, ſed diſtinctius exquirunt; quænam ſint poſitiones dicendæ,quæ ſub hoc prædicato manent. In quo declarando non eſt parua difficultas,ſed vndique firmæ rationes certant. Ac ſane noſtris temporibus opinio peruiget, quæ contendit ſolum in ſecundo modo eſſe,quibus ſic affectio gerit, vt de æquato ſubiecto dicatur, & reciprocis terminis conſtant. Probant id pluribus rationibus, ſed maxime tres præpollent.Prima occurrit quia in his poſitionibus debet quoddam accidens,etiam de quodam ſubiecto dici,ſed nequit præſtari,ni proprium exiſtat, nec ſane quouis pacto,ſed ita,vt ad quartam ſpeciem ſpectet. Maior propoſitio tantam certitudinem habet, vt fruſtra tentetur probari. Nam quod ſubiecto hæret,nec ad finitionem concurrit, minus aliter decet,niſi cum accidentibus ponere,tale eſt Secundi modi maius extremum, quod omnes confitentur. Minorem confirmant, quando cum id accidens ſic gerat, vt a ſubiecti natura fluat, neç poſſit ab illa commune accidens, plane ſuccedit, vt tantum proprium manet,modo prius notato. Præterea affectiones non de quouis ſubiecto,ſed de proprijs,& æquatis monſtrantur, at Philoſophus omnes hos modos ſumit, vt ad Oſtenſionem collimant, & eius fabricæ fauent;Ergo nequit aliud, præter proprium eſſe, & in ordine ad ſubiectum. Demum illud eſt commune accidens, vt nunquam pro ſui finitione in aliquo genere ponat determinatum ſubiectum,quod non eſt de hoc modo credendum, tanquam illo, qui ſemper ſubiectum optat. Verum hanc opinionem valde periculoſam putamus. Illud vero maxime inuitat, quia nihil ſecundum dictum haberet,quod ſub vniuerſali prædicato, & ſecundum vltimam differentiam,& qua tali non eſſet,ex quo emerget, vt ſit Philoſophus damnandus,quaſi ea ſegregans, quæ idem ſunt inter ſe.

Opinio quorundam.

Euertitur

se. Plura inferius addemus ad nostram sententiam firmandam, ex quibus patebit, quæ ab his traduntur haud plane vero quadrare. Quod autem pertinet ad rationes, nunquam tanti fecimus, quanti quidam contendunt. Et ad primam dum aiunt in his accidens de subiecto dici, id autem non fieri nisi proprium existat, vt primum concedimus, sic vltimum negamus, cum cetnatur quasdam affectiones dari, a subiecti natura pendentes, quæ licet non adeo sint iunctæ, tamen hanc positionem condunt. Cum autem addunt affectiones haud de quouis subiectis, sed de proprijs Ostendi, tales vero modos sumi respectu Ostensionis; dicimus sic potissimam esse, vt ex talibus constet, addimus etiam ad potissimam dirigi, at ex hoc non erumpit, solum modum signari, cuius terminis est conuersio. Ad postremam dum volunt, tantum affectiones finiri per determinatum subiectum, quæ cum ipso remeant; credimus alias dari, quæ quamuis latius patent, tamen nec sunt communia accidentia, & in sui distincta notitia, ex subiecti notitia pendent. *Rationes aduersæ tolluntur.*

Quæ cum ita se habeant tutius est censere secundum per se modum, primo ad positiones spectare, in quibus affectio de sibi pari Subiecto, postea ad eas, in quibus de inferiori dicitur. Sic Ioan. Gram. exponimus in nostri textus declaratione, qui licet non prorsus se exerat, tamen haud illo dissidet, quod hæc genera designat. Sed cum nostra sententia duas partes habeat, prima velut clara missa, & de qua nemo dubitat, alteram paucis firmemus. Et quidem prima ratio occurrit præter adhuc notatam dum alia opinio reijcitur, quia cum generis affectio de inferiori subiecto dicitur, vt sentiens de homine, vere prædicatum est in homine & simul hic finitionem intrat, alioquin imperfecte pateret affectio. Neque sane negocium præstet quia homo qua talis non sumitur, & secundum differentiam, quæ in esse hominis reponit, nam tantum ad positionem spectat, quam primum huic dicto damus, sed decet satis credere, dum quid ponitur in finiendo, quod tum vere in homine, tum quoque, vt pars est essentialis. Tali pacto animal se habet, quod cum sic hominis substantiam, vt quasi genus componat, pariter est causa sensitiui; qua via fit prædicatio, quam secundo hic modus occupat. Præterea notamus superioris affectionis de inferiori enunciationem, velut generis de specie esse, nec disparitatem cerni ex parte connexionis, quam ad per se dictum volumus, haud certe quouis pacto, sed vniuerse acceptum; at hæc primum prædicatum præbet, ergo illa quoddam præbebit, quod cum nequeat esse primum *Propria sententia.*

mum, erit confitendum secundum esse. Decet eo videre quia dum parum inducitur, & has conditiones seruamus, nunquam alteri competent, vt æque bene aptentur. Sed posset quis opponere tanquam minus sit probandum secundum per se modum tum prædicatum tenere, in quo affectio de ęquali subiecto, tum vero de inferiori dicitur; Nam vt species generi accidit, sic eis censenda est accidere, quæ a genere prodeunt, & generis affectionibus. Ac vt animal haud tali pacto habet, vt ex propria conditione sit in homine, sic est de sentienti putandum. Atque hinc refulget cur hic textu 37. concludat superioris de inferiori prædicatum, nunquam cum per se modis stare, & 2. Poster. 96. cum illis, quæ per accidens locet. At non adeo rationes vigent, vt traditam sententiã euertant, sed externe veritatis speciem, interne non possident; nec recte conuincunt genus, & eius affectiones, per accidens speciei competere, quia sic generi species competit, nam haud inuicem reflectunt. Ac certe si homo de sensitiuo diceretur, valde ratio polleret, cum aliquid dent subiecto, cui vere obtingit, sed dum contra incedentes sentiens de homine, in quo extra animum residet, & assidue sequitur, nulla causa se effert cur vt absurdum opponant. Quod si textu 37. ait duobus rectis æquales; per se solum Triangulo dandum, æquicruri vero, ac cæteris speciebus quodammodo, dictio, *per se*, vt superior textus monet, idem ac, vniuersaliter, notat; ob quam rem illa verba, *& Ostensio huius est vniuersalis*, exponimus vt, *vniuersalis*, nomine exprimat quod nam, *per se*, indicet, quasi afferat, sic Ostensio est per se, vt sit huius vniuersalis, quod antea deteximus. Quo pacto etiam nos fatemur generis affectionem de specie haud tantos neruos habere, vt per se modum conflet, sed cum vniuersali coincidit; quod prorsus requirit vt maius extremum cum minori remeet. Idem ad textum 96. dicimus, in quem sensum nihil prohibet quin per accidens vocetur. Et quamuis hæc prædicatio dum ex natura sumitur nequit per accidens esse, tamen respectu vniuersalis prædicati, quod omne accidentale remouet, ad per accidens spectat; quod Philosophus intuens, per accidens aiebat. Atque hæc de alia textus parte sufficiant. Adhuc de Tertia parte videamus, in qua Themistius contendit tertium per se modum promi, nempe cum accidentia de subiecto dicuntur; & simul immediate insunt, vt superficiei color. Hoc idem Quinto Metaphysices inter ea, quę per accidens refert. Sed cum huius Sententiæ infirmitas ex antea traditis pateat, vbi ali-

Dubitatio

Solutio.

Themistius deseritur.

aliquid de Philosophi consilio, ne denuo acta agamus, nisi ratio impellat, cum præsertim passim damnent; dicendum est nihil aliud hic, præter modum per accidens tradi; qui duobus per se opponitur, quos prius notauimus. Nam quid quid de alio dicitur, atque illi inhæret triplex genus agnoscit. Et quidem uel essentiam componit, uia adhuc attacta, & ad primum per se dictum spectat; vel ab ea quodammodo pendet, & secundum largitur; vel ipsi est externum, & prædicatum præstat, quod per accidens vocamus, & de quo hic pertractat. Ergo rite admonet, *quæcunque neutro modo insunt*, ex adhuc signatis, nec minus extremum ex maiori constat, nec maius per minus finitur positiones formare, quæ cum per accidens manent. Tali pacto se habent, animal est musicum, animal est album, tanquam illæ, quibus neutrum animal constat, vel ab eius substantia prodit. Hisce in hunc modum detectis sunt aliqua notanda, quæ vt possent ex se deprehendi, tamen haud erit ab re si ad perspicuitatem tangantur. Et primo obseruamus quosdam errare dum contendunt positionem, in qua subiectum de affectione dicitur in Secundo modo stare. Potest illo probari quia nec maius extremum minori inest, vt risiuum est homo, nec minus maioris finitionem intrat, & positio est innaturalis. Neque sane quis vacillet quasi nequeat subiectum absque affectione concipi, nec vnquam homo cogitetur a risiuo nudatus, ex quo fit quod licet maius extremum non insit in minori, tamen ad hoc dictum spectat; nam vel sic præstamus vt vnum consideretur haud considerando alterum, & illud abstrahendo, vel cum alij iuncta negatione; vltimo modo damus, nunquam subiectum ab affectione diuidi, alioquin eius natura non stabit, sed implicite tolletur, at primo negamus, sed vt affectio est disposita vt subiecto non adsit tanquam essentiam condens, sic illam ab hoc renuit, nec ad sui notitiam optat. Id autem haud in quiditatiua cadit, quæ nunquam a rebus Mens separat, quarum naturam formant. Et ex his relucet quonam pacto Proprium, & Accidens diffident, quod ex Porphyrio apparet Cap. de Accid. Nam licet queat subiectum concipi cum accidentis iuncta negatione, tamen cum ea proprij nequit. Prætereа obseruamus errare credentes si inferior affectio de superiori subiecto dicitur, vt animal est risiuum, in Secundo per se modo esse: quod ex eo probatur, quia nec animal risiui finitionem, nec de omni positionem fingit. Deinde obseruamus cum differentiæ de suo met genere affirmantur quouis pacto id fiat,

Primum quod deducitur.

Alterum quod deducitur.

Tertium quod deducitur.

M haud

haud ſub hoc modo ſtare. Nam minus extremum pro maioris finitione arcetur. Ac licet interdum hæ differentiæ, neceſſario in genus cadant, quod de diuiſiuis patet, ſi ſimul vtraque ſub diſiunctione ſumitur, tamen cum non ſicut affectiones, iure id dictum renuit. Præterea obſeruamus dum de differentia genus dicitur, nec in hunc modum referri. Sic Tertius Metaphyſices, & Quartus Topic. loco 38. inuitant; & quidem tum ob traditam rationem, tum quoque quia genus, vere differentijs non ineſt, nec cauſæ ordo ſe effert. Item obſeruamus cum generis affectio de ſpeciei affectione, vel contra affirmatur, nunquam huic modo dandum. Illud ſatis confirmat quia itidem cauſæ ordo deſerit. Vlterius obſeruamus ſi affectio de ſubiecti finitione dicitur, vel de vltima differentia, quæ conuerſim ſe habet, rite in hoc dicto poni. Poteſt adhuc probari, nam alias accurate, cum de potiſsimæ Oſtenſionis poſitionibus, quia quamuis tantum finitio, vel vltima differentia exprimitur, tamen ſic implicite pollent, vt pariter ſubiectum denotent, quod in præſentia eſt ſatis, cum præſertim Septimo Metaph. textu 17. cernatur, vbi recte Alexander. Idem ob eandem cauſam teſtamur ſi affectionis finitio de ſubiecto dicitur, ſiue adæquatum, ſiue ſit inferius. Præterea obſeruamus cum duæ affectiones ſe dedunt, quæ ſunt eo pacto nexæ, vt ſubiecto ſub diſiunctione, & neceſſario competant, dum ſic vtraque ſimul, ut ſub diſiunctione ſumatur, ut numerus uel eſt par, uel impar, ad hunc modum ſpectare. Decet nos ex pluribus, ſed maxime noſtro textu, & 35. uidere, quo loco indicabimus. Poteſt ratio adduci quia hæ affectiones tum neceſſario ſubiecto inſunt, tum quoque in ſui finitione ponunt. Deinde obſeruamus cum affectio ab externa cauſa pendens de proprio ſubiecto dicitur, ut Luna eclipſatur, ſub hoc prædicato eſſe. Nam ſi ſubiecto hærere, & etiam per ipſum finiri, id enunciatum præbet, certe hæc poſitio in hoc dicto manebit. Poſtremo obſeruamus ſi ſecunda affectio de prima, ut diſcurſiuum eſt admiratiuum, nec non tertia de ſecunda, & id genus aliis dicitur ad hunc locum traduci. Et quamuis haud ſubiectum, & eius ordinem expreſſe, tamen illud implicite notant, quaſi affirment quod ſubiectum diſcurrens, idem admirans habere, quia hominem inſinuant.

Quartum quod deducitur. *Quintum quod deducitur.* *Sextum quod deducitur.* *Septimum quod deducitur.* *Octauum quod deducitur.* *Nonum quod deducitur.*

AMPLIVS quod non de subiecto alio quodam dicitur, vt ambulans aliud quiddam existens ambulans est, & album: substantia vero, & quæcunque hoc aliquid significant, non aliud aliquod existentia sunt id, quod sunt. Igitur quæ quidem non de subiecto, per se dico; quæ autem de subiecto, accidentia. *Cont. 33.*

PRAELECTIO XVIII.

CIRCA TERTIVM PER SE PRAEDIcatum versans.

TRADITA Secundi per se modi notitia Tertium Philosophus proponit. Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima finitionem promit. In altera dictum per accidens explicat, quod huic se opponit. Quod attinet ad primam partem, tunc probe definimus aientes id prædicatum esse, *quod non de alio quodam subiecto dicitur.* quam loquendi rationem sic vsurpant, quasi ad hunc modum omnis positio spectet, in qua solum existentia de substantia affirmatur, velut animal est. Sed quamuis satis de hoc concordent, tamen valde inter se dissident quæ debeat substantia, num ne prima, vel secunda intelligi. Et sane communiter contendunt, tantum primas signare. Potest id ex pluribus probari. Nam illas in præsentia indicat, quibus per se competit esse, quod apparet dum inquit, *non alterum quid existentia sunt quod sunt*, tales vero dedecet secundas credere, tanquam eas, quæ sic primis insistunt, quod patet ex Prædicamento substantiæ, vt etiam ex primis pendeant. Imo cum ad harum interitum desinant, tutius est dicere per accidens existere. Cuius rei amplum est indicium, quia Philosophus monet secundas substantias magis quale aliquid notare, & accidentale annexum. Præterea ibidem habemus secundas substantias de subiecto dici, & omnes prædicari de suis inferioribus, quæ simul sint substantiæ, quæ autem hic finiuntur nequeunt de alio subiecto affirmari. Demum secundæ substantiæ non sunt hoc aliquid, sed in præsentia testatur sub tali prædicato claudi, *quæcunque hoc aliquid*, significant. At e contrario primæ nec in aliquo ni-

Connexio. *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.* *Aliorum opinio.*

tuntur,nec de quoquam affirmantur,ſed prorſus independent, vt vere hoc aliquid vocemus. Verum hanc opinionem licet magni Peripatetici defendant,tamen haud valde firmam cenſemus. Etenim aduertitur, præſertim Quinto Metap. 15. de ratione ſubſtantiæ qua talis eſſe in alio non eſſe, quod D.Thomas explicat, tanquam ſubiecto inhæreat; Ex quo ſuccedit ſiue primas, ſiue ſecundas ſumimus plane ex ſe perſtare; id autem nequit accidentibus tribui, quæ in primis vt ſubiecto nituntur. Præterea vix occurrit quod nam aliud prædicatum præſtent, cum magis primis ſubſtantijs quam accidentibus ſint ſimiles, a quibus tota natura diſtant. Nam quod pertinet ad rationes, quibus contrarium confirmant haud plurimum mouemur. Et ad primam in qua adeſt, ſolum hic notari,quæ per ſe conſiſtunt,ſatis ex adhuc attactis eſt factum, nec id primis debetur vt ſecundas excludat, ſed vtræque in hoc communicant. Ac quamuis ſecundæ ſubſtantiæ vere in primis inſint, tamen non eſt ſumendum quaſi ſubiecto hæreant, vel ab illis diſtincto,qua uia tantum definit per ſe eſſe.Quod ſi ad primarum interitum itidem ipſæ ruunt, tantum abeſt vt inferat per accidens exiſtentiam, vt magis ſummum nexum indicet, quem cum primis adſeruant, tanquam ijs, quibus nunquam poſſunt diuelli, niſi Mens intercedat,a qua etiam obtinent vt de primis dicantur,quaſi aliquid quale, nempe quia concipimus, & enunciamus velut quiddam per accidens eis inſint,licet vere aliter habeat, & potius vnum cum primis forment, quod ſuo loco renidet. Ad aliam rationem dum aiunt ſecundas ſubſtantias de ſuis inferioribus dici, quæ vero hic finiuntur nequeunt affirmari de alio ſubiecto;reſpondemus ex Philoſopho ibi quamuis ſecundæ ſubſtantiæ de primis prædicentur vt de proprijs ſubiectis, tamen nunquam in primis tanquam in ſubiectis eſſe,cum omnes in id concurrant ut nullũ ſubiectum noſcant modo antea tradito. Quare haud eſt negandum quæ in noſtro prædicato manent de quodam alio ſubiecto dici, ſed illo pacto vt quaſi in ſubiecto hæreant, quo modo accidentia ſe habent, quæ tum de alio, tum qua in alio proferimus; hoc autem in ſubſtantias non cadit cum de proprio, & peculiari ſubiecto dicantur. Præterea haud valde aberrat ſic vſurpans ut inſinuet in ſubiecto non eſſe,cum præſertim Alexander teſtetur, a quo cæteri ſumpſerunt. Nam quinto Metaph. Com. 14. explicans ſubſtantiam de ſubiecto non dici, monet idem notare ac in ſubiecto non eſſe.Libet quoque addere textum habere, *de alio ſubiecto*, id

Reijcitur.

Rationes aduerſæ eluuntur.

eſt

eſt diuerſi generis, nimirum vt nos doceat, tantum prædicationes tolli, quæ diuerſa Categoria manent, qualia accidentia ſe habent cum de ſubſtantia dicuntur, haud ſecundæ ſubſtantiæ, quæ de primis affirmantur, vt eodem ſtent Prædicamento. Ad tertiam rationem, quæ aſſerit hinc ſecundas ſubſtantias pelli, quia non ſunt hoc aliquid, negamus tantum primis ſubſtantijs competere, ſed vt probe Franciſcus Piccolomineus illuſtris Philoſophus, varie accipitur, & interdum perfectionem, interdum imperfectionem indicat. Et quidem primo ſumitur vt a ſimpliciter diſtinguitur, quod ex primo de Ortu, & Interitu idem ac principale, & vniuerſe denotat, quo pacto dupliciter, *hoc aliquid*, ſignificat, primo pro accidente, vt cum paries ex non albo fit albus, minus dicitur ſimpliciter, ſed aliquid fieri; deinde pro parte, vt dum corpus in quadam ſui parte curatur, haud ſimpliciter aſſerimus, ſed ſecundum quid curari. Tertio pro quauis re exiſtente pro vt a nihilo ſe diuidit. Quarto, vt proponat quod ad compoſiti interitum, in quo ineſt, minus deſinat, ſed iugiter perduret. Sic Primo Phyſicor. 66. materiam, & priuationem comparans aiebat materiam magis hoc aliquid, quam priuationem eſſe. Quinto pro illo ſubſtantiæ genere, quod propriam efformat. In hunc ſenſum tertio Phyſicorum textu 3. ens actu diuidens inquit aliud hoc aliquid, aliud tantum, aliud tale eſſe, & ſic in reliquis Prædicamentis; quo loco apparet nihil aliud ſignare præter ſummum Subſtantiæ genus. Sexto pro indiuiduo ſubſtantiæ, & ſingulari, ſecundum quam notionem paſſim accipit. Addimus nos, etiam terminos corporum notari. Poteſt breui deprehendi, quia Quinto Metaphyſicæ textu 15. ſuperficiem reſpectu corporis, lineam reſpectu ſuperficiei hoc aliquid nominat. cuius rei ratio ſe effert quando aliqui per hæc corpus, vt per formam, & in determinato eſſe ponunt. Quæ cum ita ſe habeant refulget tertiam rationem, qua noſtram ſententiam petebant, ualde infirmam eſſe, nam dicemus illo Tertio Phyſicorum tum primam ſubſtantiam, tum vero ſecundam innuere, nec quidquam prohibere quin eodem modo hic capiat. Sed ſi id eorum gratiæ demus, nempe, vt per, *hoc aliquid*, hic tantum primam ſubſtantiam tradat, erit credendum ideo præſtare, quia maxime exiſtentiam reſpicit, quæ cum primo ad ſingularia ſpectet, tum ad naturas vniuerſales, qua ſingularibus latent, certe nihil aberrat dum hæc ſolum inſinuat. At ex hoc dedecet inferre ſic noſtrum textum ſumendum, vt tantum primas ſubſtantias ponat. Quare concludimus ſub hoc dicto

Hoc aliquid, plures notiones ſubire.

dicto omnem positionem stare, quæ de vtraque substantia existentiam prædicat. Atque hæc de prima textus parte satis sit delibasse. Sequitur altera pars textus, in qua fere nihil restat, quod cuiuis facile, ac nullius ope non pateat; nam suo more id per accidens detegit, quod per se declarato opponitur. Tunc autem contingit, dum de accidente existentiam dicimus, velut album est, ambulans est, cum non solum albedo in subiecto, sed quasi in subiecto, & diuersæ Categoriæ insit, quorum alterum etiam solitarium, per se modum excludit, & per accidens inducit. Nec quis recte affirmat per se existere, quod prorsus ab alio pendet, ob quam rem accidentia tractat, vt in concreto exprimat, tanquam illa, quibus primo conuenit existere, postea vero abstractis, at ambobus per accidens esse.

Cont. 34. P*RAETEREA vero alio modo, illud quidem, quod propter ipsum inest vnicuique, per se est; quod vero non propter ipsum, accidens, vt si ambulante coruscauit, accidens; non enim propterea quod ambulauit, coruscauit, sed contingit, dicimus, hoc. Si autem propter ipsum, per se, vt si aliquis iugulatus interiit, & secundum iugulationem, quoniam propterea quod iugulatus est, sed non accidit iugulatum interire.*

PRAELECTIO XIX.

DE QVARTO PER SE prædicato verba faciens.

Connexio. Institutum. Diuisio. Expositio. RESTAT vt postremum per se modum declaremus. Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima ipsum definit. In altera dictum per accidens, quod huic se opponit. Quod attinet ad primam partem id finitur esse, *quod propter ipsum vnicuique inest*. Quæ verba haud eodem pacto vsurpant. *Opinio quorundam.* Nam plurimi contendunt huc positiones spectare, in quibus vel effectus de sua externa causa, vel causa de suo effectu dicitur. Nihil vero aliud per externam causam nisi eam denotant, quæ essentialem finitionem non intrat,

quo-

quomodo solum efficiens, ac finis se habent. Neque sane ratio deest ad id firmandum; quia cum effectus interne efficiens respiciat, & in ordine ad ipsum intelligatur, & quidem tali pacto, vt illud maxime attendat, plane succedit vt aliquo ex his modis constet, at vix apparet in quem possit alium referri; nam cum totum onus sit de Secundo, cui etiam hæc causa conuenit, tamen quia præsertim materiam, tum efficiens respicit, haud decet ipsi legare, sed ei, qui primo efficiens spectat. Præter quam quod Primum dictum poscit, vt maius extremum sit de minoris substantia; alterum vero, vt minus maioris finitionem formet, quorum neutrum his cohæret. Nam de tertio adeo est apertum, vt nemo in dubium reuocet. Ergo tantum Quartum restat, in quo talis prædicatio residet. Sed perpetuo ueremur vtrum queant hæc conuenire, vel certe Philosopho sint aduersa. Etenim fiet vt potissimæ Ostensionis maior sub hoc modo stabit, quod ex eo renidet, quia in ea effectus de suo efficienti dicitur, at Philosophus damnaret. Decet ex pluribus cernere, sed præsertim ex textu sequenti, quo loco sic loquitur, quasi hæc Ostensio maxime consistat in primis duobus modis, tanquam ijs, quibus clare necessitas fulget. Et textu 44. habetur primariam Ostensionem maxime ex his esse. Neque sane quis censeat se dubium vitare asserens ad Primum dictum, vel Secundum traduci, quod quidam ex Neotericis volunt; nam, vt etiam concedunt, nec proprie competeret, & præsertim Quartum spectaret, at insignis Ostensio vt potissimum necessitatem, sic primo hæc attendit. Præter quam quod haud se effert quo nam pacto affirment efficiens subiecto diuersum sub his constare, etiam quouis modo capiant; nam effectus nec causæ substantia fiet, sicut Primum requirit, nec causa effectus finitionem intrabit modo ad Secundum apto. Quod autem pertinet ad rationes, quamuis partim in alibi notatis, partim in inferius dicendis sit solutio, tamen ne id etiam optetur, aliquid tangemus. Et quidem cum aiunt finem, ac efficiens in hoc dicto esse, nos accipimus, vt debeat de fine concedi, & simul de quodam efficiente, nimirum illo, quod inferius patebit, haud tamen ad omnia spectare. Ac licet Secundus modus primo materiam, tum efficiens attendat, tamen pariter contingit vt contrario se gerat, & primo efficiens, exin materiam consideret. Quod si pro sui ratione quærit, vt minus extremum ad maioris finitionem concurrat, alias fuit notatum qua nam via præstemus, quamuis primo efficiens exprimitur, nam etiam subie-

Non probatur.

Quorundam Euasio.

In contrarium allatis occurritur.

ctum

Propria sententia. ctum indicat, tanquam id, apud quod ipsum residet. Quæ cum ita se habeant ijs adhæremus, qui affirmant ad hoc dictum positiones spectare, quibus sic effectus de externa causa, vel contra prædicatur, vt sint vna subiecto diuersa. Quanquam non intelligimus quasi possit quouis pacto sumi, sed illo modo si in terminis est internus ordo, & natura iunguntur, quod cum nequeat esse nisi vnum sit alterius causa, prorsus emergit vt hic modus vel in genere efficientis, vel in eo finis perstet. Sic uidentur probare, quæ antea adduximus; Sic Philosophi exempla exprimunt; etenim iugulans loco a iugulato diuiditur. Sed ut omnia splendescant est obseruandum duplex efficiens dari: primum tali pacto habet, ut nulla necessitas adigat, qua cum effectu iungatur, sed probe stat in natura, quamuis nusquam sit effectus, & contra. Hac ratione ædificator ualet sine ædificio stare, licet ipsum ab eo pendeat: alterum sic cernimus effectui iunctum, ut inuicem sequantur, ni prohibens occurrat, uel requisita desint. Nos tantum ultimum indicamus. At cum possit hæc causa tum in illam actu, tum uero in potentia diuidi, censemus utramque signare. Et certe de prima nullus iure timebit. At de alia quamuis quidam uacillent, tamen ualde confirmat, quia cur Luna queat lumine deseri, minus sane in Terram, sed in Terræ potentiam ferimus, nempe prout ualet inter Solem, & Lunam se ponere. Nam cum efficiens rem gerat, ut per se effectum gignat, & sit subiecto seiunctum, certe nihil occurrit cur ab hoc modo pellatur. Illud est aduertendum, quod licet talis potentia in ordine ad effectum, quem præstat, id prædicatum ponat, tamen ratione subiecti, ex quo manat, primum, vel secundum largitur. Cuius rei ratio apparet, quia potentia vel subiecti substantia creditur, vel affectio a subiecto pendens, de qua re haud est præsentis muneris, sed nobilioris contemplationis. Neque vero absurdum videtur idem uarie acceptum, & secundum varios ordines, quos obtinet, varia prædicata subire, & ad varia spectare. Ac ne plurimum vagemur, id actio, & passio exprimunt, tanquam illa, quæ ex distinctis respectibus, simul distincta summa genera præbent. Addit autem in exemplo, vt hoc etiam tangamus, *& secundum iugulationem*. vt per accidens explodat, quod ex Sexto Metaphys. tex. 7. renidet; & obtinget si febri accedente, minus sane à iugulatione, sed ab ea necetur. Atque hæc in primam textus partem sufficiant. Adhuc de alia parte videamus, in qua modus per accidens adest, qui per se declarato opponitur. Decet vero signare

Efficiens, & effectus duplex.

gnare aiendo id esse, *quod non propter ipsum*, vnicuique inest. Quæ verba plane idem innuunt ac tunc fieri, dum effectum, quem propria causa gignit, atque ex se dependet illi iungimus, cui per accidens competit. At hoc potest dupliciter esse, primo pacto ut eodem tempore, ac subiecto ueræ causæ sit iunctum, ut de Policleto habet, qui Statuam effingens tum Statuario per se causæ, tum sub idem tempus nectitur; altero vero vt haud quidem subiecto, sed tempore se copulet, *vt si ambulante coruscauit*. Nam ambulatio minus coruscationem, vel contra efficit, qua via is deest essentialis nexus, quem ad per se modum volumus. Sed cum obtingat hæc duo sub idem tempus stare, ideo libere incedimus, & vnum de alio dicimus. At de his plura ad 2. Physic. Atque hinc obseruatur non hic naturæ ordinem respici, sed si causa ponitur, quæ proprium effectum generat, vt subiecto sit diuersa, & respectu illius sumimus, seu in maius extremum, seu in minus euadant, propositio emerget, quę ad per se dictum spectat, quod præ manibus habemus. Decet illo cernere, quia, vt fuit notatum, tunc est innaturalis prædicatio, dum quod alteri inest, expresse subijcimus, quod autem subest, expresse prædicamus; ergo si termini sint dispositi vt neuter alteri hæreat, possunt fidenter mutari, & maius extremum in minus, at minus in maius ferri, nec naturæ modus turbatur.

Vnum quod deducitur.

PRAELECTIO XX.

NVNQVID OMNES PER SE MODI adhuc declarati causæ respectum obtinent, & qua ratione illustrans.

CVM antea dixerimus in quauis positione aliquo ex his Modis causæ ordinem esse, haud decet ab re credere si adhuc diligentius tractemus; cum præsertim spectet ad horum completam notitiam, ac vt perfecta necessitas pateat, quæ ex causæ nexu cum effectu dependet. At vt distincte incedatur, primo est vniuerse videndum vtrum omnes per se modi causæ respectum dicant, tum quiuis singillatim pendendus. Ergo putamus omnem veram connexionem ad causalitatem traduci: nam nihil est aliud quam quorundam inter

Omnis vera coniunctio causam respicit.

ſe pendentia,quæ ex eo iunguntur,quia inter ſe dependent,omnis autem pendentia quoddam cauſæ genus attingit. Quare ſi neceſſaria pendentia, etiam cauſalis nexus neceſſarius; ſi vero eſſentialis,& intrinſeca,ſimul nexus intrinſecus,& eſſentialis;quod ſi accidentalis,tunc per accidens exiſtet: qua via dum apparet quo nam pacto termini iungantur, ſtatim ad cauſalitatem pergimus quærentes quæ debeat cenſeri. Sed ut id inclareat eſt obſeruandum quatuor genera cauſarum dari. Primum genus materia. Alterum uero forma. Tertium efficiens. Vltimum ipſe finis. Prima duo tantum ſunt interna, tanquam illa, quæ ſic ad effectum concurrunt, ut etiam in ipſo reſidant; at cætera externa, ea maxime ratione,quia licet effectum pręſtent,tamen cum illi haud quaſi partes inſint,ſed ſolum deforis iuuent, dedecet aliter uocare. Vt autem aliquo fingatur ſit Cathedra formanda, certe nullum aliud efficiens,niſi Artifex erit; finis uero ut in ea Magiſter doceat;materia lignum; Demum forma, talis partium figuratio. At ex his ſolum duo in Cathedra,nimirnm lignum, & figura reſtant, & illam interne conflant: finis uero, ac efficiens nec in ea remanent, nec ex ijs ut partibus conſtat. Quæ cum ita ſe habeant aſſerimus ad primum per ſe dictum præcipue formam, poſtea materiam ſpectare, vel certe tantum formam. Poteſt valde probari, quando,quid quid aliqui velint, aientes omnibus primis modis veram materiam eſſe, cum Mathematica, atque ſeparata hac materia vacent, & in illis hæc prædicata adſint, nequit niſi formam reſpicere,quæ licet ex ſe ſit materialis tamen vt primo de Anim. textu 17. abſque ſenſili materia conſiderat. In cæteris vero maxime quidem formam,at ex conſecutione,etiam materiam attendet. Sic poteſt in Phyſicis notari, quibus ſic forma primatum tenet, vt ſimul materia ſe iungat quaſi vehiculum formam deferens, & ſine quo hæc non ſtaret. Et hæc ratio exiſtit cur inter finiendum Phyſica materiam adnectimus, quod eſſet aliter ſuperfluum, cum rei ſubſtantia ſit in forma, quam ſinitio attendit. Sed maior eſt difficultas in declarando quam Secundus modus cauſalitatem habet; nam cum materia, & forma ad Primum; efficiens autem, & finis ad Quartum ſpectet, minus ſe effert cui ſecundum dictum nititur nec de eſſentiali nexu,quem inter maius, ac minus extremum poſcit,velut illo, qui a cauſali pendentia manat. Aliqui affirmant rite ſcopulum vitari ſi dicunt affectionem dupliciter pendere a ſubiecto; primo in genere materiæ,poſtremo tanquam ab efficiente.Ex quo

In quibus primus per ſe modus, tantum formam intueatur, vel materiam, & formam ſimul.

Opinio quorundam.

quo colligunt secundum modum sic ex hac pendentia stare, vt ne queat sine ea dari, & à cæteris distinguatur. Nam omnes concedunt subiectum ad materiam referri, minus sane internam, cum affectio haud ex subiecto, vt ex partibus constet, sed externam; scilicet quia ipsi inhæret. Pendet vero ut ab efficiente, quia aliquid subiecto insit, quod est efficiens affectionis. Sic decet subiecti formam credere, quæ cum sit causa affectionum, non possit autem esse materia, quod ex eo apparet, quia minus formæ, sed subiecto adhærent, plane succedit efficiens illarum esse. Verum hanc *Euersio.* opinionem vt vt plurimum extollant, tamen dubiam existimamus, cum accipiat omnem affectionem ex subiecti forma fieri, & efficiens dicendum; at id falsum censemus, sed quædam affectiones se dedunt, quæ nunquam subiecti formam vt causam, sed externum efficiens, vel finem agnoscunt. Sic de Lunæ eclipsi testamur, quam solus Terræ oppositus facit. Neque vero quis respondeat, *Quorundam euasio.* quod interdum legimus, pauca id genus dari, ob quam rem haud necessarium meminisse, cum potius in quæ per accidens pellantur; nam si secundum per se dictum qua tale, eo externam materiam respicit, quia hæc, ut affirmant, intra se formam continet, statim emerget, ne sit aliquid absque essentia, nullam affectionem dari, quæ a subiecti natura non manet, at id in eclipsi improbauimus, tanquam illa, quæ haud internam causam, sed tantum externam optat. Atque hinc refulget minus probe D. Thomam credere *D. Thomas.* Quartum modum semper in Secundo claudi. Nam præter quam quod subiecti forma ratione affectionum, quas præstat, & eodem sunt subiecto positionem efficit, quæ secundo per se dicto manet, nequit vero quadrare subiectum ab affectione respici, vt semper quasi efficiens noscat. Quare cum in aliorum dictis difficultas la- *Propria sententia.* teat, censemus ad secundum per se modum vel expresse materiam externam, implicite vero internum efficiens spectare, quod in minori cernitur, in qua affectio dicitur, quæ a subiecti forma pendet; vel contra expresse internum efficiens, at implicite materiam externam, quo pacto maior erit, modo causa exprimatur, quæ idem sit subiecto cum effectu; vel certe externam materiam; nam etiam hæc sic suis affectionibus fauet, vt nexum essentialem gerat. Hac ratione habet enunciatio, Luna eclipsatur. cuius rei ratio occurrit quia Lunam haud eclipsis efficiens, sed tantum externam materiam remur. Quanquam est aduertendum, quod etiam antea diximus, cum internum efficiens exprimitur, nunquam esse inna-

turale prædicatum, ſed ſiue maioris extremi locum, ſiue minoris occupet, ſemper naturæ ordo peruiget. Poteſt illo deprehendi, quando tunc,is ordo abeſt,dum expreſſe ſubijcimus, quod re vera inſidet;& contra quod ſubeſt,expreſſe prædicamus. Ergo ſi poſitionis termini ſint iuncti, vt neuter alteri hęreat, velut riſiuum eſt rationale, nihil prohibet quin ad libitum mutentur, & quod prius in maius extremum,exin in minus ſumere, & in gyrum mutare. Sed poſſet quis opponere quaſi haud ſit tenendum, ſolum ordine ad externam materiam ſecundum dictum præberi; nam ſi nuda pendentia a ſubiecto ſatis putatur, abſque eo vt efficiens adſit, plane erumpit itidem commune accidens de ſubiecto ſic dici, cui inhæreat, vt ad hunc modum ſpectet; quod ex eo fit notum, quia non minus commune externam materiam, quam proprium expoſcit: cum prę́ſertim nulla cauſa ſe dedat cur ſubiectum magis affectionis materia, quam accidens exiſtat; hoc autem Philoſophus damnabit,aiens communia accidentia de ſubiecto dici, vt prędicatum inferant,quod primo, ac ſecundo eſt aduerſum. Adeſt pariter ratio ad idem firmandum, quia ea eſt ſecundi modi conditio,ut minus extremum maioris finitionem intret, Igitur id cuius gratia fiet ad Secundum ſpectabit, at hęc nequit materia eſſe, alioquin ſiue proprium, ſiue certe accidens, prorſus nihil referet, ſed idem ſubiectum ſumemus, tanquam id, quod ęque vtriſque conuenit,& externa materia debetur.Si vero efficiens,tunc Secundum per ſe dictum prodibit. Et hac via concludendum affectionis pendentiam a ſubiecto ut ab efficiente, ſemper pro hoc modo quęri. Verum hęc minus tanti facimus vt nos de ſententia exturbent:& quo ad primam rationem, ex qua deducunt ſi tantum externa materia ſufficit, illud fieri vt per ſe modum accidens ſubeat, dicimus non eadem via incedendum, ſed alio pacto in accidentibus, alio in affectionibus eſſe. Etenim prima ſic externam materiam,vt ſolum indeterminate velint, at vltima determinatam poſcunt. Licet in albedine cernere, quæ ex propria conditione haud magis in homine,quam in alio hæret,nec vllis eſt legibus aſtricta, ſed æque omnia conferunt; hoc autem dedecet de riſiuo credere, cum ex proprio ſubiecto pendeat, nec poſſit per omnia vagari, ſed quoddam determinatum affectet, per quod etiam finitur, quod non cadit in commune accidens; nam cum propria materia vacet, nec in finitionem ſumet. Et ex his apparet cur nequit per ſe modum præſtare,tanquam illum, qui in determinatis verſatur, atque

Dubitatio.

Solutio.

adeo

adeo ijs,quæ necessitatem gestant, at indeterminata contingentibus damus. Dum vero addunt quod in causa existit vt maius extremum ponat in sui finitione minus,ad Secundum dictum referri,tale efficiens putandum,missis pluribus,quæ possent adduci,dicimus nihil nos cogere cur efficiens, & subiectum idem prædicatum spectent, sed tantum deduci causam efficientem sub aliquo modo claudi. Sic de principijs, ac conclusione cernimus, quæ non eodem notitiæ genere; sed diuersis consistunt. Præterea negamus affectionem semper a subiecto, quasi ab efficiente pendere, sed interdum cadere vt solum in genere materiæ, nec quicquam impedire quin talem modum occupet. Quæ omnia ex superioribus nitent. Atque hæc de Secundo per se modo satis sit indicasse. Quod pertinet ad Tertium per se modum etiam hic causalitatem respicit. Nam cum dicimus, homo existit, prorsus nihil dicimus,præter nullam externam causam dari,ex qua pro existendo pendeat, sed sibi causam existendi esse;vel quod in idem venit, causam cur existat in sua essentia habere, quod accidentibus non contingit, quæ cum externam causam teneant,nimirum substantiam,cuius munere constant, si de illis existentia effertur,haud erit per se positio,sed plane requiritur, vt existentiæ causam exprimamus. Quartus vero per se modus, tum,quod causam attendat, tum quæ nam sit censenda fuit alias tactum in hoc dicto explanando,& Philosophus indicat dum ait,*quod propter ipsum vnicuique inest per se esse, quod autem non propter ipsum accidens.* Quo loco dictio,*propter*,causam designat,nec alia videtur nisi finis vel affectionis efficiens subiecto ab ipsa distinctum. At de his hactenus.

QVAE igitur in simpliciter scibilibus dicuntur per se sic, vt insint prædicatis, vel prædicata subiectis, & propter ipsa sunt, & ex necessitate: non enim contingit non inesse, vel simpliciter,vel opposita,vt lineæ rectum, aut curuum, & numero impar,aut par; contrarium namque est vel priuatio, vel contradictio in eodem genere,vt par, quod non impar in numeris secundum quod sequitur: igitur si necesse est affirmare, vel negare,& ea, quæ per se sunt, necesse est inesse. De omni quidem,& Per se hoc pacto sit determinatum. Cont. 35.

PRAE-

PRAELECTIO XXI.

PER SE MODOS SELIGENS qui necessitatem seruant, quam excellens Ostensio postulat.

Connexio. SED quamuis omnes per se Modi adhuc cogniti causæ ordinem habeant, tamen haud decet inferre, simul omnes necessarios esse, nimirum eâ necessitate, quam insignis
Institutum. Ostensio poscit. Id Philosophus obseruans, in præsentia edocet quibus nam hæc neces-
Diuisio. sitas insit. Contextus in tres partes diuiditur. Et quidem in prima conclusionem ponit. In altera confirmat. In tertia epilogum efficit. Nos missis pluribus, quæ possent afferri, & a summis viris tractantur, illud paucis tentabimus, vt præsens textus clareat, nihil amplius curan-
Expositio. tes. Quod attinet ad primam partem, *quæ dicuntur in simpliciter scibilibus per se sic, vt prædicatis inexistant, vel prædicata subiectis, & per ipsa sunt, & ex necessitate*. Id est quæ ad perfectam Scientiam sic ponimus, vt subiectum prædicati finitio sumat, quod illa verba exprimunt, *prædicatis inexistant*, quo pacto secundum modum signat; vel prædicatum subiecti, & denotant, *prædicata subiectis*, quod primo debetur, non solum causæ nexum, sed etiam necessarium gerunt. Ex quo comprehenditur siue, *per ipsa*, legamus, siue, *propter ipsa*, nullum peccatum committi, nec nugationem esse. Quod vero hi per se modi necessitatem habeant, licet nobis probare, quia quid quid non contingit non inesse vel simpliciter, vel certe opposita, necessario inest, talia autem sunt Primi, vel Secundi dicti prædicata, quare illud emergit vt necessario insint. Maior propositio est valde nota, & 2. Periherm. tangitur. Sed cum hæc prædicata sint duplicia, & quædam simpliciter dicantur, quædam minus simpliciter, sed duo opposita, nihil aliud indicat, *simpliciter*, præter illa, quæ vnica dictione, vel pluribus notantur, modo vnam rem signent, vt animal, aptum ad risum, &c. at *opposita*, ea, quæ oppositis dictionibus; sic dicimus rectum, vel curuum simul, &c. Minorem insinuat, *non enim contingit vt non insint vel simpliciter, vel*

oppo-

oppoſita. Sed cum duas partes ſeruet, prima ommiſſa, quæ ad ſimpliciter prædicata ſpectat, tanquam illa, de qua id ſatis patet, nec vllus ſe dedat, qui hoc audeat negare, altera confirmetur, cum præſertim anceps appareat, & cernantur ſubiecta ſub vtroque oppoſito ſtare ſeorſum aſſumpto; nam linea poteſt recta eſſe, & curua, & numerus par, & impar; ex quo videtur haud neceſſario ineſſe. Et hac via patebit, etiam illis deberi, quæ oppoſita prædicantur. Ergo cum Oppoſita habeant, id eſt immediata Contraria, vt ratione ſui ſubiecti, plane eandem vicem, quam ipſa met priuatio, vel contradictio præſtent, illud erumpit, vt velut huius altera pars neceſſum eſt eſſe, & etiam priuationis, ſic quæ per contraria dicuntur, eodem modo ſe gerant, & alterum exiſtat. Poteſt vero ſic formari. Priuatio, vel Contradictio in eodem genere non contingit non ineſſe, ſed immediatum contrarium eſt priuatio, vel contradictio in eodem genere, Igitur immediatum contrarium non contingit non ineſſe. Maior propoſitio non exprimitur, ſed Philoſophus ſupponit. Minorem ſignificat, *Contrarium enim eſt priuatio, vel Contradictio in eodem genere.* Idem in Poſtprædicamen. dicebat, Cap. de Oppoſitis, quo loco teſtatur, quæ in contrarijs oppoſitione medio vacantibus priuatiuam, & contradicentem exprimi; ac velut in his alterum neceſſario adeſt, nec prorſus ſubiectum deſerit: ſic itidem in ijs ſemper alterum aderit, nec ſubiectum relinquet. Poteſt ratio cenſeri, quia altera pars non ſolum alteri contraria, ſed ſimul eſt contradicens: & rectum tum curuo eſt contrarium, ac par ipſi impari, tum quoque contradicens: quod ex eo fit notum, quia pro vt ipſum ſequitur, id eſt non impar ipſi pari, & non curuum ipſi recto, idem in lineis rectum, & non curuum indicat, & par, ac non impar in numeris; ob quam rem probe locum occupat. Quare vt ſibi contradicunt curuum, ac non curuum: impar, ac non impar, ſic rectum, & curuum; atque par, & impar. Quæ cum ita ſe habeant, *ſi neceſſe eſt affirmare, vel negare, & illa, quæ per ſe ſunt neceſſe eſt ineſſe*. Quibus verbis alter progreſſus adeſt, qui ex dictis dependet. Nam ſi immediata Contraria vim Contradicentium tenent, quæ nequeunt non eſſe, ſed neceſſario exiſtunt, ſi ea per ſe, quę Primus, vel Secundus modus ſeruat, licet oppoſita prędicentur, ſunt immediata Contraria, illud ſuccedit, vt inſint neceſſario ſubiectis. Tali vero pacto formamus. Immediata contraria ſunt contradicentia, ſed illa per ſe Primi, vel Secundi modi ſunt immediata contraria, igitur illa per ſe Primi, vel Secundi modi ſunt contradicentia:

centia: At hęc sunt ex necessitate, ergo etiam illa per se Primi, vel Secundi modi ex necessitate insunt. Ideo vero inquit, *si necessum est affirmare, vel negare*, vt magis necessitatem exprimat, quam hæc duo dicta seruant, velut eam, quam axioma mensurat, cuius la tis necessitas splendet. Et hac via hic vltimus progressus omnia comprehendit, quę in pręsentia tractabat. Neque sane quis opponat, quasi tantum de Immediatis Contrarijs, nihil de cęteris dixerimus, illa priuationi, ac contradictioni æquantes, cum tamen reliquis conueniat, & contradicentis vi polleant; Nam quamuis alia, quibus medium contigit, si extremum sumatur omnibus medijs iunctum, satis ea adæquent, & contradictionem imitent, quo pacto queunt huc referri, tamen cum non sic necessitatem, vt immediata præferant, quam præsertim Philosophus respicit, iure solum hæc attingit, quod exempla declarant. Atque hinc apparet potissimam Ostensionem, maxime in primis duobus Modis esse, tanquam ijs, quibus clare necessitas fulget. *Ergo de Omni, ac Per se hoc pacto sit determinatum.*

Dubitatio

Solutio.

Insignis Ostensio in Primis duobus modis viget.

Cont. 36.

VNIVERSALE autem dico, quod & de Omni sit, & Per se, & Quatenus ipsum. Manifestum igitur quod quæcunque sunt Vniuersalia, ex necessitate insunt rebus. Per se autem, & Quatenus ipsum idem est, vt per se Lineæ inest punctum, & rectum, nam quatenus est linea; & Triangulo quatenus est Triangulum duo recti, etenim per se Triangulum duobus rectis æquales habet. Vniuersale autem tunc est, cum in quolibet, & primo monstretur, vt duos rectos habere nec Figuræ est vniuersale, est sane monstrare de figura quod duos rectos habet, sed non de qualibet figura, nec vtitur qualibet figura monstrans; Quadrangulum enim figura quidem est, non habet autem duobus rectis æquales; Aequicrus vero habet quidem quodlibet duobus rectis æquales, sed non primum, sed Triangulum prius. Quod igitur quodlibet primum monstratur duos rectos habere, haud quodcunque aliud, huic primo inest vniuersale, & Demonstratio per se huius Vniuersalis est, at aliorum quodammodo, non per se; neque Aequicruris est vniuersale, sed latius patet.

Cont. 37.

PRAE-

PRAELECTIO XXII.

VNIVERSALE PRAEDICATVM tradens.

Connexio. Inſtitutum.

SED. iam de Vniuerſali prædicato videamus, quæ eſt Tertia conditio vti ordine poſtrema, ſic dignitate prima ob ſummam, quam parit neceſsitatem, cui ſolum hæc Oſtenſio adhæret. *Diuiſio. Expoſitio.* Contextus in duas partes diuiditur ex duplici finitione, quam Vniuerſalis affert. Quod attinet ad primam partem ne vocis ignorantia labamur, quod ſolet in Antiquis reprehendi, eſt obſeruandum, Vniuerſale, maxime tripliciter ſumi. *Vniuerſale triplex.* Et quidem vno modo vt tantum naturas vniuerſales notet, atque adeo illa, quæ antea egimus: Deinde pro Signo vniuerſali, quod quantitatis notam uocant, tali pacto dictio, Omnis, uel Nullus, ut ex Periherm. claret, poſitioni adiunctæ, uniuerſalem reddunt. Demum pro poſitionis prædicato, quod cum omni ſubiecto competat, tum conuerſim dicatur, & maximam neceſſitatem gerat; quam notionem ſi credimus Philoſophi eſſe, illi proprie legantes, forte minus erratur. Etenim ait, *Vniuerſale autem dico*. Nos miſsis duobus tanquam extra præſens negocium, ſolum de ultimo agemus, quod poſterioriſticum uocant. Poteſt uero ſic ſignari, *Quod & de omni, & per ſe, et quatenus ipſum ſit*. *Prima Vniuerſalis prædicati definitio.* Quæ finitio ex triplici ſubiecti conditione pendet. Ac certe de primis duabus hoc ſatis apparet, cum id, *de Omni*, dicatur, quod omni ſubiecto conuenit; id autem, *per ſe*, quod ex propria ſubiecti natura. Idem eſt de, *quatenus ipſum*, credendum, quam tertio loco ponit, tanquam inſinuet, ſic ſubiecto prædicatum deberi, ut ſecundum eſſentiam competat. Sed poteſt hoc dupliciter accipi, uno pacto quod ex internis Principijs, nihil prætere curans ſiue rationes genericæ, ſiue ſpecificæ, ſiue ſint affectiones, qua via plurima prædicata notamus, vt eſſe animal, rationale, riſiuum, & id genus alia, quæ haud homini per externum, ſed ex ſubſtantia adſunt; alio vero ut idem importet, ac ex ultima ratione, qua ſubiectum a reliquis diſtat, & ſolet ſubiectum duplando exprimi; ſic riſiuum homini quatenus ipſum adhæret, id eſt ſecundum

quod est homo, nempe quia ex propria conditione, & secundum specificam formam, quæ ab alijs omnibus diuidit, ac in esse determinato locat. Primum haud Philosophus intelligit, quod ex eo fit notum, quando nihil distinctum a per se dictis afferret, sed postremum. Et ex his refulget cur præsens prædicatum, *vniuersale*, vocet; nam vt Auerroes monet, cum subiecto secundum speciem adsit, sic debet affirmari, vt tum omnibus competat, quæ sub ipso consistunt, tum in nullo extra ipsum resideat. Quæ cum ita se habeant potest tute deprehendi, *quod quæcunque sunt vniuersalia, & ex necessitate rebus insunt*, quod textu 29. proposuimus. Nam, vt fuit ibi dictum, nil Philosophus tentabat, nisi omnes conditiones piscari, quæ necessarium nexum gestant. Quanquam minus accipimus, quasi posit latior necessitas sumi, qualem in de omni, ac Per se videmus, sed illo modo, vt summam significet. Si quidem cæteræ conditiones ob admixtam contingentiam franguntur, at Vniuersale prædicatum, tantum abest vt quid tale patiatur, vt vndique sit necessarium. Ex quo pariter succedit vt potissimam Ostensionem præstet. Quod si in præsentia testatur, Per se idem, & Quatenus ipsum esse, decet notare, vt idem Auerroes Quęst. 10. Per se dictum vel sic capi, vt quadam amplitudine pendatur, qua via prius intellexit, cum de industria tractabat, vbi internam pendentiam spectat; vel eo pacto vt secundum pressionem, & hoc modo hic vsurpat. Atque hæc in primam textus partem sufficiant.

Quam ob causam hæc prædicatio, vniuersalis appelletur.

Quod pertinet ad aliam partem, etiam licet finire aientes tunc esse, *dum in quolibet, ac primo monstretur*. Quo loco posset ambigi num sic Vniuersale innuat, vt vna illud conclusionis, & principiorum, vel tantum conclusionis attendat. Ac sane quidam contendunt vtrumque indicare. Quod si verbum, *monstretur*, adhibet, ex quo videtur conclusio respici, prorsus nihil importat, nisi prædicetur, in quem sensum sic conclusioni, se impertit, vt simul ad principia penetret. Verum hanc expositionem haud valde solidam reputamus; cuius rei ratio se offert, quia præter quam quod verba extorquet, quod est maxime cauendum, nisi summa necessitas cogat, minus comprehenditur quo pacto in progressu tuentur. Quare non est cur communem sententiam spernamus, quæ affirmat, solum conclusionis finiri Vniuersale. Auget vero animos, quia ex talis Vniuersalis finitione illud principiorum clareat. Binas autem conditiones proponit. Et certe cum idem; *in quolibet, ac, de omni*, denotet, prima primæ conditioni respondet, quæ in altera est si-

Altera Vniuersalis prædicati definitio.

Quorundam expositio.

Reiicitur.

Communis expositio.

est finitione,dictio vero,*primo*, plane idem insinuat, ac, *quatenus ipsum*,quod ibi vltimo ponit. Neque sane conturbet tanquam nihil de, *Per se*,dixerit, cuius maior ratio, quam de Omni est habenda,ob maiorem necessitatem,quam possidet;nam,vt fuit attactum, in prima finitione ad tertiam restrinxit, aiens idem cum tertia conditione esse. Nisi vero sic egisset, hic omnia proferret, ne vel aliqua æquiuocatio, vel manca finitio staret. Vox autem, *primo*, haud ex parte prædicati se tenet, alioquin dum quærit quid primum sit prædicatum, si inter finiendum sumitur,idem per idem explicat. Nec etiam vt aduerbium adhibet,quanquam solet aduerbio exponi, cum ad maiorem euidentiam fiat; sed est adiectiuum nomen,quod debet subiecto iungi. Ergo in hac finitione primum subiectum dicimus,quod sic proprium comparet,vt simul sit adæquatum,quatenus ipsum prædicatum seruans,id est non ratione alterius subiecti;ob quam rem 2.libro textu 94.addetur,quoduis vniuersale prædicatum cum subiecto conuerti. Quæ cum ita se habeant licet tute credere Secundum quod ipsum, Vniuersale, & de Primo subiecto prædicatum,idem inuicem esse.Ac ut omnia splendescant id exemplo illustremus. Et quidem sit duobus rectis æquales habere. certe hæc affectio potest ad Figuram; postea ad Aequicrurum;demum ad Triangulum referri. Si primo pacto sumitur, nunquam est uniuersalis censenda, quod ex eo renidet, quando vt de Figura monstretur, tamen non in quamuis figuram cadit,nec omnem Geometra adhibet, tanquam illam, cui primo est affectio; alioquin continget vt etiam de Quadrangulo monstret,quod recte inconueniens apparet; *etenim Quadrangulum est quidem figura,at duobus rectis æquales non habet*. Et hac via subiectum a prædicato exclusimus,quod prædicatum excedit.Si vero ex parte Aequicruris, cum hic tali pacto gerat,vt, *æquales duobus rectis teneat*,ei affectio adhæret, vt pariter alijs competat, nimirum Scaleno, & Aequilatero. Ex quo succedit haud primum subiectum esse,sed aliquid superius dari,cui velut generi debetur. Quomodo prædicatum pellimus,quod subiectum præcellit. Ergo si hæc affectio nec dum subiectum excedit, nec cum deficit inest vniuersaliter, solum remanet, vt sic eo casu competat, dum prædicatum cum subiecto vertitur; hoc autem continget si de Triangulo asserimus,cui non propter aliud, sed ex propria est conditione. Quare cum Philosopho concludendum quod de quouis primo subiecto,*monstratur duos rectos habere*,uel quæuis alia affectio,

huic primo inest; quasi vniuersale prædicatum, *& Ostensio per se huius est vniuersalis, aliorum vero quodammodo, haud per se*. Atque hinc deprehenditur, praue quosdam putare nullam positionem dari sub Secundo per se mòdo clausam, quin pariter sit vniuersalis. Decet illo cernere, quia vt alibi firmauimus, dum Generis affectio de subiecta Specie dicitur, tunc Secundi modi positio, & per se emergit, tamen non inter vniuersales manet. Preterea deprehenditur quo præsertim dissident vniuersalis positio, & simpliciter medio vacans; siquidem hæc poscit nullam causam esse, quæ in medio posita, & etiam a priori ostendat de subiecto prædicatum, nihil amplius curans quod nam tale sit prædicatum; at ea satis quiescit si subiecto sic prædicatum, vt ex propria ratione competat, & qua a reliquis distat, absque eo vt subiectum intersit, seu vero causa intercedat, seu non, nihil ad ipsam spectat, nec aliquid attendit. Ex quo relucet vniuersalem positionem posse interdum ostendi, sed plene immediatam nunquam posse, quod etiam Auerroes docebat. Diximus autem, simpliciter medio vacans, quia itidem vniuersalis positio medio subiecto caret. Et hæc ratio existit cur affirment insignis Ostensionis principia prorsus immediata esse, cum nullum subiectum, vel causam obtineant, at conclusionem secundum quid, tanquam illam, quæ solum medium subiectum arcet. Igitur retinendum, tunc vniuersale enunciatum poni, cum vel proxima differentia de Specie, quam præstat; vel tota finitio de finito, vel affectio de proprio subiecto dicitur. Quæ omnia exempla confirmant, quæ in nostris textibus adduxit, partim ex rei natura, partim ex affectionibus deprompta.

Primum quod deducitur.

Alterum quod deducitur.

Cur potissima Ostensionis Principia plane immediata dicantur, Cõclusio uero secundum quid.

In quibus consistat Vniuersale prædicatum.

PRAE-

PRAELECTIO XXIII.

QVAERENS NVM NE GENERIS DE SPECIE, VEL DE Differentia prædicatio sit inter vniuersales ponenda.

AT quamuis illa, quæ diximus valde Philosopho conueniant, & eius mentem attingant, tamen minus desunt, qui pro viribus petunt, aientes tum in tribus adhuc notatis Vniuersale, tum in alijs duobus esse. Nam vltra finitionis de finito, & vltimæ differentiæ prædicationem, nec non affectionis de subiecto, acriter contendunt dum Genus de Specie, uel de differentia dicitur, sub Vniuersale stare. Nos ut probe incedatur, & res distincte fiat, nec aliquid supersit noscendum primo loco primum, postea alterum expendemus. Quod attinet ad primum Abunazar apud Auerroem 2. Poster. 94. testatur Generis de Specie enunciatum, uniuersale esse; quo pacto cum dicimus, homo est animal, quædam ex finitionibus tenet, quas de hoc prædicato attulit. Potest pluribus probari, sed prælertim tribus, quę omnibus prępollent. Vnum existit, quando, vt fuit expressum, id Vniuersale creditur, quod subiecto quatenus ipsum conuenit, talis vero est Generis affirmatio de propria specie. Ni autem sic asserimus, nec homo qua talis esset animal, statim emerget haud ex interna ratione, sed per quoddam externum esse, quod quam sit improbandum, satis per se apparet. Præterea vniuersale finitur quod in quouis, ac primo residea; sic Genus in ordine ad Speciem habet. Et sane quod cuilibet insit, adeo abunde splendet, vt omnem confirmationem spernat. Primo autem inesse, illo valde probatur, quia nihil aliud indicat præter sic inesse, vt aliud Subiectum non intersit, quæ rite Generi quadrant. Demum in de Iuuent. ac Senect. habemus animal qua animal, necessario viuere ex quo deprehenditur hominem vt talem animal esse; Nam vt viuere locum generis ad animal tenet, sic animal locum generis ad hominem, nec quicquam in hoc alteri damus, quod alteri non competat. Verum hæc opinio forte a Philosopho recedit. Et quidem missis pluribus, quæ haud prorsus conuincunt, quamuis quidam aliter contendant, hic textu 37.

Abunazar.

Damnatur.

quem

quem adhuc tractauimus, volens probare tres ęquales non dandum vniuersaliter ęquicruro, indicium proponit, quia latius subiecto patet. Ex quo regula sumetur ad noscendum quando nequit dici vniuersalis positio, nimirum si termini non sint pares, nec inuicem vertantur: ob quam rem asserentes ęquicrurum tres ęquales gerere, negat ad vniuersale spectare, tanquam id, cuius prędicatum plus se diffundat, id est plura quam subiectum penetret, nec solum æquicruro, sed etiam triangulo competat. Idem textu 43. habemus, quo loco affirmat, tunc vniuersale credendum, cum ad subiecti positionem ponitur, ad ablationem aufertur, quo pacto nisi termini sint dispositi, vt conuersim redeant, nunquam id prædicatum dabunt. Præterea 2. Poster. 94. inquit primum prædicatum haud pluribus competere, subdens etiam conuerti, at genus, & pluribus adest quam vni speciei, nec cum ipsa conuersionem seruat, sed de alijs dicitur. Quod autem pertinet ad rationes, dum aiunt tunc vniuersale putandum, cum subiecto quatenus ipsum conuenit, tale vero animal esse in ordine ad hominem, asserimus dictionem, quatenus, vel sic accipi quasi genus, & formam communem notet, vel eo modo vt tantum propriam, & quæ det determinatum esse ab omnibus alijs diuersum; primo modo concedimus *hominem* qua tale esse animal, sed postremo negamus, tanquam id, quod solum ex rationale pendet. Hac ratione haud absonum censebat Primo per se dicto sic differentiam claudi, vt simul Genus quiescat, nempe quia ambo interne competunt, quamuis magis differentiæ debetur. Cum autem addunt nihil aliud signare primo inesse, nisi nullo medio subiecto, quod Generi debetur, quasi ei, inter quod, ac Speciem nullum intersit, cernens Auerroes difficultatem finxit inter hominem, & animal Subiectum, per quod animal homini adesset; atque animal quoddam vocauit: ac velut prima materia est ex se quid effusum, nec magis vnam formam, quam aliam attendens, sed verius potentia ad omnes, at cum dispositiones accedunt sic arctatur, & quasi cancellis occluditur, vt tantum vnam formam respiciat, & illi maxime seruiat; Sic videtur de Genere dicendum; nam cum eo modo sit in Specie, vt materiæ locum occupet, nequit iungi determinatæ differentiæ, ex qua Species stet in proprio entis gradu, ni per accidentia restrictum differentiæ proprium redditur. Verum præsens solutio, quam aliqui explicant, & sequuntur haud plane firma existimatur; Etenim quæremus num hæ dispositiones ad genus, vt tanquam differentiæ contrahentes, vel

Rationes aduersæ diluuntur.

Auerrois solutio.

Reijcitur.

vel quasi præparatio se habeant, quo veras differentias sumat? Si primum,iam illud emerget quod vt generi dispositiones,absque eo vt subiectum intersit,sed ex propria conditione adsunt,idem sit de differentijs, nec diuersitas appparet. Quod si contendunt praue differentias dici, cum haud in determinato esse, sed magis in via ad proprium,& completum esse ponant,quod aliquo ex summis generibus inest; Ergo vt materia licet præparationibus instructa, & peculiari formæ parata,nunquam diuersum subiectum præbet,nec dicimus formam esse in materia alio medio subiecto,sed idem cum priori creditur,solum dispositionibus structum; sic de genere censendum quibusdam præparationibus fulto, per quas differentijs iungatur. Præterea non cernimus, qua via semper ad hæc accidentia confugiant;nam quamuis naturalibus insint,tamen ab abstractis absunt,nec Mathematica notantur his dispositionibus dedita,quæ cum haud sensilem materiam, sed intellectilem attendant, certe nullas genus,præter eas habebit, quæ talem materiam sectantur. Vtrum vero æe persient, an non, quoue pacto diuinct Auerroes ijs pandendum linquimus, qui hoc dogma tuentur. Quæ cum ita se habeant est recolendum quod alias firmauimus,sic in præsentia de Ostensione,vt solum eius conditiones quærantur, quam potissimam vocant, at hæc nunquam substantiæ,sed accidentibus aptatur.Quanquam minus sumimus quasi nunquam Ostensio ad substantiam, sed semper alio tendat quod aliqui supponunt, cum sæpius contrarium adsit, & Philosopho repugnet contrarium tractanti,sed maxime de Sensu, & Sensili,quo loco varia per causam monstrat, quæ ad essentiam spectant Animalium organorum.Ac certe si quis ostendat humanum corpus tali pacto esse structum,nempe ex capite, thorace,& cæteris,quod septimo Metaphysicæ docebat,tex.59. quia est animal rationale, minus se effert cur aliquem gradum, nec quidem nobilissimæ, sed tamen Ostensionis non seruet, at per hanc nullum accidens,sed propriam materiam monstramus, ex qua vt parte est homo.Idem patet 2.de Anima,textu 37. quanquam inter se dissident, quod hic anima vt finis, at primo velut forma sumitur.Neque vero quis opponat sic dispositam materiam verius ad instrumenta referri,quæ hominis affectiones putantur,nam quamuis tales partes prout illi ad munera obeunda seruiunt,instrumenti vicem subeant, tamen qua rationalis animæ subiectum, ex quo, vt parte fit homo haud est negandum

Quædam Ostensio etiam est de substantia.

dum

lis positio debeat sub per se modis stare, & interna connexio adesse, quam causa, & effectus postulant, a qua hęc enunciatio abest, sed vt genus a differentia non pendet, sic differentia a genere, est asserendum nunquam uniuersalem esse. Quæ autem de hoc diximus decet itidem transferre cum genus non de una differentia, sed de oppositis dicitur; quo casu ut terminis conuersionem addat, tamen internus nexus non fulget. Neque uero negocium præstat asserens tali prędicatione ablata, & differentię de Specie nullum aliud Vniuersale nisi finitionis dandum: etenim credimus proximam differentiam de Specie uniuersaliter dici. Prętereà addimus quod licet hęc non adesset, tamen praue inferunt, solum finitionis stare, sed adhuc superesset, in quo affectio de sibi pari subiecto prędicatur: alioquin perperam efferret Vniuersale putandum, quod, *in quouis, & primo monstretur*, talis uero est affectio cum de proprio subiecto affirmant. Ergo probe alias ponimus, tribus Vniuersale comprehendi, scilicet uel si finitio de finito, uel proxima differentia de Specie, uel affectio de proprio subiecto dicitur.

Ratio aduersa deletur.

Cont. 38. *OPORTET autem non latere quod sæpe contingit, vt peccemus, & non sit id, quod monstratur Vniuersale primum, vt videtur monstrari Vniuersale primum. Ob erramus autem hac deceptione, cum vel nihil sit accipere superius præter singulare, vel sit quidem, sed nomine careat in rebus specie differentibus.* Cont. 39. *Vel sit, vt totum in parte id, in quo monstratur, partibus enim aptabitur quidem demonstratio, & erit de Omni, attamen non erit demonstratio huius primi Vniuersalis. Dico autem huius primi quatenus huius demonstrationem, quando sit primi Vniuersalis. Si quis igitur monstraret, quod rectæ non coincidunt, videretur quidem huius esse propriè demonstratio, eo quod in omnibus est rectis; Non est autem; Si quidem non quia sic æquales sunt fit hoc, sed quatenus quomodocunque æquales.* Cont. 40. *Et si Triangulum non esset aliud, quam æquicrus, quatenus est æquicrus videretur vtique inesse. Et proportionale, quod commutatim dicitur, quatenus numeri, & quatenus lineæ, & quatenus solida, & quatenus tempora; quemadmodum monstrabatur aliquando seorsum, contingit sane de omnibus vnica demonstratione monstrari: sed quia non sunt hæc omnia vnum quiddam nominatum, numeri, li-*

nae ; tempora , solida , & specie differunt inuicem , seorsum accipiebantur . Nunc autem vniuersaliter monstratur ; Non enim quatenus lineae , vel quatenus numeri inerat , sed quatenus hoc , quod Vniuersale supponunt esse . Propter hoc si aliquis monstrauerit de quolibet Triangulo , vel vna demonstratione , vel pluribus , quod duos rectos habet vnumquodque , aequilaterum seorsum , & scalenum , & aequicrus , non dum nouit Triangulum duobus rectis aequales habere nisi sophistico modo , neque vniuersaliter Triangulum , etiam si nullum est praeter haec Triangulum aliud . Non enim quatenus Triangulum est nouit ; neque omne Triangulum , nisi secundum numerum , secundum formam vero non omne , & si nullum est , quod non nouit . Quando igitur non nouit vniuersaliter , & quando nouit simpliciter ? Manifestum sane est , quod si idem esset Triangulo esse , & aequilatero , aut vnicuique , aut omnibus : si vero non idem sed aliud , inest autem quatenus est Triangulum , non nouit . Vtrum vero quatenus est Triangulum , an quatenus est aequicrus inest ? & quando secundum hoc inest primum , & vniuersaliter cuius demonstratio ? Manifestum quod quando ablatis inerit primo , vt aequicruri aeneo Triangulo inerunt duo recti , sed & ablato , quod sit aeneum , & quod sit aequicrus ; at non figura aut termino , sed non primis . Quo igitur primo? Si quidem Triangulo secundum hoc & aliis inerit , et huius Vniuersalis est demonstratio.

Cont.41.

Cont.42.

Cont.43.

lis positio debeat sub per se modis stare, & interna connexio adesse, quam causa, & effectus postulant, a qua hęc enunciatio abest, sed vt genus a differentia non pendet, sic differentia a genere, est asserendum nunquam uniuersalem esse. Quæ autem de hoc diximus decet itidem transferre cum genus non de una differentia, sed de oppositis dicitur; quo casu ut terminis conuersionem addat, tamen internus nexus non fulget. Neque uero negocium prętat asserens tali prędicatione ablata, & differentię de Specie nullum aliud Vniuersale nisi finitionis dandum; etenim credimus proximam differentiam de Specie uniuersaliter dici. Pręterea addimus quod licet hęc non adesset, tamen praue inferunt, solum finitionis stare, sed adhuc supererit, in quo affectio de sibi pari subiecto prędicatur: alioquin perperam efferret Vniuersale putandum, quod, *in quouis, & primo monstretur*, talis uero est affectio cum de proprio subiecto affirmant. Ergo probe alias ponimus, tribus Vniuersale comprehendi, scilicet uel si finitio de finito, uel proxima differentia de Specie, uel affectio de proprio subiecto dicitur.

Ratio aduersa deletur.

Cont. 38. *OPORTET autem non latere quod sæpe contingit, vt peccemus, & non sit id, quod monstratur Vniuersale primum, vt videtur monstrari Vniuersale primum. Ob erramus autem hac deceptione; cum vel nihil sit accipere superius præter singulare, vel sit quidem, sed nomine careat in rebus specie differentibus. Vel sit, vt totum in parte id, in quo monstratur, partibus enim aptabitur quidem demonstratio, & erit de Omni, attamen non erit demonstratio huius primi Vniuersalis. Dico autem huius primi quatenus huius demonstrationem, quando sit primi Vniuersalis. Si quis igitur monstraret, quod rectæ non coincidunt, videretur quidem huius esse proprie demonstratio, eo quod in omnibus est rectis; Non est autem; Si quidem non quia sic æquales sunt fit hoc, sed quatenus quomodocunque æquales. Et si Triangulum non esset aliud, quam æquicrus, quatenus est æquicrus videretur vtique inesse. Et proportionale, quod commutatim dicitur, quatenus numeri, & quatenus lineæ, & quatenus solida, & quatenus tempora; quemadmodum monstrabatur aliquando seorsum, contingit sane de omnibus vnica demonstratione monstrari: sed quia non sunt hæc omnia vnum quiddam nominatum, numeri, li-*

Cont. 39.

Cont. 40.

nae; tempora, solida, & specie differunt inuicem, seorsum accipiebantur. Nunc autem vniuersaliter monstratur; Non enim quatenus lineae, vel quatenus numeri inerat, sed quatenus hoc, quod Vniuersale supponunt esse. Propter hoc si aliquis monstrauerit de quolibet Triangulo, vel vna demonstratione, vel pluribus, quod duos rectos habet vnumquodque, aequilaterum seorsum, & scalenum, & aequicrus, non dum nouit Triangulum duobus rectis aequales habere nisi sophistico modo, neque vniuersaliter Triangulum, etiam si nullum est praeter hac Triangulum aliud. Non enim quatenus Triangulum est nouit; neque omne Triangulum, nisi secundum numerum, secundum formam vero non omne, & si nullum est, quod non nouit. Quando igitur non nouit vniuersaliter, & quando nouit simpliciter? Manifestum sane est, quod si idem esset Triangulo esse, & aequilatero, aut vnicuique, aut omnibus: si vero non idem sed aliud, inest autem quatenus est Triangulum, non nouit. Vtrum vero quatenus est Triangulum, an quatenus est aequicrus inest? & quando secundum hoc inest primum, & vniuersaliter cuius demonstratio? Manifestum quod quando ablatis inerit primo, vt aequicruri aeneo Triangulo inerunt duo recti, sed & ablato, quod sit aeneum, & quod sit aequicrus; at non figura aut termino, sed non primis. Quo igitur primo? Si quidem Triangulo secundum hoc & aliis inerit, et huius Vniuersalis est demonstratio.

Cont.41.

Cont.42.

Cont.43.

lis positio debeat sub per se modis stare, & interna connexio adesse, quam causa, & effectus postulant, a qua hęc enunciatio abest, sed vt genus a differentia non pendet, sic differentia a genere, est asserendum nunquam uniuersalem esse. Quæ autem de hoc diximus decet itidem transferre cum genus non de una differentia, sed de oppositis dicitur; quo casu ut terminis conuersionem addat, tamen internus nexus non fulget. Neque uero negocium pręstat asserens tali prędicatione ablata, & differentię de Specie nullum aliud Vniuersale nisi finitionis dandum: etenim credimus proximam differentiam de Specie uniuersaliter dici. Pręterea addimus quod licet hęc non adesset, tamen praue inferunt, solum finitionis stare, sed adhuc supererit, in quo affectio de sibi pari subiecto prędicatur: alioquin perperam efferret Vniuersale putandum, quod, *in quouis, & primo monstretur*, talis uero est affectio cum de proprio subiecto affirmant. Ergo probe alias ponimus, tribus Vniuersale comprehendi, scilicet uel si finitio de finito, uel proxima differentia de Specie, uel affectio de proprio subiecto dicitur.

Ratio aduersa deletur.

Cont.38. *OPORTET autem non latere quod sæpe contingit, vt peccemus, & non sit id, quod monstratur Vniuersale primum, vt videtur monstrari Vniuersale primum. Ob erramus autem hac deceptione, cum vel nihil sit accipere superius præter singulare, vel sit quidem, sed nomine careat in rebus specie differentibus. Vel sit, vt totum in parte id, in quo monstratur, partibus enim aptabitur quidem demonstratio, & erit de Omni, attamen non erit demonstratio huius primi Vniuersalis. Dico autem huius primi quatenus huius demonstrationem, quando sit primi Vniuersalis. Si quis igitur monstraret, quod rectæ non coincidunt, videretur quidem huius esse proprie demonstratio, eo quod in omnibus est rectis; Non est autem; Si quidem non quia sic æquales sunt fit hoc, sed quatenus quomodocunque æquales. Et si Triangulum non esset aliud, quam æquicrus, quatenus est æquicrus videretur vtique inesse. Et proportionale, quod commutatim dicitur, quatenus numeri, & quatenus lineæ, & quatenus solida, & quatenus tempora; quemadmodum monstrabatur aliquando seorsum, contingit sane de omnibus vnica demonstratione monstrari: sed quia non sunt hæc omnia vnum quiddam nominatum, numeri, li-*

Cont.39.

Cont.40.

nae; tempora, solida, & specie differunt inuicem, seorsum accipiebantur. Nunc autem vniuersaliter monstratur; Non enim quatenus linae, vel quatenus numeri inerat, sed quatenus hoc, quod Vniuersale supponunt esse. Propter hoc si aliquis Cont.41. *monstrauerit de quolibet Triangulo, vel vna demonstratione, vel pluribus, quod duos rectos habet vnumquodque, aequilaterum seorsum, & scalenum, & aequicrus, non dum nouit Triangulum duobus rectis aequales habere nisi sophistico modo, neque vniuersaliter Triangulum, etiam si nullum est praeter haec Triangulum aliud. Non enim quatenus Triangulum est nouit; neque omne Triangulum, nisi secundum numerum, secundum formam vero non omne, & si nullum est, quod non nouit. Quando igitur non nouit vniuersaliter, & quando nouit simpliciter?* Cont.42. *Manifestum sane est, quod si idem esset Triangulo esse, & aequilatero, aut vnicuique, aut omnibus: si vero non idem sed aliud, inest autem quatenus est Triangulum, non nouit.* Cont.43. *Vtrum vero quatenus est Triangulum, an quatenus est aequicrus inest? & quando secundum hoc inest primum, & vniuersaliter cuius demonstratio? Manifestum quod quando ablatis inerit primo, vt aequicruri aneo Triangulo inerunt duo recti, sed & ablato, quod sit aneum, & quod sit aequicrus; at non figura aut termino, sed non primis. Quo igitur primo? Si quidem Triangulo secundum hoc & aliis inerit, et huius Vniuersalis est demonstratio.*

lis positio debeat sub per se modis stare, & interna connexio adesse, quam causa, & effectus postulant, a qua hęc enunciatio abest, sed vt genus a differentia non pendet, sic differentia a genere, est asserendum nunquam uniuersalem esse. Quæ autem de hoc diximus decet itidem transferre cum genus non de una differentia, sed de oppositis dicitur; quo casu ut terminis conuersionem addat, tamen internus nexus non fulget. Neque uero negocium pręstat asserens tali prędicatione ablata, & differentię de Specie nullum aliud Vniuersale nisi finitionis dandum; etenim credimus proximam differentiam de Specie uniuersaliter dici. Pręterea addimus quod licet hęc non adesset, tamen praue inferunt, solum finitionis stare, sed adhuc supererit, in quo affectio de sibi pari subiecto prędicatur: alioquin perperam efferret Vniuersale putandum, quod, *in quouis, & primo monstretur*, talis uero est affectio cum de proprio subiecto affirmant. Ergo probe alias ponimus, tribus Vniuersale comprehendi, scilicet uel si finitio de finito, uel proxima differentia de Specie, uel affectio de proprio subiecto dicitur.

Ratio aduersa deletur.

Cont. 38. *OPORTET autem non latere quod sæpe contingit, vt peccemus, & non sit id, quod monstratur Vniuersale primum, vt videtur monstrari Vniuersale primum. Ob erramus autem hac deceptione, cum vel nihil sit accipere superius præter singulare, vel sit quidem, sed nomine careat in rebus specie differentibus.* **Cont. 39.** *Vel sit, vt totum in parte id, in quo monstratur, partibus enim aptabitur quidem demonstratio, & erit de Omni, attamen non erit demonstratio huius primi Vniuersalis. Dico autem huius primi quatenus huius demonstrationem, quando sit primi Vniuersalis. Si quis igitur monstraret, quod rectæ non coincidunt, videretur quidem huius esse proprie demonstratio, eo quod in omnibus est rectis; Non est autem; Si quidem non quia sic æquales sunt fit hoc, sed quatenus quomodocunque æquales.* **Cont. 40.** *Et si Triangulum non esset aliud, quam æquicrus, quatenus est æquicrus videretur vtique inesse. Et proportionale, quod commutatim dicitur, quatenus numeri, & quatenus lineæ, & quatenus solida, & quatenus tempora; quemadmodum monstrabatur aliquando seorsum, contingit sane de omnibus vnica demonstratione monstrari: sed quia non sunt hæc omnia vnum quiddam nominatum, numeri, li-*

nae ; tempora , solida , & specie differunt inuicem , seorsum accipiebantur . Nunc autem vniuersaliter monstratur ; Non enim quatenus lineae , vel quatenus numeri inerat , sed quatenus hoc , quod Vniuersale supponunt esse . Propter hoc si aliquis **Cont.41.** *monstrauerit de quolibet Triangulo , vel vna demonstratione , vel pluribus , quod duos rectos habet vnumquodque , aequilaterum seorsum , & scalenum , & aequicrus , non dum nouit Triangulum duobus rectis aequales habere nisi sophistico modo , neque vniuersaliter Triangulum , etiam si nullum est praeter haec Triangulum aliud . Non enim quatenus Triangulum est nouit ; neque omne Triangulum , nisi secundum numerum , secundum formam vero non omne , & si nullum est , quod non nouit . Quando igitur non nouit vniuersaliter , & quando nouit simpliciter ?* **Cont.42.** *Manifestum sane est , quod si idem esset Triangulo esse , & aequilatero , aut vnicuique , aut omnibus : si vero non idem sed aliud , inest autem quatenus est Triangulum , non nouit .* **Cont.43.** *Vtrum vero quatenus est Triangulum , an quatenus est aequicrus inest ? & quando secundum hoc inest primum , & vniuersaliter cuius demonstratio ? Manifestum quod quando ablatis inerit primo , vt aequicruri aeneo Triangulo inerunt duo recti , sed & ablato , quod sit aeneum , & quod sit aequicrus ; at non figura aut termino , sed non primis . Quo igitur primo? Si quidem Triangulo secundum hoc & aliis inerit , et huius Vniuersalis est demonstratio.*

dum materiam esse. Et hæc ratio existit cur 2. de Anima dum Animæ Finitionem tradit, Organicum, expræssit, alioquin praue Substantiam in ordine ad instrumenta Finiret, cum nec in quiditate ab affectionibus, nec prius a posteriori pro sui plena notitia pendeat, quam finitio largitur. Præterea obseruamus in vltima Vniuersalis Finitione dictionem, *primo*, adhibens, statim addere, *monstretur*, nimirum vt pateret, tantum prædicatum Signare, quod Sub Ostensionem cadit, & Solet conclusionis dici. Hisce in hunc modum prænotis asserimus cum ait, *quod in quouis, ac primo monstretur*, nihil indicare nisi tunc censendum conclusionis vniuersale, cum affectio de primo subiecto affirmatur, quod verbum, *monstretur*, notat. quo pacto nihil ratio conuincit, nec Philosophus inquit Vniuersale prædicatum esse quod in primo subiecto residet, sed quod de primo monstratur, tale vero haud genus, sed affectiones existunt. Et quamuis de Specie dicitur, vt nullum subiectum interfit, tamen dedecet satis credere, vt sub hoc Vniuersali perstet. Atque hæc de alia ratione. Quod ad postremam attinet ex libro de Iuuent. ac Senect. quo loco testatur animal, qua animal necessario viuere, at eodem pacto animal ad hominem, quo viuere ad animal habet, cum vtrunque generis vicem gerat, cernimus quosdam soluere quasi nihil aliud innuat, præter sic vegetalem animam supponi, vt nequeat sentiens perstare, sed plane illam postulet. qua ratione tantum abest vt dictio, *quatenus*, viuere, duplicet, vt potius distinctionem ponat. Nam si animal pro vt tale est per se sentiens, si ab eodem habet vt vegetans supponat, certe contingit vt animal qua animal a viuere se diuidat. Et hac via machinæ, quas in aliena struunt, in ipsorum caput recidunt. Verum hanc responsionem satis dubiam reputamus. Illud vero nos inuitat quia Philosophus ait in omnibus ijs, in quibus simul vtraque insunt, nempe animal, & viuere, eandem partem esse, qua non solum viuunt, sed animalis nomen tuentur, seu vt nos exponimus, vna per se natura isthæc necessario præstari; cuius rei rationem tradit, quia nequit fieri vt animal qua tale non viuat. quæ ratio secundum dictam declarationem valde inepta putatur, nec quicquam impedit vnum ab alio supponi, nec semper eandem substantiam condere, quod tamen vt necessarium infert. Neque sane quis occurrat in quiditatiuis partibus valere quia aliquid prærequiritur, statim colligimus vnam per sena-

Propria solutio.

Quorundam responsio.

Euertitur

Aliquorum euasio.

se naturam fingere, nam expresse principium petet, illud gratis vsurpans, quod contendit suadere: nec aliud existit quædam supponi de essentia esse, quam in rei substantiam recipi, quod Philosophus confirmat. Quare magis tutum censetur quod ad primam rationem tulimus, aientes dictionem, *quatenus*, sic differentiam respicere, vt simul ad genus penetret. Illo vero de Iuuent. ac Senect. solum genus spectare. Et hoc pacto ratiocinium constat. Nam si animal qua tale necessario viuit, id est viuere vt genus postulat, etiam succedit vnum quid per se esse. Ergo cum Auerroe concludendum animalis de homine prædicatum, & Generis de Specie haud rite vniuersale credi. Decet eo probare quia inter maius, ac minus extremum summa necessitas abest, quam ad id efformandum volumus. Et quamuis Species nequit sine genere esse, sed interne requirit, tamen contra Genus probe speciem deserit, & a sui fabrica pellit. Et hæc de prima difficultate sufficiant. Adhuc de altera videamus, minus sane ad viuum secantes, sed delibantes ea, quæ magis ad rem conducunt, & erit præsens labor expletus. Illo autem consistit an Generis de Differentia prædicatio sit vniuersalis. Ac licet valde ex ijs pateat, quæ alibi notantur dum Primum, & Secundum per se modum dedimus, tamen cum aliqui velint minus linquendam esse, ideo attingemus. Et quidem Themistius hic ansam dubitandi præbet dum non solum affirmat, sed simul laborat suadere. Nam cum in Secundo per se dicto nullum sit vniuersale, sed omne ad Primum spectet, non possit vero in eo stare nisi vel Generis de Specie, vel de Differentia prædicatio, vel Differentiæ de Specie, vel certe finitionis de finito, illud erumpit, quod cum primum sit damnatum, si id hic excludimus, & differentiæ de Specie, nullum pro Ostensione vniuersale præter finitionis restat. Verum hæc opinio solet ab omnibus reprehendi, tanquam illa, quæ ad Vniuersale traducit, quod nec debet per se credi. Ac sane Tertio, & Quarto dimissis, quibus hoc clare cernimus, pariter in reliquis apparet. Nam in Primo per se modo tantum ea resident, quæ uere subiecto insunt, & eius finitionem componunt. At alter sic uult prædicatum in subiecto, ut subiectum pro se finiendo asciscat, quorum nullum sit in positione, in qua genus de differentia dicimus. Nam nec genus est in differentia, ob quam rem prædicatio emergit, quę est innaturalis, nec differentiæ finitio suscipit, uel ea generis differentiam; quę omnia alias tetigimus. Quę cum ita se habeant, & uniuersalis

Propria responsio.

Themistius.

Non probatur.

lis positio debeat sub per se modis stare, & interna connexio adesse, quam causa, & effectus postulant, a qua hęc enunciatio abest, sed vt genus a differentia non pendet, sic differentia a genere, est asserendum nunquam uniuersalem esse. Quæ autem de hoc diximus decet itidem transferre cum genus non de una differentia, sed de oppositis dicitur; quo casu ut terminis conuersionem addat, tamen internus nexus non fulget. Neque uero negocium pręstat asserens tali prędicatione ablata, & differentię de Specie nullum aliud Vniuersale nisi finitionis dandum; etenim credimus proximam differentiam de Specie uniuersaliter dici. Prętereà addimus quod licet hęc non adesset, tamen praue inferunt, solum finitionis stare, sed adhuc supererit, in quo affectio de sibi pari subiecto prędicatur: alioquin perperam efferret Vniuersale putandum, quod, *in quouis, & primo monstretur*, talis uero est affectio cum de proprio subiecto affirmant. Ergo probe alias ponimus, tribus Vniuersale comprehendi, scilicet uel si finitio de finito, uel proxima differentia de Specie, uel affectio de proprio subiecto dicitur.

Ratio aduersa deletur.

Cont.38. *OPORTET autem non latere quod sæpe contingit, vt peccemus, & non sit id, quod monstratur Vniuersale primum, vt videtur monstrari Vniuersale primum. Ob erramus autem hac deceptione, cum vel nihil sit accipere superius præter singulare, vel sit quidem, sed nomine careat in rebus specie differentibus.* Cont.39. *Vel sit, vt totum in parte id, in quo monstratur, partibus enim aptabitur quidem demonstratio, & erit de Omni, attamen non erit demonstratio huius primi Vniuersalis. Dico autem huius primi quatenus huius demonstrationem, quando sit primi Vniuersalis. Si quis igitur monstraret, quod rectæ non coincidunt, videretur quidem huius esse proprie demonstratio, eo quod in omnibus est rectis; Non est autem; Si quidem non quia sic æquales sunt fit hoc, sed quatenus quomodocunque æquales.* Cont.40. *Et si Triangulum non esset aliud, quam æquicrus, quatenus est æquicrus videretur vtique inesse. Et proportionale, quod commutatim dicitur, quatenus numeri, & quatenus lineæ, & quatenus solida, & quatenus tempora; quemadmodum monstrabatur aliquando seorsum, contingit sane de omnibus vnica demonstratione monstrari: sed quia non sunt hæc omnia vnum quiddam nominatum, numeri, li-*

nae ; tempora , solida , & specie differunt inuicem , seorsum accipiebantur . Nunc autem vniuersaliter monstratur ; Non enim quatenus lineae , vel quatenus numeri inerat , sed quatenus hoc , quod Vniuersale supponunt esse . Propter hoc si aliquis Cont.41. *monstrauerit de quolibet Triangulo , vel vna demonstratione , vel pluribus , quod duos rectos habet vnumquodque , aequilaterum seorsum , & scalenum , & aequicrus , non dum nouit Triangulum duobus rectis aequales habere nisi sophistico modo , neque vniuersaliter Triangulum , etiam si nullum est praeter haec Triangulum aliud . Non enim quatenus Triangulum est nouit ; neque omne Triangulum , nisi secundum numerum , secundum formam vero non omne , & si nullum est , quod non nouit . Quando igitur non nouit vniuersaliter , & quando nouit simpliciter ?* Cont.42. *Manifestum sane est , quod si idem esset Triangulo esse , & aequilatero , aut vnicuique , aut omnibus : si vero non idem sed aliud , inest autem quatenus est Triangulum , non nouit . Vtrum vero quatenus est Triangulum , an quatenus est* Cont.43. *aequicrus inest ? & quando secundum hoc inest primum , & vniuersaliter cuius demonstratio ? Manifestum quod quando ablatis inerit primo , vt aequicruri aeneo Triangulo inerunt duo recti , sed & ablato , quod sit aeneum , & quod sit aequicrus ; at non figura aut termino , sed non primis . Quo igitur primo? Si quidem Triangulo secundum hoc & aliis inerit , et huius Vniuersalis est demonstratio.*

PRAELECTIO XXIV.

QVO PACTO CIRCA VNIVERSALE prædicatum ſit error, quoue pacto liberemur aperiens.

Connexio. POST alicuius rei tractationem id Philoſophus retinens ut errores aperiat, quæ poſſent in rem cadere, modo notatu occurrant, hoc idem in præſentia tuetur. Nam cum antea dixiſſet Oſtenſionis concluſionem ad Vniuerſale ſpectare, hic totus ſe occupat, ut declaret quod modis circa ipſum erremus, qua uia ab omnibus uindicamur. *Inſtitutum.* Sic uero diligenter præſtat, ut nihil remaneat optandum. Contextus in quatuor partes diuiditur. *Diuiſio.* Et quidem in prima errandi modos ſignat. In altera tres errores proponit. In Tertia illuſtrat exemplis. In ultima Regulam ponit, qua dignoſcatur quod ſubiecto uniuerſaliter competat. *Expoſitio.* Quod attinet ad primam partem miſſis pluribus, quæ ſolent afferri tanquam ſatis ab alijs excuſſis illam ſententiam probamus, quam præſertim Themiſtius effert aiens binos errandi modos tradi. *Errandi modus duplex.* Nam uel uniuerſalis concluſio Oſtenditur, nec uniuerſalem credimus, uel certe quamuis non Oſtenditur uniuerſalis, tamen ut uniuerſalem tenemus. Quæ duo ſignificat, *ſæpe contingit vt peccemus, nec ſit id, quod monſtratur Vniuerſale primum vt videtur monſtrari Vniuerſale primum*; id eſt nihil prohibet quin primum Vniuerſale monſtrantes, non ſic apprehendamus ſicut in ſe conſiſtit, quomodo duo errandi modi, ex duplici iudicio manant, quod praue ſit de concluſionis prædicato. Primus exiſtit cum haud creditur ſubiecto uniuerſaliter competere, licet uere competat. Alter uero dum firmiter credimus, at illi non competit. Ad primum primus error; ad alterum Secundus, ac Tertius ſpectant. *Primus error.* Tunc autem primus fiet, *cum nihil ſit ſuperius ſumere præter ſingulare*. Nam cum poſſit eſſe vt nulla natura ſupra ſingulare ſe dedat, nos facile labemur dicentes non uniuerſaliter conuenire, cui perfecte conuenit. Decet de Eclipſi cernere ſi reſpectu Lunæ accipitur, quo caſu ut unum indiuiduum habet, ſic uix appa-

ret

ret qua via vniuersale ponat, tanquam id, cuius natura videtur esse vt de pluribus dicatur. Quæ omnia desinunt attendendo indiuiduum cum hanc naturam pluribus accidentibus restrictam, & propriam redditam, tum quoque simpliciter notare nulli ex se addictam; ob quam rem licet primo modo prædicatum haud vniuersaliter competat, tamen altero est dandum. Ergo si hoc pacto Ostensio fiat, erit de Vniuersali prædicato, quamuis non Vniuersale putetur, ex singularium defectu, quibus ipsum legimus. Atque hæc de primo errore. Alius error existit dum comprehendimus superius genus dari, sub quo plures sunt species, at quia, *in rebus specie differentibus caret nomine*, creditur probe factum omnes species sumere, quæ generi æquipollent, & de illis generis affectionem, sit e vna Ostensione, siue pluribus monstrare, aientes vniuersaliter monstrasse, hoc autem esset falsum, nam quamuis omnes simul secundum materiam, ac ex parte ambitus æquentur, tamen haud in ordine ad formam, & ratione naturæ accidit; quod ex eo relucet quia species sic in determinato esse a proprijs differentijs pendent, vt nil genus communicet; contra vero genus nil a speciebus pro sui substantia quęrat, quod affectiones indicant, quæ a generis natura fluunt. Si quidem eo pacto ad specierum naturas habent, vt nullum internum nexum gerant, nec etiam æe specierum cum natura generis. Quanquam minus accipimus velut quouis modo sumatur, sed illo pacto, vt species qua talis, id est ex propria essentia, quam solum forma præbet. Quod vero sint innominata genera Septimo Metaphys. habetur, textu 28. quo loco affirmat proximum genus ad equum, & asinum nomen non inuenisse, quare eius affectionem de his speciebus, quasi vniuersaliter monstrando, ad secundum errorem pertinet. Tertius error consistit si vocem, *Vniuersale*, exponant tanquam idem innuat, ac de omni subiecto dici ratione superioris, ob quam rem putemus tunc vniuersaliter monstrasse, cum generis affectio fuerit de specie ostensa, illa maxime de causa quia omnibus debetur, quæ sub specie manent. Sic interdum credetur sentiens, quod est animalis affectio homini deberi, quia omnibus singularibus hæret, quæ sub homine constant. At plane decipimur, sed dum partibus Ostensio aptatur, *erit quidem de Omni, tamen Ostensio huius primi Vniuersalis non erit*, nimirum pro vt talis, & secundum quatenus ipsum, quæ forma, & conditio existit. Sed si quis velit accommodare, tantum illo succedet, quia de Omni dictum continet, vt velut genus agnoscat, quo pacto nec

Secundus error.

Tertius error.

etiam

Totum duplex.

etiam erit primo Vniuersalis. At cum totum dupliciter sumatur, vno modo pro integrali, cuius partes integrantes vocant; alio vero pro essentiali, & potestatiuo, nec aliud indicat præter genus, cuius species solent partes dici, haud sane componentes, sed subiectiuæ, nempe quia sub eius ambitu manent; cum Philosophus inquit, *vel sit vt totum in parte id, in quo monstratur*, vltimum intelligimus. Eo vero totum in parte capitur, quia speciem in genus sumentes, cuius maxime est affectio, ei generis affectio datur. Atq; hæc de tribus erroribus sufficiant. Sed ne possit quid optari, exemplis illustremus. Et quidem Philosophum sectando, nec linquendo eius vestigia, si à Tertio ordimur, Euclides primo Element. Positione 28. monstrat quod cum super duas rectas alia recta cadens binos angulos fecerit eiusdem partis internos æquales duobus rectis, tunc illæ duæ rectæ nunquam concurrent, sed licet semper trahantur, tamen æque distabunt. Ex quo apparet nullam affectionem esse; nisi nunquam concurrere; primum autem subiectum, de quo monstratur duas rectas lineas sic ab alia recta secatas, vt internos angulos præstet eiusdem partis æquales duobus rectis. Verum est obseruandum quod cum id subiectum sit genus, etiam sub se species continet. Vna putatur dum super rectis sic recta cadit, vt angulos duobus æquales reddat, minus tamen rectos, sed alterum acutum, alterum obtusum, qui simul sumpti duobus rectis æquantur. Alia vero cum anguli sic sunt duobus rectis æquales, vt pariter sint recti. Philosophus hic haud primam, sed postremam designat, aiens ideo posse videri, *proprie dictam Ostensionem*, & Vniuersalis prædicati, *huius*, speciei esse, quia talis affectio, *in omnibus est rectis*, ab eis lineis ortis, at re vera non esse. *Nam haud quia sic sunt æquales*, duobus rectis, vt simul ambo sint recti, quasi a primo subiecto, *fit hoc*, nempe nunquam concurrere, sed potius ex eo, quia duobus rectis, *quomodolibet æquales*. quo pacto primum subiectum exprimimus. Quod pertinet ad Primum errorem, vt omnia succedant fingatur æquicrurum Trianguli indiuiduum, at Triangulum speciem esse, cui solum hoc indiuiduum adsit. Neque sane negocium præstet tanquam minus vero quadret, nec Triangulus species, sed genus, & æquicrurus non indiuiduum, sed Trianguli sit species, nam dedecet exempla rimari, vt ad viuum secentur, tantum illo distenta vt intentum declarent, quod in præsentia contingit. Ergo si nullum Trianguli indiuiduum præter æquicrurum adsit, & de eo monstretur tres æquales duobus rectis, posset quis censere illam affectionem,

nem,quæ Triangulo qua tali ineſt, & pro ut communem naturam notat, æquicruro vt æquicruro dandam, id eſt qua apparet indiuidua natura ; & hoc modo ob communis naturæ ignorantiam, cui maxime affectio conuenit,breui facto impinget,vt exiſtimet ſe vniuerſaliter de ſingulari monſtraſſe, quod vere ad ſpeciem pertinet. Quo ad Secundum errorem libet duo exempla afferre. Et quidem pro primo quatuor ſubiecta ſumamus. Primum ſit numerus; alterum vero linea,tertium corpus; poſtremum tempus. at commutata proportio loco affectionis, quæ vt clare pateat eſt attendendum inter duas quantitates habitudinem,proportionem,ac rationum ſimilitudinem dici. Sic octonarius reſpectu quaternarij duplam proportionem gerit;neque ſolum hoc, ſed etiam id nomen ad eam habitudinem penetrat, quæ inter horum habitudines manat. Et hæc comparatio ſic eſt in quatuor quantitatibus, vt recte in tribus fiat. Poteſt hoc comprehendi ſi dicamus vt octonarium ad quaternarium, ſic ſenarium ad ternarium habet; & ſicut octonarium ad quaternarium, ſic quaternarium ad binarium. Atque hinc renidet quid ſit commutata proportio, quæ tunc contingit dum quatuor ſumptis quantitatibus, quibus hæc proportio hæret, vt ſicut prima ad ſecundam,ſic tertia ad quartam habeat, nos commutatim comparando,& antecedentes conſequentibus conferendo,colligimus ſic primam ad tertiam habere, velut ſecunda ad quartam: ac ſicut prius diximus eandem rationem in octonario ad quaternarium, quæ in ſenario ad ternarium eſſe, pariter licet commutare eandem rationem in octonario ad ſenarium, quæ in quaternario ad ternarium eſſe. Hiſce in hunc modum prænotis ſi commutata proportio de ijs quatuor ſubiectis monſtratur, nimirum numero, linea,corpore, & tempore; nec quidem quouis pacto,ſed pro vt talibus, haud erit vniuerſalis Oſtenſio; quod ex eo probatur, quia primum eſt ſubiectum,in quo hæc ſimul concurrunt, minus in quo diſſident,quod dicta Oſtenſio præſtaret. Nam ſi de numero qua numero monſtramus,& ſecundum vltimam rationem, & vt a cæteris diſtat,tantum abeſt vt oſtenſio de communi formetur, in quo hæc ſubiecta conueniunt,vt nihil ipſum attendat, ſed ſolum qua inter ſe diſcrepant. At cum præſens exemplum verbis difficultatem claudat, nec ſatis Interpretes concordent, minus ab re exiſtet ſi diſtinctius tangitur quo pacto ſit vſurpandum. Et quidem miſſis pluribus,quæ ſolent ab aliis afferri,& forte a vero abſunt,& Philoſophi textum extorquent, dum ait, *& proportionale quod commuta-*

mutatim dicitur, &c. plane sic exponimus, & contingit commutatam proportionem, quam antiquitus numero qua tali, & lineæ, & solido dabant; & tempori ex propria ratione, per quam inuicem distant, *sicut aliquando seorsum monstrabatur*, nempe a priscis Mathematicis. Quo loco dictionem *seorsum*, non sumimus velut idem importet, ac primo de vna specie, mox de cæteris singillatim monstrasse, alioquin pro secundo errore declarando inadæquatum exemplum esset, qui vt antea diximus, & inferius splendescet cum de altero exemplo, tum diuisim ostendit, tum vero coniunctim de omnibus, quod tantum de vno communi deberet, sed eo modo vt propriam substantiam signet, quo pacto olim monstrabant. Nam quamuis nulla species restaret, sed affectio de omnibus siue vnica demonstratione, siue pluribus ostenderetur, tamen cum sic præstarent, vt species qua tales caperent, & ex parte differentiæ, quę a reliquis diuidit, seorsum monstrabatur, scilicet ut plures considerando. Contingit inquam commutatam proportionem vniuersaliter, *de omnibus vnica Ostensione monstrari, sed quia hæc omnia non sunt vnum quid nominatum, numeri, lineæ, tempora, solida*, id est, sed quia simul hęc omnia si assumunt in ordine ad differentias haud vnum nominatum constant; quem sensum particula innuit, *& specie differunt*; ipsi vero credebant affectionem propter differentias deberi, ob hanc rem in monstrando species, *seorsum sumebantur*, nempe secundum propriam naturam. *Nunc autem*, Philosophi temporibus, cum magis essent Scientiæ limatæ, *vniuersaliter demonstratur*. Et certe optima ratione. *Nam non quatenus lineæ, vel quatenus numeri inerat, sed quatenus hoc*, quod est vnum subiectum his omnibus commune; ac vt adhuc satis notum creditur, sic, *vniuersale supponunt esse*. Atque hanc putamus veram textus declarationem. Et quamuis statim durior videtur, tamen si parum notamus cum valde plana se effert; tum quoque Philosophi verbis apta. Quod si omnia minutim diuisimus, saltem venia debetur, quia in re ardua gessimus. At cum dictum exemplum sit obscurum, nec probe munus expleat, eo aliud prodeat nominati generis, per quod idem sit notum. Neque sane accipimus nominatum genus, quasi ad Secundum errorem spectet, cui solum competit genus innominatum, sed vt magis illustri exemplo, & clarius innominatum se exerat. Ac velut posito nominato apparet affectionem non vniuersaliter de speciebus, sed tantum de genere ostendi, sic cernimus de illo dicendum, quod nomine careat, & maxime

ad

ad ipsum spectare. Quæ cum ita se habeant, *si quis de quouis Triangulo monstrarit*, nimirum æquilatero, scaleno, & æquicruro, quæ omnes Trianguli species seruant, *vel vna demonstratione*, si sit de omnibus coniunctim ostensum, *vel pluribus*, si diuisim de singulis, quod habet tres æquales duobus rectis, per se de Triangulo non nouit, cui præsertim conuenit, ac proinde nec vniuersaliter. *sed tantum sophistico modo*, id est prout species, de quibus monstrauit ei per accidens iunguntur. Nam vt nullum Triangulum restet, de quo non fuerit ostensum, tamen cum non vt de Triangulo, ac ex propria conditione, dedecet asserere, *omne Triangulum*, nouisse, *nisi secundum numerum*, nempe qua de omnibus speciebus nouit, quæ sunt eius materia, *at secundum formam non omne*, quando haud ex propria natura. Ergo concludendum, *quod si idem esset Triangulo esse, & æquilatero*, vt in primo errandi modo, in quo inferius naturam diuersam a superiori non habet, tali casu affectio, quæ primum superiori inest, etiam posset de inferiori, & vniuersaliter cognosci. *Si vero non idem*, sed sint inter se diuersa, & inferius subiectum aliam substantiam, ac superius gerat, quod fit in altero errandi modo, tunc nequiret vniuersaliter nosci. Sed quamuis hæc omnia debent satis ad Vniuersalis notitiam videri, tamen cum excellens Ostensio, & Scientia maxime id velint, minus est quiescendum quod eius finitio, & errores patuerint, quæ facile prohibent; sed itidem tentandum vt via inclareat, per quam tute ambulantes, quam primum ad ipsum veniamus. Nam cum in vno subiecto plures naturæ adsint, arduum esset tenere num affectio ex vna, vel ex alia competat. Id Philosophus cernens talem Regulam affert primum subiectum a non primis noscendi, vt nihil dubitandum supersit. Ac vt omnia facilius cadant illud idem exemplum prodeat, quod adhuc fuit attactum. Et quidem si ad Triangulum vertimus est in eo habens terminum, figura, triangulum, æquicrurus, æneus æquicrurus. Primum vt genus ad Secundum, Secundum ad Tertium, Tertium ad Quartum, Quartum ad Quintum se habet. Modo est difficultas cui nam ex his, tres æquales habere, vniuersaliter inest, vtrum prout Triangulus, vel potius ex alia ratione. Ad quod asserimus primo affectionem dandam, in quo, licet reliqua desint, tamen si ipsum remanet, simul affectio inest. Sic in Triangulo patet, à quo Mentis opera, vel aliter tollentes, *quod æneum existat, vel quod sit æquicrurus*, modo restet Triangulum esse, pariter semper restabit tres æquales habere. Quod si ad figuræ, vel

termini ablationem ruit, id, *haud primis*, sed consequenter accidit, nimirum qua genere sublato, simul species recedit, a qua vere affectio pendet. Cuius rei indicium adest, quia quæuis alia figura desit, & Triangulum supersit, nunquam affectio desinet: id autem non fieret si præcipue hæreret, alioquin ad figuræ cessationem, itidem ipsa cessaret, vt de Triangulo cernimus, quo destructo licet figura superstet, statim affectio vanescit. Atque hinc Regulam deducimus superiori aduersam. Nam antea dicebat illi primo inesse, cui cæteris ablatis hæret: adhuc vero apparet primum subiectum censendum quo primo destructo, quam mox affectio demitur. Et ex his comprehendimus valde verum esse, quod passim testantur, ei vniuersaliter deberi quo posito ponitur, & sublato aufertur. Nam quamuis tres habere se gerat, vt ad figuræ desitionem desinat, tamen ad eiusdem non ponitur positionem, sed valet sine illo esse. Ac licet posito æneo, vel æquicruro hæc affectio consistat, tamen nihil adigit vt amotis recedat, quod non est
Dubitatio de Triangulo credendum, cui optime quadrant. Neque sane quis vacillet, tanquam id in ijs cernatur, quæ præsenti pendentia carent, velut de risiuo, & admiratiuo cadit, quæ inuicem sectantur, nec Subiecti rationem obtinent, sed sunt hominis accidentia: etenim debet accipi vt ex se stet subiectum, id autem
Solutio. nequit his attribui, quibus vt causæ ordo se effert, sic subiecti delitet.

Cont.44. *SI igitur est demonstratiua Scientia ex necessariis Principiis, quod enim scitur non potest aliter se habere: quæ autem sunt per se, ea sunt rebus necessaria: alia namque in eo, quod quid est insunt; aliis vero, quæ de subiectis prædicantur, ipsa subiecta in definitione insunt, quorum alterum oppositorum necessum est inesse; manifestum est ex talibus quibusdam esse demonstratiuum Syllogismum. Etenim omne quod inest, aut sic inest, aut secundum acci-*
Cont.45. *dens, at accidentia non sunt necessaria. Vel igitur sic dicendum, vel principium ponendum, quod Demonstratio necessarium est, atque si demonstratum est, non potest aliter se habere. Ex necessariis igitur oportet esse Syllogismum; ex veris namque est & non demonstrantem ratiocinari, ex necessariis autem non est nisi demonstrantem, hoc enim*
Cont.46. *iam Demonstrationis proprium est. Signum autem est quod Demonstratio ex necessariis constat, quoniam & instantias sic ferimus ad-*
uersus

uersus eos, qui existimant demonstrare, quod non est necessarium, siue existimemus omnino contingere, vt id aliter sese habeat, siue orationis gratia. Sed illud etiam ex his manifestum, quod fatui sunt illi, qui se existimant recte Principia accipere, si probabilis sit propositio, & vera, veluti Sophista, quod Scire est Scientiam habere; non enim quod probabile est, vel non probabile, est Principium, sed primum Generis, circa quod monstratur: & verum non omne est proprium. Cont. 47.

PRAELECTIO XXV.

DEMONSTRATIONEM EX ILLIS conflari, quæ per se sunt Ostendens.

CVM Philosophus ex Scientiæ finitione obseruasset omnia Ostensiua Principia sic debere necessitatem gerere, vt etiam maxime optet potissima Ostensio, ideo textu 28. sibi explicandam proposuit, minus quidem omnem, sed eam, quæ internis Principijs adhæret, tanquam ijs, quibus maxime Scientia pendet, at id non poterat succedere, nec perfecte attingi, nisi ex conditionum notitia, quæ in proprio esse ponunt. Nam tunc rem plene tenemus, cum eius interna possidemus. Et hæc ratio censetur cur a textu 29. ad 37. nullo fuit distentus, nisi tribus detegendis, nimirum de Omni, Per se, ac Vniuersale, quæ summam necessitatem gignunt. Quo facto denuo concludit ea necessaria esse, nec prorsus omnem necessitatem, sed illam insinuans, quæ Per se, & Quatenus ipsum existit, id est præstantem necessitatem. Contextus in tres partes diuiditur. Et quidem in prima demonstrat Ostensionem ex ijs, quæ per se insunt componi. In altera magis confirmat. In tertia quosdam reprehendit. Quod attinet ad primam partem sic ratiocinium habet, quæuis per se insunt, simul sunt necessaria, sed Ostensiua Scientia pendet ex necessarijs, Igitur, esset concludendum, Ostensiua Scientia pendet ex ijs, quæ per se inexistunt. Verum hanc deferens, statim aliam effert, quam præsertim intendebat. Nam cum textu 28. dixerit nullam ostensiuam Scientiam præ-

Connexio. *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.*

ter eam dari, *quam habemus eo quod Ostensionem habemus*, continuo infert, Igitur Ostensio est ex illis, quæ per se insideant. Maiorem propositionem designat, *quæ autem sunt per se, ea sunt rebus necessaria*. Decet eo cernere quia vel; *in eo quod quid est insunt*, & subiecti substantiam condunt, vt primus per se modus, vel, *aliis, quæ de subiectis dicuntur, subiecta in finitione insunt*, quod de secundo contingit. Atque hinc apparet nostræ Ostensionis Principia his per se dictis adesse. Ac licet reliqua sint necessaria, tamen haud sic expresse, vt in istis elucet, sed dum aliquid intelligimus vel subiecti naturam componere, vel in sui finitione sumere, etiam simul occurrit necessaria connexio, quæ non potest maior quam interna putari. Neque vero negocium præbet, quasi quædam secundi modi prædicata haud necessario conueniant, velut par, vel impar se habent, & quæ ex oppositione dicuntur; nam, vt alias attigimus, *oppositorum alterum necesse est inesse*. Minorem insinuat, *Si igitur est demonstratiua Scientia ex necessariis Principiis*. de cuius veritate licet valde pateat textu 28. tamen denuo declarat, probationem repetens, quæ fuit ibi tradita. Etenim cum conclusio, de qua Scientiam tenemus, nequeat aliter se habere, certe succedit nec posse Principia mutari, sed prorsus necessaria esse, tanquam illa, quæ Scientiam præbeant. Nisi vero sic dicatur, magnum esset absurdum, sic necessarium ex non necessarijs pendere; vt vna perfecte inclareat. Quare probe concluditur, manifeste patere, *ex talibus quibusdam ostensiuum Syllogismum esse*. Quæ verba quid nam maxime notent, curue sic fuerit loquutus, haud Interpretes concordant; cum præsertim ex vniuersalibus positionibus, etiam conclusio sit vniuersalis, quod in præsenti non præstat. Aliqui affirmant tali pacto deduxisse, vt significet nihil nos impellere vt credamus Ostensionis positiones vtrunque per se modum habere, sed interdum fieri vt tantum alterum seruent. At non est cur hanc expositionem sequamur, velut eam, quæ Philosophi progressum infirmat. Nam si omnia, quæ per se adhærent, nullam ob causam sunt necessaria, nisi quia vel subiectum ipsa sumit in finitione, vel contra subiectum sumunt, dum sic vsurpatur, continuo emerget dictæ rationis conclusionem haud plene a positionibus pendere, quæ solum primum, & secundum per se modum signant, nec necessario inferri Ostensionem cum ex his, tum vero ex Principijs strui, quæ sub cæteris prædicatis manent

Opinio quorundam.

Euersio.

manent. Ergo censemus sic conclusisse vt indicaret ad potissimam Ostensionem non omne per se dictum, quamuis sub primo, vel secundo residant, sed tantum quædam spectare, scilicet ea, quibus quatenus ipsum conuenit, quæ maxime per se vocat, & textu 36. aiebat idem ac quatenus ipsum esse. Sic generis de specie prædicatio, & generis affectionis recedunt, quæ vt quodam ex his sistant, tamen ab insigni Ostensione absunt. Et hac via renidet quam recte conclusionem legat. Nam si omnia, quæ insunt primis duobus per se modis, pariter necessario insunt, quid de ijs credetur, quæ sic eisdem modis hæreant, vt omnem contingentiam pellant? certe summam necessitatem claudent. Talia vero censentur, quæ ex propria competunt subiecti natura, & tantum ad Vniuersale prædicatum spectant. Præterea mirum artificium suspicimus, cum ex primi, ac secundi per se dicti necessitate in communi ad illam Principiorum transferat; nimirum vt sit notum quanta debeat esse necessitas in Ostensione, quæ nec omnem copulam recipit, quam inter finitionis partes, & finitum videmus, quamuis valde necessariam, & conspicuam. Sed cernens traditam rationem adhuc suspectam, nec a difficultate abesse, cum ex vtrisque affirmantibus, & in secunda figura constet, hoc autem fuit alias damnatum, & velut paralogismus explosum, iure post conclusionem subdit, *omne quod inest, uel sic inest*, nimirum per se, *uel per accidens*, qua via nihil dubitandum restat. Etenim si ea, quæ insunt quodam ex his duobus insunt, accidentia vero haud insunt necessario, plane succedit, solum quę per se insunt, modo adhuc attacto, necessario inesse; & contra quę necessario insunt, itidem per se inesse. Ex quibus elucet maiorem Syllogismi positionem, simpliciter conuerti, & rationem sic stare, vt sit potentia in prima figura, quo casu nunquam decet damnare, vel progressus spernere, cum breui ad primam se conferant. Quod si aliquis hic quærat, sic perfecte præstabit. Quęnis necessaria sunt rebus, etiam per se insunt, sed ostensiua Scientia ex necessariis pendet, Igitur ostensiua Scientia pendet ex ijs, quæ per se inexistunt. Quare Ostensio, per quam hanc Scientiam habemus, ex Principijs constabit, quę prorsus per se competunt. At quamuis hæc satis certa videntur, tamen haud ex Neotericis desunt, qui de Philosophi ratione vacillent, nempe vtrum sit plane tuta, an infirma censenda. Illud vero maxime inuitat, quando in Minori ait, ideo ostensiuam Scientiam ex necessariis esse, *quia id quod scitur*, & Conclusio, *non potest aliter se habere*,

Propria sententia.

Opinio quorundam.

habere. Nam si parum attendimus, minus probe ex couclusionis necessitate ad eam Principiorum itur, sed valde enitet ex non necessarijs Principijs necessariam conclusionem colligi. Ac velut in Prioribus monemur verum ex non veris deduci, sic nihil occurrit cur necessarium haud ex non necessarijs constet. Quod Philosophus cernens minorem cum conditione proponit, vt insinuet minus verum principium esse, sed interdum falsitatem gerere. Verum hanc opinionem haud valde tutam existimamus. Et quidem nulla de causa, nisi quia indignum creditur tam sæpe hunc Syllogismum efferre, id pro causa vsurpans, quod vere non est causa, cum non solum textu 28. sed etiam 44. & 51. ingerat. Ergo aliter tentantes cum Auerroe censemus hunc progressum sic ex propriis Principijs esse, vt nequeat alius dari, per quem magis firmetur. Etenim aduertimus minus rem agere quasi necessitatem in Principiis ob conclusionis necessitatem legat, quo modo isti contendunt, sed quia debet necessaria conclusio sciri, ideo infert Principia necessaria esse. Ex quo deprehenditur Principiorum necessitatem cum pendere ex conclusionis necessitate; tum ex eadem plene noscenda. Licet illo munire, quando textu 28. concludens Ostensionem ex necessariis strui, tali pacto considerat, vt Ostensiuam Scientiam, & conclusionem noscendam attendat. Et hac via Syllogismus ex positionibus erit, quæ potiores non habent. Nam dum in Principiis necessitas ob necessariam probatur conclusionem, ac vt ipsa distincte pateat, iam ex vera causa constat; atque adeo propria, cuius gratia fit Ostensio. Quamuis vero conditionem addat, nec minorem libere exprimat, tamen sic intelligit, tanquam per se apertam, quod etiam alibi præstitit. Et ne longius vagemur potest nobis comprehendi ex textu 9. qui valde nostro adhæret, & magnam affinitatem præfert: quo loco ex Scientiæ finitione quasi huius Artis principio Ostensionis conditiones promens, particulam conditionalem ponit, licet talem finitionem velut certam supponat. Idem textu 48. repetit. Rationis vim designat cum ait, vel sic dicendum esse, vt nihil dubitemus de prædicto Syllogismo, *vel principium ponendum quod Ostensio est necessarium*, atque adeo conclusio, quæ per Ostensionem venit. Nam ex veris, etiam non monstrans incedit, haud tamen ex necessarijs, sed illi debetur, qui Ostensionem exercet. Quæ cum ita se habeant refulget nullam viam potiorem dari, qua ex causa in Principijs necessitas monstretur, illa adhuc notata. Cæteras vero, quas ex-

Non probatur.

Auerroes.

primet, vel non sic per causam agent, vel in alio causæ genere. Atque hæc de prima ratione. Sequitur alia ratio ab indicio desumpta ad probandum, *quod Ostensio ex necessariis constat*. Quia si cum aliquo disserimus, & is credat conclusionem monstrasse, statim opponimus haud ex necessariis constare. Num ne vero putemus, *vel certe orationis gratia*, & respectu disserendi, prorsus nihil refert. Ergo omnes quasi certum supponunt Ostensioni necessaria Principia danda. Et ex his fit notum quam commune iudicium linquunt, *qui existimant recte Principia sumere*, si probabilis sit positio, vel certe vera, nihil amplius de necessitate curando. In hunc modum Sophistæ dicebant illam conclusionem ostendi, quod qui aliquam Scientiam tenet, simul etiam cognoscit quid sit Scientia. Sic autem ratiocinium pergit. Scientiam habere est noscere quid sit Scientia, sed, *scire est Scientiam habere*, Igitur Scire est noscere quid sit Scientia. In quo Syllogismo quamuis minor solum hic expressa, necessaria veritate pollet, tamen maior nihil tale præfert, sed tantum probabilitatem. Nam potest fieri vt quis Scientiam teneat, velut Mathematicam, nec tamen Scientiæ naturam, cum ad Metaphysicum, vel Logicum spectet. At probabile, vel non probabile minus debet Principium poni, *sed primum generis, circa quod monstratur*, nimirum subiecti finitio, tanquam illa, qua nihil prius generi, & subiecto, sed cætera per ipsam adsunt. Atque hinc succedit nec omne verum Principium esse, quod ex eo apparet, quia multa vera se offerunt, quæ nunquam propria existunt, sed illud verum, quod pariter est proprium. Et hac uia Ostensio ex ijs constabit, quæ conuersim se habent, ac maxime necessitatem gerunt. Illud tamen est obseruandum dictionem, *Sophystæ*, minus accipi, vt solum proprios Sophistas, nihil amplius attendat, sed tali pacto, vt omnes indicet, qui ex ijs per accidens tentant; in quem sensum tum Sophistas, tum quoque Dialecticos continet. Potest nobis deprehendi, quia primi haud ex probabilibus vel veris, sed illis decertant, quæ tantum apparentiam ostentant. Et ex his refulget quanti sit communis consensio æstimanda, cum Philosophus condamnet, ac Mentis inanes dicat, qui eam vel deserunt, vel contemnunt. Nam ut quidam ex Sapientibus errent, tamen nunquam in omnes cadit, sed Naturæ fines conseruando, probe verum attingent.

Secunda ratio.

Commune iudicium quantum præstet.

QVOD

Cont.48. QVOD autem ex necessariis oporteat esse Syllogismum, ex his quoque manifestum est; si enim is, qui non habet ipsius propter quid rationem, existente Demonstratione non est sciens; esse autem posset vt A. in C. ex necessitate insit, at B. medium, per quod demonstratum est non sit necessarium, non sciuit propter quid; non enim est hoc propter illud medium, nam hoc
Cont.49. potest non esse, conclusio vero est necessaria. Praeterea si aliquis non nouit nunc, habens rationem, & saluus, salua re, non oblitus, neque igitur prius nouit. Potest autem medium interisse si non est necessarium: quare habebit quidem rationem saluus, salua re, non autem nouit, neque igitur prius nouit. Si vero non interiit, contingit autem interire, id, quod accidit, esset vtique possibile, & contingens; sed est impossibile sic se se habentem scire. Quando quidem igitur conclusio necessaria sit, nihil prohibet medium non necessarium esse, per quod monstrata est, est enim necessarium & ex non necessariis ratiocinari,
Cont.50. quemadmodum & verum ex non veris. Quando autem medium necessarium est, conclusio quoque est necessaria: quemadmodum etiam ex veris verum semper colligitur. Sit enim A. de B. ex necessitate, & hoc de C. ergo necessarium est & A. ipsi C. inesse. Quando autem non necessaria sit conclusio, nec medium potest esse necessarium. Insit namq; A. in C. non ex necessitate, in B. vero ex necessitate, & hoc in C. ex necessitate, Igitur & A. in C. ex necessitate. At suppositum fuit
Cont. 51. non ex necessitate inesse. Quoniam igitur quod demonstratiue scitur, necessarium esse oportet, manifestum quod & per medium necessarium oportet habere Demonstrationem: Aut non sciet neq; propter quid, neq; quod sit necessarium illud esse: sed vel existimabit non sciens, si arbitretur esse necessarium, quod necessarium non est: vel neq; existimabit similiter, siue quod cognouerit per media, siue propter quid, & per imme-
Cont.52. diata. Accidentium autem, quae non per se insunt, quomodo determinata sunt illa, quae per se, non est Scientia demonstratiua; non enim est ex necessitate conclusionem monstrare: accidens namque contingit
Cont.53. non inesse, de tali enim dico accidente. Atqui dubitare fortasse quispiam posset cuius gratia haec oportet interrogare de his, si non est necessarium conclusionem esse. Perinde enim est ac si quis interrogatus quaecunque postea conclusionem dicat. Oportet autem interrogare, non tanquam necessarium sit propter illa, quae sunt interrogata, sed quoniam hoc dicere necessarium est illa dicenti, & vere dicere si illa
Cont.54. sint vera. Quoniam autem ex necessitate insunt circa vnumquodq; genus,

genus, quacunque per se insunt, & quatenus vnumquodque, manifestum est eorum, quæ per se sunt, & ex talibus esse scientiales Demonstrationes, accidentia enim non sunt necessaria. Quare non necesse est conclusionem cognoscere propter quid est, neque si semper esset, non per se autem, velut per signa Syllogismi. Quod enim per se est, non per se sciet, neque propter quid; propter quid autem scire est per causam scire. Propter ipsum igitur oportet & medium tertio, & primum medio inesse. Cont. 55.

PRAELECTIO XXVI.

IDEM STABILIRE prosequens.

QVAMVIS Principiorum necessitas valde ex præcedentibus pateat, tamen nihil deferens, quo hæc veritas clareat, in præsentia alias binas rationes adeo ingeniosas, ac certas adducit, vt dubitandi ansam præcidat. *Connexio.* *Institutum.* Contextus in Sex partes diuiditur. *Diuisio.* Et quidem in Primis duabus duo argumenta ponit. In tertia soluit dubitationem. In quarta explicat qualium conclusionum sint Ostensiones. In Quinta alteram dubitationem enodat. In Sexta illa epilogat, quæ fuerunt tractata. Quod attinet ad primam partem, *Expositio.* sic Tertia ratio se habet; Qui in monstranda conclusione rationem adhibet non continentem causam, nec eius Scientiam obtinet, sed noscens necessariam conclusionem per medium contingens adhibet rationem non continentem causam, Igitur noscens necessariam conclusionem per medium contingens haud eius Scientiam obtinet. Maior positio notatur, *Si enim is, qui non habet, &c.* cuius veritas ex Scientię finitione apparet. Minor ignotis terminis adest, *esse autem posset, &c.* Nam si A. ponitur necessario in C. esse, & per medium B. noscimus, id est non necessarium, sed contingens, iam talis ratio conflatur, quam vera causa deserit, ac proinde, *nec est hoc propter illud medium.* Licet autem videre, quia id, quod non est necessarium, interdum valet non esse, at conclusio vt accipitur, nunquam valet non esse, quare prorsus succedit, vt qui medio non necessario noscit, illam causam afferat, quę nequit

propria credi. Nisi vero sic dicimus, illud emerget vt haud in rerum natura extans, eius causa putetur, quod perpetuo existit; hoc autem est improbandum, nec potest effectus esse ni vera causa intersit. Sed vt Quarta ratio splendeat, quæ ad incommodum tendit, est obseruandum quatuor pro quauis Scientia quæri. Vnum est ipsum Sciens. Alterum ratio, & Ostensio. Tertium conclusio. Postremum memoria. Quæ omnia si adsunt, nunquam Scientia relinquit, sed illam semper tenemus. Quod si alterum deest, etiam simul recedit. Tum sic progressus se habet. Si necessaria conclusio posset medio non necessario nosci, tunc Scientia cessaret ijs quatuor manentibus, consequens est falsum, Igitur etiam conclusionem nosci medio non necessario. Maior positio apparet, quia ad medij destructionem, simul Scientia destruitur, quæ per id medium venit, *at potest medium interisse si non sit necessarium*, quare & Scientia ab hoc medio dependens. Et hoc pacto saluo sciente, memoria, re scita, ac ratiocinio, conclusionis notitia definit, quod supposito est aduersum. Neque sane quis contendat se scopulum vitare affirmando medium dum actu, haud dum non est actu sumi; Etenim possibili posito nullum debet absurdum sequi, at posito hoc medio corrumpi, quamuis actu non corrupto, *id quod accidit*, adhuc indicatum, *esset possibile, ac contingens*; hoc autem est absurdum, nec potest fieri, *ita sese habentem*, vt per medium non necessarium noscat, veram Scientiam tenere. Sed cum magna sit vis primæ rationis iam externo Sermone expressæ, ideo est tollendum, quæ quoquo modo oppugnant, duo simul addentes, quæ licet extra dubitationem, tamen valde ab erroribus soluunt. Et quidem minus deerunt, qui existiment haud satis firmum censendum ex conclusionis necessitate inferre necessitatem in Principijs, sed vt in Prioribus monebat, nihil prohibet quin non necessariis Principiis necessaria sit conclusio; prorsus illo modo, quo Principiis non veris, tamen verum assequimur. Vt huic difficultati satisfiat tres conclusiones ponit, postea solutionem. Quod ad primam pertinet si ex parte formæ

Prima conclusio. sumimus, quam in libris Priorum considerat, recte potest cadere, *medium non necessarium esse*, & conclusionem necessariam: quo pacto sicut verum a non veris, sic necessarium a non necessariis dependet. At dubitans ne aliquis crederet quod vt ex nō necessariis Principiis potest necessaria conclusio legi, sic contra non necessaria ex necessariis; atque necessaria Principia ex conclusione non

necef-

necessaria, iure alias binas proponit. Vna existit, velut ex veris positionibus haud decet aliud præter verum inferre, alioquin ratiocinandi forma non conferret Scientijs, sic ex necessarijs, tantum necessarium. Nam si A. necessario de B. dicitur, id vero eodem modo de C. sane contingit A. de B. necessario dici. Alia conclusio censetur, pósita non necessaria conclusione nequit se dare vt mediũ, & positiones ponantur, quibus necessitas insit. Licet nobis videre quia si A. in C. necessario adest, at in B. necessario A. & eodem mỏdo in C. B. ergo ex Secunda cõclusione A. in C. necessario aderit. Et hac via pro vt A. ex necessarijs manat, simul putabitur necessaria; quæ vero non necessariam ponimus, nõ necessaria credetur; ac proinde erit, & non erit necessaria: hoc autem succedit quia nõ necessariæ conclusionis medium necessarium dicimus. Quare magis tutum est censere ad positionem non necessariæ conclusionis, nunquam medium necessarium esse. Hisce in hunc modum prænotis ad difficultatem respondemus, *quod per medium necessarium oportet Ostensionem habere*: nec alia de causa nisi quia, vt fuit indicatum, conclusio Ostensione noscenda necessaria existit. Ac quãuis ex non necessarijs Principijs queat necessarium erui, tamẽ nequit plene sciri, *nec propter quid, nec quod sit necessariũ illud esse*, cum hæc vtraque ex necessarijs pendeant; hoc autem aduersatur potissimæ Ostensioni, tanquam ei, quæ vtrumque largitur. Quæ cum ita se habeant, qui non necessarium medium adhibet, &, *putat necessariũ esse, quod non est necessarium*, credet se conclusionem scire, tamen minus vere sciet: vel sic medio necessario noscit, vt non solũ quod, sed etiam propter quid teneat, nec putat tali medio noscere, nec pariter vnquam sciet. Quod postremum remur addidisse, vt primum validius firmaret. Missis vero pluribus expositionibus, quæ forte sensum infirmum reddunt, sic ratiocinium constat. Nam si necessarium medium sumens, nec credit necessarium esse, minus sciet, quid de illo dicetur, qui non necessarium accipit, & vult necessarium esse? certe longius à Scientia exulat. Quasi nobis designet, sic ægre Scientiam haberi, vt non solum contingens mediũ tradens non sciat, licet contendat se scire, sed nec etiam necessarium, si credit necessarium non esse. At cum textu 29. duo explicanda proponat; vnum existit ex quibus Principijs Ostensiones, alterum qualium sint conclusionum, videbatur requiri vt postquã primum declarasset, tandem ad secundum pergeret, quod in præsentia præstat. Et quamuis prius supponat necessitatem conclusio-

Altera conclusio.

Tertia conclusi-

Ratio.

nis, ex qua infert in Principiis necessitatem, tamen adhuc non expressit de qua necessitate intelligat, quod erat peragendum, vt in Principijs egit. Ideo vero paucis absoluit, illo satis quiescens si leuiter denotet, quia ex antea tactis patet. Quare sic progressus habet. Omne accidens sub Ostensionem cadens debet ex necessitate subiecto iungi, sed nullum accidens, quod non sit per se, ex necessitate iungitur, Igitur nullum accidens, quod non sit per se sub Ostensionem cadit. Maior propositio ob suam certitudinem supponitur, plane eo modo, quo conclusionē necessariam esse. Minor inde probatur, quia quod contingit non inesse, nunquam necessario nectitur, at accidens haud per se inhærens, *contingit non inesse*, nam licet accidentia occurrant, quæ nequeunt re diuidi, nec valent per se competere, tamen satis censetur, si ratio disiungat, subiectum absque iis contemplans, & cum opposito accidente; id autem iis non conuenit, quę per se inhęrent, sine quibus potest tute imaginari, scilicet subiectum abstrahendo, sed non ea de subiecto negando, alioquin repugnantia fiet. Ergo Ostensio, tantum dicetur accidentium, quæ per se inexistunt. At posset quis dubitare, quia Dialecticus circa probabilia versatur, atque adeo ea, quibus esse, & non esse contingit; quare si conclusio, in qua hæc sunt accidentia, haud necessaria erit, prorsus succeder, vt frustra aduersariū interroget, vt positiones dedat pro conclusione ostendenda. Nam siue interroget, siue non, vt conclusio necessitatem excludit, sic nec poterit necessario concludere, sed ita se habebit, *ac si quis quauis interrogatus, postea conclusionem dicat*. Respondetur aliam rei necessitatem, aliam illationis esse. Primam vocamus cum maius extremum sic minori insidet, vt quatenus ipsum competat, & necessaria est connexio; Alteram vero dum conclusio ex positionum nexu dependet tali pacto constructo; & hæc vltima quamuis positiones falsæ, vel contingentes existant, tamen si rite sunt dispositæ, probe in conclusione splendet. Ergo nunquam debet inanis putari interrogatio, haud sane vt ex illa rei necessitas, ac consequentis, sed vt illationis, & consequentiæ prodeat. Ac licet hæ positiones non inferant necessariam conclusionem, cum id a materia pendeat, tamen necessario inferunt, quod proprium est formæ. Quæ cum ita se habeant concludendum Ostensiones, solum circa conclusiones, & necessaria Principia versari, quę per se, & quatenus ipsum conueniunt. Nam si, *necessario insunt circa vnumquodque genus*, & subiectum, *quæuis per se insunt, & prout vnum*

Dubitatio

Solutio.

Necessitas duplex.

quodque, conclusio vero, & Principia insunt necessario, prorsus contingit,*eorum,quæ per se sunt,ac ex talibus ostensiones esse*.Quod si illa,quæ per accidens competunt,semper, & de omni competũt tamen haud necessitatem claudunt,nec valent monstrare necessariam conclusionem,tanquam eam,quæ perpetuo existat, at illa queant non esse,modo adhuc notato. Ac velut,*qui per signa Syllogismi fiunt*,Scientiam per causam non prębent,sic hæc accidentia nunquam ex causa conclusionem ostendent. Quo pacto, *quod per se est non per se sciet*,quia haud ex causa,a qua dependet.Hoc autẽ vitabitur si sic,*medium tertio*, id est minori extremo, *& primum medio*,adhæret,nempe maius extremum medio, vt per se copulentur.Et hac via per se conclusionem,pariter per se noscemus.

PRAELECTIO XXVII.

POTISSIMAE DEMONSTRATIONIS medium quærens.

PERARDVVM negocium, nec solum nostris temporibus, sed superioribus celebre, quod maxime testantur diuersi explicandi modi, in quos summi Viri abierunt. Nos, vt breuiter agatur,& satis muneri fiat,missis pluribus,quæ vel nauiter ab alijs,vel nihil rem nostram iuuant, tantum eos attingemus, qui Mentem exacuere, & quibunt verum largiri. Ac sane cum varia se dedant, id plurimum præpollet, vt quæramus,num illustris Ostensio,sic rem stricte gerat, vt semper in medio formam,& Subiecti finitionem, vel certe non desideret,sed queat sine ijs esse. Ex quo etiam patebit, quid sit de reliquis censendum. Quidam tantum abest, vt id velint, vt magnis lateribus contendant ex tribus causis posse, & genere distinctis effingi. Ac certe quo ad primam partem illud valde sustentat,si attendimus,nihil talis Ostensionis medium, pręter causam ponendam,per quam accidens existat, quod Philosophus testatur,dum Scientiam definit,nec sane quouis modo,sed simpliciter acceptam, at plura accidentia adsunt, quæ haud subiecti formam,& ipsam finitionem,sed alia accidentia, vt causas recognoscunt,& vere ab illis pendent; licet sæpius videre, sed præsertim

Opinio quorundam.

noſtris libris, cum ſic de luminis augmento, quod eſt Lunæ pertractat, vt ex sferica figura tanquam cauſa demonſtret, atque eiuſdem eclipſim ex terræ interpoſitu; necnon tonitrum de nube per ignis extinctionem; & de arboribus foliorum fluxum per humoris gelu. Sed ne aliquis vacillet, quaſi hæ non ad inſignem Oſtenſionem, ſed ad alias ſpectent, illud plurimum confirmat, quando ea eſt pręcellens Oſtenſio, quæ ſic rei ſcientiam tradit, vt nec amplius quærendum, nec ſit nobis cognoſcendum, ac proinde plenam cognitionem; tales decet illas credere, quas adhuc indicauimus: nam non ſolum Eclipſim eſſe, atque pariter alia, ſed etiam propter quid, & quid ſit expandunt, & finitionem præbent terminorum ſitu diſtinctam: quod ſimul in cæteris ſplendet, quę propter quid demonſtrant. Et quidem cum ſecundus liber talis ſit reputandus, vt cęterorum ſit finis, quæ ad Logicam pertinent, minus licet de alia, quam de Oſtenſione agere, quæ reliquarum eſt ſcopus. Immo ſi rem ipſam attente, & ad viuum relecemus, potius apparebit, paruam partem formæ, & definitioni dandam: nec reſpectu Oſtenſionis, plane aliud reſpicit præter maius extremum, illud vt cauſam attendens, & ad quod velut finem dirigit; at in ordine ad minus, & qua eius eſt quidditas, hoc per accidens continget, nimirum in quantum accidit, vt quod maioris eſt cauſa, ſit etiam minoris finitio. Quod attinet ad aliam partem, quę affirmat prętantis Oſtenſionis medium, probe ex tribus cauſis, & genere diſtinctis elici, nempe vel ex interno efficiente, quod per emanationem dicunt, quia haud vera actione, neque in rem externam, ſed metaphorica gerit, & in proprium ſubiectum; ob quam rem nec ſimpliciter efficiens, ſed cum appendice vocant; vel ex ipſo externo, quod abſolute eſt tale, & in externum exercet, veram actionem exerens; vel certe ex finali. Decet nos comprobare, quando quæuis accidentia, quæ ad Oſtenſionem ſpectant, ac eius viribus ſubſtant, vel ab interna cauſa, vel ab externa dependent, modo adhuc indicato; primum, efficiens notat, quod eodem eſt ſubiecto cum affectione; at poſtremum illud, quod penitus diſtincto, qua via tum verum efficiens, tum quoque finem comprehendit. *Reijcitur.* Verum hæc opinio, vt nobilem Oſtenſionem, & nobis, valde remotam, nimis in numerum agit, ſic nimis lubrica reputatur. Nam, vt recte Philoſophus, & nos alibi expoſuimus, noſtra hæc Demonſtratio, haud circa omne quæſitum, ac concluſionem, nec quouis modo verſatur, ſed ſolum circa ea, quibus quatenus ipſum

adſit,

adsit, idest prædicatum Subiecto ex Subiecti natura conuenit, illud absolute vestigans, & plenam notitiam dedens; quare per substantiam nóscendum; at neutrum ex his cadet, nec perpetuo constabit, sed magis Ostensionem ingerent, quæ, vt non perfectam causam, & quæ simpliciter gignit, sic nec perfectam scientiam, nec simpliciter præbebit. Licet facile videre, si parum ex nobis meditemur, nam sæpius continget, vt vel causa ponatur, quæ non sola ad effectum, vel non primo conueniat; quo casu nulla iam cognitio, nisi semiplena erumpet, atque aliquid exoptans, per quod animus quiescat. Neque sane quis contendat se scopulum vitare, affirmando vnius effectus vnam causam dari, cui primo id nomen competit; & a qua pēdet affectio, ac in omnibus verum esse, cæteris vero secundario, vt primæ famulantibus, ob quam rem nec ad Ostensionem facere, cum in illud incumbat, vt per prima incedat, atque adeo ea, quæ proxima existunt; etenim, vti olim tetigimus, & suis locis patebit, tantum abest vt sit verum, vt sæpe plures concurrāt & fere de possessu contendant; quare ab Ostēsione arcere, & quasi ineptas pellere, haud e Scientia erit, quæ maxime exposcit, vt per illa gradiamur, ex quibus res dependeat. Ac quamuis proxima causa, & effectui stet coniuncta, tamen cum alia absint nequit prorsus Mentem explere. Præterea textu 9. & 10. docuit, ad illustrem Ostensionem, sic principia requiri, vt debeant prima, & immediata esse, quo loco resplendet plurali numero efferre: nec quidem, vt aliqui testantur, quasi conditiones notet, quæ pro tota Scientia faciunt, & in pluribus sunt Ostensionibus, nempe in earum collectione: quod ex eo apparet, quando postquam dixit, Principia prima, & immediata esse, statim rationem edens ait, *quia nunquam sciet, ni ipsorum Ostensionem habeat*; quæ ratio haud de totius Sciētię qua talis, sed de cuiusque valet Ostensionis Principijs, etiā distinctim sumptis. Cuius amplum est indicium quod subdit, *illa scire, quorum Ostensio datur, est Ostensionem tenere*. At si medium ex tribus causis posset, & genere distinctis elici, id non perenne consisteret, sed sæpe minor se gereret, vt nec immediata, nec sit indemonstrabilis. Hoc idem Alexander Primo Metaphysicæ Comment. 10. testatur, inquiens potissimas Ostensiones dici, quæ non solum ex primis, sed etiam immediatis constant: minus vero perfectas, quæ proxime ab his pendent. At tales non possunt aliæ, præter illas esse, quæ minorem immediatam gerunt. Et ne aliquis crederet id temere proferri, statim rationem tradit: nam si est perfectior

Quorundam Euasio.

fectior cognitio,cum ex paucioribus depēdet,si hoc maxime contingit,dum sic prima Principia sectantur, vt magis sint proxima, certe illud erumpit,quod ad completam notitiam præstandam,tali pacto sumenda erunt,vt sint prorsusprima,&immediata.Demū tex.70.&166.docet inter apriori Ostensiones,magis exactam notitiam,&distinctam præbere,quę causam independentem habet, præsens vero Ostensio,cum simpliciter Scientiam quærat,pariter emergit,vt prorsus independentē optet;at ex horū sentētia haud necessarium erit,sed vt satis renidet,valet causa se dare,per quam esse mutuaret.Et hęc ratio censetur,cur Secundo Physic.tex.27.&38.monebat,semper summam causam quęrendam,quod simul de Generat.Animal.&Octauo Metaph.repetit,nimirum vt pateret,completam Scientiam ex hac causa oriri.Quod autem spectat ad rationes,quibus se tutos ostētant,certe haud tanti facimus,vt nos in idem inducant.Et quidem cum volunt,nihil talis Ostēsionis medium,pręter causam ponendū,per quam accidens existat, dicimus minus intelligi velut omnis possit causa facere,a qua accidens emanat,sed illo modo,vt prima indicetur,quæ maxime effectum generat,nec vllam Ostensionē recipit.Atq.hinc fit planū, cur vna affectio,dum in medio sumitur ad aliam affectionē monstrandam,haud præstantem Ostensionem conflat.Et quamuis nō liceat negare,plurima accidentia sic esse,vt causæ ordinem seruēt minus subiectionis,nempe qua accidentia,sed prout substantiam adumbrant,tamen non hæc tantum pendentia pollet,vt simpliciter Ostensio,sed solum ea ponatur,quæ ad quoddam genus pertineat. Quid vero sit de Ostensionibus censendum,quas antea notarunt,etsi partim ex traditis,partim ex tradendis splendescet,tamen ne hic aliquid exoptent,credimus haud primum locum, sed tantum quendam tenere;ac licet sferica figura proxima sit causa, cur Luna lumine augetur, licet statis temporibus accedat, licet eundem seruet tenorem,tamen ob aliquid superius, ex quo ipsa dependet, nec perfectam Ostensionem, nec plenam notitiam dabit,sed adhuc vestigabimus ipsius sferici causam;per quod deprehenditur,allatum effectū non ab vnico progressu, sed a pluribus attingi;at nostra Demonstratio tali pacto rē gerit,vt plane cęteras temnat,& suis viribus obtineat. Quæ autem de hoc diximus,decet ad alia transferre. Vbi vero addunt omnem propter quid Ostensionem,potissimam esse,cum omnes faciant simpliciter scire,& breui in finitionem vertantur, hoc prorsus denegamus;nam

Rationes aduersæ diluuntur.

haud

haud diſtincte affectionem promunt,nec finitionem concinnant, quæ rei naturam euoluit quod nos intendimus, ſed tantum illam qua quodammodo accidens pandatur.

PRAELECTIO XXVIII.

CIRCA EANDEM REM VERSANS, ET propriam Sententiam exponens.

QVARE alij dum hæc acriter rimantur, atque adeo obſeruant,quantum difficultatis lateat, etiam in illud deueniunt vt exiſtiment præſtantem Oſtenſionem, tantum ex forma,& Subiecti finitione, quaſi ex medio conſtitui.Licet autem effectus plures cauſas obtineat,per quas probe Oſtenſiones fient,&ad aliquē gradum ſpectabunt, tamen haud pariter omnes,ſed ſolum forma ſe geret, vt inſignem Oſtenſionē dedat.Poteſt itidē muniri,quando,vt antea vidimus, nihil aliud Scientia,niſi per cauſam cognitio, propter quam eſt, cenſetur; at ſi parum attendimus, & per omnia pergimus, minus quicquam apparet, cui tantum ſit tribuendum,ſed ſolum formæ reſeruabitur,tanquam illi,ex qua vere res conſiſtat;quare vel affectionis forma,vel Subiecti obtinebit;non prima,tum quia accidēs hanc non ſeruat a ſe diuerſam,ſed magis eſt ipſum forma a cauſis deriuans,tū vero quia in principio peteretur,quod alias notamus; ergo tantum ſecunda,quæ extra affectionem conſtat,atque ambo extrema definit.Verum hanc opinionem haud valde tutam exiſtimamus.Nam,vt etiam concedunt cū quibus adhuc geritur,Philoſophus,nullam Oſtenſionem,pręter illam ſignificat,qua ſimpliciter Scientia pendet,nimirum cognitio noſtram Mentem adimplens, vt nec amplius quærendum, nec quicquā ſit vacillandum, ſed aſſidue perduret:at ſi hoc pacto agamus,tantum abeſt vt hæc cadant,vt ſæpe nullum ſuccedat.Et quidem dum ad ea conuertimur,quæ in Natura conſiſtunt, tunc plurima occurrent, quibus ſumma connexio deeſt, nec aliquid prohibet, quin inter ſe diuidantur:in hunc modum ſe habet de pluribus effectis,quæ ſic cauſas recognoſcunt,vt crebro illas deſerant,ob quam rem haud animus quieſcit,ſed quaſi in incerto fluctuat.Libet etiā addere,quod cum Oſtenſio ſit ob finitionem, nec ab illa diſſideat,niſi termino-

Opinio quorundam.

Non probatur.

rum ordine; dum id afferamus, minus tute ipsum quid, nec prorsus apparebit, sed nihil impediet, quin aliter se habeat, vel ex pluribus consistat, quæ valde sunt damnanda, & ab ea pellenda Ostensione, cui primatum legamus. Pręter quam quod si plures causę, adsint, veluti isti concedunt, quę ad idem conueniant, vix emergit quanam possit fieri, vt vna adeo præponderet, vt simpliciter Scientiam pręstet, cum ad plenā cognitionem, & perfectā obtinendam illud requiratur, vt per omnia tendamus, ex quibus effectus pendet, quod frequēs Philosophus admonet; nec aliud sit notitia, nisi certa quædā expressio, & in Mente descriptio, quæ res ipsas repræsentet ab interitu immunes; at si sola forma gerit, vel perperam dixisset, tot conuocanda esse, vel tantum vna est causa, per quam effectus se effert. Neque forte ratio vrget, quam ipsi robustam putant. Sed si parum attendamus ad perfectam Scientiam, quam ibi solum definit, illud maxime requirit, vt perennis sit necessitas, id autem non fiet, si horū placitis subscribimus, sed potius continget, vt nec completa notitia, nec æterna intrudatur, quæ omnia ex dictis renident. Ergo aliqui vnam viam cogitarunt, quā satis tutam affirmant. Et quidē illud ponentes, rite ex Philosopho notatum, Ostensionem non solum ad potestatem, & aptitudinem, sed vna ad actum spectare, sic cernimus aliud esse monstrare hominem risiuum, aliud vero ridere; primo modo aptitudo, altero actus probatur; affirmant præstantem Ostensionem minus vltimū, sed primum intueri, nec certe quauis ratione, sed tantum per formam incedēdo, & subiecti finitionem tanquam illa, quibus vere potestas pendet; etenim si ad actū vertamus, vti magis à substantia, & subiecti natura recedit, ac per potestatē adest, sic potius alia agnoscit, quæ plus entis conseruant; at aptitudo cum immediate Subiecto, tum quoque ex sola forma inest. Verum hic etiam occurrit, quod minus nostram Mentem, liberet, sed valde constrictam detineat. Et quidem Philosophus 3. de Anima textu 60. rationem vestigans, cur Animal sensu sit præditum, inquit ideo fieri, vt finem consequatur; at simul aderat animalis forma, quæ vt causa se habet, ex qua potentiæ emanant, & rite posset adduci, tamen hac ommissa, finalem vsurpauit, quasi eam, quam præcipuā censebat. Quare cum potentia, semper actum respiciat, illum vt finem attendens, sic ex quidditate monstrabitur, vt itidem debeat ex fine; at nostra Ostensio, vti antea vidimus, vnam causam exposcit, atq; adeo talem, vt plenam notitiā gignat. Præterea Primo de

In contrarium allatum tollitur.

Altera opinio.

Euertitur.

Ortu

Ortu docet Materiam causam esse, cur res generentur, & Secundo eiusdem, præsertim tex. 51. nec non Septimo Metaph. cur queant generari, idẽ vero materiæ nomine, ac eius substantiam innuit, ergo natura, & finitio, sic potestatis est causa, vt pariter ad actũ pertingat. Quæ cum ita se habeant, nec aliorum dictis occurrat, quibus animus quiescat, nobis paucis tradetur, quod credimus conuenire. Illud vero sit primo fixum, illustrem Ostensionẽ haud de potentia, & aptitudine, sed de actu constitui. Sic allata confirmant, & Philosophus inuitat, dũ hic semper actuum meminit, ac circa eos versatur, nobis illã proponẽs. Nam asserere ideo præstari, quia magis sunt cogniti, ob quam rẽ magis conferre, vt id quod intendit assequatur, est nostrum munus fouere, qui censemus præsenti Ostensioni, tantũ illa reseruanda, quæ magis notitiam præferant, & plus Mentẽ adimpleant. Deinde summam connexionẽ, ac necessitatẽ optare, tali pacto suadent quæ de cõditionibus, & Principijs adducit; ex quibus apparet, nunquã inuicẽ diuelli, sed siue maius extremũ, siue minus, siue certe mediũ, semper omnia cohęrent. Ergo nec omnem formã excludimus, nec prorsus omnẽ recipimus, sed cum vel ad effectũ cõcurrant, vt nũquam solitarie; vel proprijs viribus attingant, nec alio indigeant, dum id probe fiat, etiam probe medium præbebunt, quod præstans Ostensio requirit, haud sane tanquam forma, cũ hæc ad materiam, & compositum dicatur, sed maxime quasi efficiens, a quo accidens emanat. Decet in Mathematicis cernere, quibus aliqua occurrunt, quę tale nomen vsurpant, nempe illustris Ostensionis, & nauiter tuentur, at in Physicis minus forsitan decet; quod Philosophus expressit 2. Metaph. tex. 16. asserens Mathematicam certitudinem non in omnibus quęrendam, sed in his, quæ materia careant, haud in naturalibus, cum tota Natura forte habeat materiã. Et hęc ratio existit, cur hoc libro in primis sumit mathematica exempla, cum hanc Ostensionẽ tradat: in altero vero, magis naturalia miscet, vbi minus nobilẽ. Neq; sane quis opponat ob primũ de Anima, quo loco affirmat, Animę notitiam propter certitudinem inter principes cognitiones stare: nam missa Auerrois distinctione, certitudo, quæ ibi, ἀκρίβεια, minus vnam notionem, sed triplicem suscipit: Et quidem primum idem significat, ac cognitio per propriam, & certam causam; deinde etiam addit temporis perennitatẽ, vt nec possit effectus impediri, sed semper cum causa consistat: vltimo præter hæc, illud pariter contendit, vt euidentia adsit, nempe propositiones, tum primam causam,

Propria Sententia.

Prima hypothesis.

Secunda hypothesis.

Nobilis Ostensio in Mathematicis fingitur.

Dubitatio.

Solutio.

& æternum effectum continentes, tum nobis euidentes; primū ad Animam spectat, cætera ad illa, quæ a materia absunt, ex qua contingentia pullulat. Quāquam minus accipimus, velut vltimum in omnibus se dedat, extra materiam positis, sed tātum in Mathematicis, quod Simplicius testatur. Quod si aliquis vacillet, quia Alexander in Proœmio Prior. & fere omnes Græci cōiter denegent, Mathematica cū vera Philosophia, & contemplante reponi, debet attendere, aliud esse magis perfectum Subiectum, & Principia rimari, aliud vero habere magis perfectas Ostensiones; licet Mathematicus nec tam excellens subiectum, nec tam egregia Principia seruet, sicut Naturalis, & Diuinus Philosophus; licet ex his primo nobilitas pendeat, vt vndecimo Metaph. Sum. 3. Cap. 1. ex quo inter inspectrices vltima tenet, tamen respectu Ostensionum, primum locum vsurpat.

Mathematica Disciplina quonam cæteris præstent.

Cont. 56. Cont. 58. *NON igitur licet ex alio genere transcendentem monstrare, vt Arithmeticæ id, quod Geometricum est. Tria namq; sunt in Demonstrationibus, Vnum quidem conclusio, quæ demonstratur hoc autem id, quod alicui generi, per se inest; aliud autem dignitates, dignitates autem sunt illæ, ex quibus, tertium genus ipsum subiectum, cuius affectiones, & per se accidentia declarat Demonstratio.* Cont. 58. *Ex quibus quidem igitur Demonstratio, contingit eadem esse, quorum autem genus aliud, quemadmodum Arithmeticæ, & Geometriæ, non licet Arithmeticam Demonstrationem ad ea aptare, quæ magnitudinibus accidunt, nisi magnitudines sint numeri. Hoc autem vt contingat in quibusdam postea dicetur. Arithmetica vero Demonstratio semper habet genus, circa quod est Demonstratio, & aliæ similiter.* Cont. 59. *Quare aut simpliciter necessum est idem esse genus, aut aliquo modo, si sit Demonstratio transferenda: aliter vero quod impossibile, manifestum: ex eodem enim genere necesse est extrema, & media esse.* Cont. 60. *Nanque si non per se, accidentia erunt. Propter hoc Geometriæ non licet monstrare contrariorum vnam esse Scientiam, sed neque duos cubos esse vnum cubum: neque alii Scientiæ id, quod est alterius nisi quæcunque ita se habent inter se, vt alterum sit sub altero, quemadmodum Prospectiua ad Geometriam se habent, & Musica ad Arithmeticam.* Cont. 61. *Neque si quid inest lineis non quatenus lineæ sunt, & quatenus ex Principiis propriis, vt an recta sit pulcherrima linearum, vel an sit contraria circulari; non enim quatenus proprium genus ipsorum est, sed quatenus commune aliquod.*

PRAE-

PRAELECTIO XXIX.

PRIMAM PRINCIPIORVM DEMONstrationis affectionem prodens.

RECTVS tractationis ordo requirit vt post alicuius substantiam perfecte cognitã, eodem modo noscamus affectiones, quæ à tali substantia dependent. Id Philosophus obseruans, post quam conditiones detexit, & essentiam Principiorum Ostensionis, statim proprietates aggreditur, quæ ab his Principijs emanant. Contextus in tres partes diuiditur. Et quidem in prima vnam affectionem insinuat. In altera quo pacto debet intelligi. In tertia exemplis illustrat. Quod attinet ad primam partem prima affectio se offert quod Principia sint Propria. At quia tunc continget, dum illa adhibentur, quæ nec ad aliam determinatam disciplinam, nec etiam ad plures spectent, merito hæc patefiant; quibus improbatis emerget propria Principia esse. Et sane primo firmabimus haud esse adhibenda aliena Principia, nec de vnius Scientiæ genere, ac subiecto in illud alterius pergendum; postea nec itidem communia. Vt autem appareat quo modo debet primum accipi, & pariter probetur, valde erit dispositum si ea numerentur, quæ Ostensio exposcit. Et hac via patebit ex distincta partium notatione, ad quam transitus pertinet, & quando debet præstari, quandoue haud debet. Ergo tria optat simpliciter Ostensio. Vnum ipsam conclusionem, cuius nomine affectionem signamus, tanquam illam, quæ, *alicui generi per se inest*. Alterum dignitates, & Principia, quibus conclusio monstratur. At vltimum, *subiectum Genus, cuius affectiones*, quæ nihil aliud censentur quam, *per se accidentia, Ostensio declarat*. Modo haud est absurdum putandum si interdum eadem Principia in distinctis Scientijs manent, & de vna ad aliam migrant, quod succedit cum subalternæ sunt Scientiæ, quo casu, vt inferius trademus, simul idem genus habent. Ideo vero sic asseritur, vt sit notum eam positionem, nempe non licere, *ex alio Genere transcendentem monstrare*, nunquam accipi cum idem subiectum splendet, sed tali pacto quorum, *Genus est aliud, vt Arithmetica, & Geometriæ*. Nam Arith-

Connexio. *Institutũ.* *Diuisio.* *Expositio.* *Tria perfecta Ostensio requirit.*

Arithmetica Ostensio nunquam aptatur ad magnitudinis affectiones, quæ subiectum cōstituit in Geometria, *nisi magnitudines sint numeri*, & vt numeri sumantur. Quæ verba vt prorsus innoteant, est attendendū sic affectiones esse, vt dupliciter subiecto hæreant; Vno modo primo, ac per se; Alio secundum proportionem. Sic dicimus numero per se parem, vel imparem deberi; at ex proportione magnitudini qua vt numerus capitur, quo modo est translatio ferenda. Nam vt affectio, maxime numero competit, sic nequibit ni per medium ostendi, quod sit ex eius natura ductum; sed velut ex similitudine magnitudini, sic medium aptabitur ex similitudine, ac proinde Arithmetica ostensione ostendemus. At cum possit trāsitus quadrupliciter sumi, primo solum ex parte subiecti, quod contingit dum subiectum de vna in aliam Scientiam transfertur; deinde tantum respectu medij, nimirum si de diuerso Scientiæ subiecto sic propriam affectionem monstramus, vt fiat per alterius Scientiæ medium; tertio medij, & affectionis, & succedit cum de diuerso subiecto tum alterius subiecti affectio, tum ex proprio noscitur affectioni medio; demum solius affectionis. Philosophus hic, tantum tres designat, nihil de primo addens, tanquam illo, qui in secundo consistit, simul nobis explicans haud quoquā ex his modis transitum dari. Neque vero credendum est incedere velut supponat cuiuis Scientiæ esse suum subiectum, sed tali pacto, vt quasi euidens sumat, omnem Scientiam subiectum habere, nihil amplius adiungens siue proprium, siue non existat. Decet exemplo cernere ex Arithmetica prompto; etenim inquit, *Arithmetica vero Ostensio semper genus obtinet, circa quod est Ostensio, et aliæ similiter.* Sic autē ratiocinium constat. Ostensionis medium, ac extrema debent eo modo seligi, vt eodem sint genere, & subiecto, sed si transitus de vno in aliud subiectum datur non succedet, Igitur est dicendū, nunquam sic transeundum esse. Maiorem positionem insinuat. *Nam ex eodem genere necesse est extrema, & medium esse.* Licet vero probare, quia Ostensio haud illa, quæ, *non sint per se*, & quatenus ipsū admittit, ac proinde nec terminos, quos nexus essentialis deserit, sed debent eandem naturam cum subiecto habere, qui si ad aliud traducuntur, plane accidentales erunt, nec ex propria substantia competent. Quare concludendū vt queat Ostensio transferri, vel simpliciter posſcere, *idem genus esse, vel quodāmodo*, idem, vti infra patebit. Ac vt distincte clareat, nec de Scientia in aliam migrare, quatuor exemplis illustremus, ex quibus nitescet quomodo sunt

Trāsitus quadruplex.

hæc sumẽda. Sed cũ possit trãsitus quadrupliciter capi, ideo prima duo ad illum medij, & subiecti pertinent, qui in altero constat; reliqua ad mediũ simul, & affectionem. Primum exemplum se offert si Geometra tentet monstrare cõclusionem, nimirum, *contrariorũ vnam esse Scientiam*, nunquam posset præstari, tanquã id, quod nõ solum ratione subiecti, sed etiã prædicati conuenit Metaphysico; nam contraria qua talia, & Sciẽtiam vt Scientiam Metaphysicus rimatur, ergo simul est noscenda medio metaphysico; at id nequit à Geometra fieri, qui tantum geometricum habet. Alterum est exemplum si vult Geometra ostendere, *duos cubos esse vnum cubũ*. Quæ conclusio dum in numeris sumitur ad Arithmeticũ spectat. Is vero est cubus numerus, qui ex bis ductu numeri in semet prodit. Vt autem satis pateat est obseruandũ cum numerus in se ipsum ducitur, qui ex tali ductu pendet quadratũ vocari, vt quater quatuor sexdecim facit; at hunc quadratum si in suam radicem quis ducat, id est toties multiplicet, quot radici vnitates insunt, velut quater sexdecim, statim sexaginta quatuor reddit, qui est cubus numerus. Quod si cubum in cubum multiplicet, siue id in se ipsũ, siue in alium præstet, statim cubum constituit. Ergo nihil aliud denotat duos cubos esse vnum cubum, nisi ex cubo per cubũ ducto fieri cubum. Verum hæc conclusio vt Arithmetico medio pendet, sic non licet Geometræ monstrare, qui per Geometricum pergit, prorsus illo modo, quo, *nec alii Scientiæ id, quod est alterius, ni quacunq; inuicem se habent, vt alterum sit sub altero, sicut Prospectiua ad Geometriam, & Musica habent ad Arithmeticam*. Tertium, & Quartum exemplum, quæ vt fuit indicatum, ad medium simul, & affectionem pertinent, ac proinde ad maiorem positionem, est si Geometra cum de lineis affectiones monstret, quæ illis minus cõpetunt, *secundum quod sunt lineæ*, quo pacto ad Geometriam spectant, tum quoq; haud, *ex propriis Principiis*, ac alterius Scientię. In hunc modum se habet cum dicimus rectam lineam omniũ linearum pulcherrimam, vel contrariam circulari esse; nam hęc non lineæ ex Geometrica ratione adsunt, vel qua sunt magnitudines, *sed pro vt quoddam cõmune*, seruant, quod Metaphysicus respicit, nimirum ipsum ens, cui tanquam affectiones debentur. Sed contra ea, quæ fuerunt indicata, non licere monstranti transitum facere nec etiam respectu medij, posset quis timere propter Octauum Physic. & 12. Metaphysicæ, quibus locis ex æterno motu Mouens immobile detegit, at motus æternus cum Physicis medius

Primum exemplum

Secundum exemplum

Tertium, & Quartum exemplum.

Dubitatio

diis ponitur. Sic ex eodẽ Octauo renidet, in quo de æterno motu agit. Et 12. Metaph. 43. ait in Physicis ostensum fuisse Cælũ æterno motu rotari. Quod vero Mouẽs immobile ad Metaphysicum spectet, decet varijs cernere, sed maxime tertio de Cęlo tex. 2. afferens quędã entiũ ingenita, & plane immobilia dari, magis alterius, ac prioris Sciẽtiæ, quã Physicæ esse. Et 13. Metaphysices initio testatur de Sensiliũ substãtia in Naturalibus dixisse, deinceps autẽ cõsiderandũ nunquid præter sensiles aliqua sit immobilis, ac æterna. Et hæc ratio existit cur hic text. 86. monet, interrogationẽ dupliciter Geometricã dici; primo modo quia in Principia resoluitur Geometriæ; alio vero quia de re geometrica quærit. Quare tantũ abest vt sit absurdũ si interdũ Ostẽsio cõflatur, quę ex parte medij sub vna Disciplina, at in ordine ad quæsitũ stet sub alia, vt potius

Opinio quorundam. sit de genere in genus pergẽdũ. Propter hãc rationẽ viri celebres contẽdunt nihil impedire, quin a posteriori Ostensio sic quandoq; incedat, vt mediũ vsurpet, quod ad diversũ genus spectet, quã res, quæ monstratur: id vero non valere in a priori Ostensione, quã in

Refellitur. pręsentia explicat. Verum hanc respõsionẽ haud valde tutam existimamus. Nam licet quę hic traduntur Ostensionem ex causa respiciant, tamen ratio, quam adducit, simul ad illam penetrat, quæ per effectum procedit. Potest id comprehendi ex textu 59. quo loco post quã dixit medium, ac extrema ex eodem genere sumi, statim rationem promit, quia debent necessario per se esse: at hæc ratio cum Propter quid Ostensionẽ, tum quoq; ab effectu continet, tanquã illam, quæ ex per se positionibus pendet, quę nequeũt

Propria sententia. accipi, nisi eius termini sub eodẽ sint genere. Quare censemus nec æternum motũ, nec Mouens immobile, quo pacto Naturalis monstrat, Physicos limites excedere, sed tam medium terminum, quã quæsitum eiusdẽ contemplationis esse. Nam cum Ostensionis vis stet in medio, rite decet inferre in illa Scientia, quod ostenditur includi, in qua ipsum mediũ, & Ostensio. Id autem fit notũ ex textu 58. vbi docet, *Arithmeticam ostensionẽ non posse aptari ad accidẽtia magnitudinibus.* quo loco tantum ex medio arithmeticã, haud ex quæsito vocat. Ni vero sic dicatur, praue hoc nomine signasset, sed magis illo extremorum est præstandum. Et textu 60. inquit non licere Geometræ monstrare contrariorum vnam esse Scientiam, ex quo apparet Ostensionẽ vni Disciplinæ dandam, quia per eius medium formatur. Sed expresse Primo Rhetor. Cap. 2. docet Ostensionem ad eandem Scientiam, ad quam ipsum medium specta-

ſpectare. Neque ſane moleſtiam præbet quia Tertio de Cœlo, & 13. Metaphyſicæ, nec non alijs in locis teſtatur ſubſtantiam immobilem quantum ad an ſit prioris eſſe Scientiæ quam Phyſicæ, ex quo conficiunt nec alteri muneri, niſi Metaphyſico ſupponi; Nam immobilis Subſtantia dupliciter ſumitur; vno modo quaſi ſic ſubſtantiam notet, vt cum ſola motus negatione; alio vero tanquam eandem cum excellentia, & nobilitate; quæ diſtinctio in quiete relucet. Nam hæc in termino a quo, maxime motus negationem; at in illo ad quem, habitum inſinuat. Ergo dum aiunt. Mouens immobile a Primo Philoſopho noſci, ſecundo modo concedimus, quod ex eo apparet, quia eius ſubſtantiam rimatur; at primo Naturali damus, cum debeat ex motu rudem notitiam tenere. Libet quoque addere, vel in ordine ad confuſam notitiam, vel reſpectu diſtinctæ accipi; primo pacto ad Phyſicum pertinet, altero vero ad Metaphyſicum. Ac certe cum primum ſatis ſit apertum, vltimum deducimus, quando poſt quam 13. Metaphyſices dixit perquirendum eſſe numne Subſtantia adſit, cui immobile, & æternum competat, continuo ſubdit, & ſi hæc Subſtantia ſe effert, etiam videndum quæ nam ſit. Quibus verbis enitet minus quoduis an ſit, nec quouis modo ſumptum, ſed tantum id tradere, quod non poteſt dignoſci, niſi quæ nam res ſit dignoſcitur, id eſt eius conditiones, & ſubſtantia, ex quibus perfecte an ſit patet. Quod autem addunt textu 86. habere non ſolum dici geometricam interrogationem quia in Principia reſoluitur Geometriæ, ſed etiam quia formatur de re geometrica, prorſus id negamus. Etenim tantum docet geometricas eſſe interrogationes, quibus vel concluſio ad Geometriam ſpectans, vel ſaltem ea monſtratur, quę ſub Geometria manet, nec aliam deſignat, præter ſubalternæ Scientiæ, quæ ex eiſdem Principijs, ex quibus geometrica pendet. Quod vero ſic textus ſit exponendus exemplum declarat, quod de Proſpectiua tradit, quę Geometrię ſubalternatur.

In contrarium adductis occurritur.

Immobilis ſubſtantia duplici ratione vſurpatur.

Quo pacto Mouens immobile primus Philoſophus, & Naturalis conſiderent.

Cont.62. MANIFESTVM autem etiam est, si fuerint propositiones, ex quibus est Syllogismus vniuersales, quod necesse est conclusionem perpetuam esse talis Demonstrationis. Et vt simpliciter dicam Demonstrationis. Non est igitur Demonstratio corruptibilium, nec Scientia simpliciter, sed ita, sicut secundum
Cont.63. accidens, quoniam non vniuersaliter ipsius est sed aliquando, & quodammodo. Quando autem fit eiusmodi, necesse est alteram non vniuersalem esse propositionem, & corruptibilem; corruptibilem quidem, quoniam erit & conclusio existente propositione; non vniuersalem autem, quia hoc quidem erit, hoc autem non erit, in quibus; quare non est ratiocinari vniuersaliter. sed quod nunc. Formas igitur esse, vel vnum aliquod præter multa non est necessarium, si debet existere Demonstratio. Necessarium quidem est verum dicere quod sit vnum de multis, non erit enim uniuersale, nisi hoc sit: nisi autem uniuersale sit, medium non erit, quare nec Demonstratio. Oportet itaque aliquid vnum, & idem in multis esse non æquiuocum. Similiter autem se se habet in definitio-
Cont.64. Cont.65. nibus; quoniam definitio aut est principium Demonstrationis, aut Demonstratio positione differens aut Conclusio quædam Demonstrationis. Demonstrationes autem, & Scientiæ eorum, quæ sæpe fiunt, vt Eclipsis Lunæ, manifestum est, quod quatenus tales sunt, semper sunt; quatenus autem non semper. secundum partem sunt. Quemadmodum
Cont. 66. autem eclipsis. similiter & in aliis se habet. Quoniam autem manifestum, si id, quod demonstratur inest quatenus ipsum, non esse demonstrandum vnumquodque, nisi ex vniuscuiusque Principiis. Igitur si etiam ex veris, & indemonstrabilibus, & immediatis monstratum sit hoc non est Scire, est enim sic monstrare, quemadmodum Briso qua-
Cont.67. draturam. Etenim secundum commune monstrant tales rationes, quod & alteri inerit: ob id etiam aliis, quæ eiusdem generis non sunt aptantur rationes. Igitur non quatenus illud scit, sed secundum acci-
Cont.68. dens; non enim alii quoque generi aptaretur Demonstratio. Vnumquodque autem scimus non secundum accidens, quando secundum illud cognoscamus, secundum quod inest ex Principiis illius quatenus illud; vt duobus rectis æquales habere, cui inest per se, quod dictum
Cont.69. est, ex Principiis huius. Quare si per se & illud inest, cui inest, necesse est medium in eadem cognatione esse. Si vero non, sed quemadmodum res Musicæ per Arithmeticam; talia vero monstrantur quidem similiter; differunt autem, quoniam ipsum quod alterius est Scientiæ, subiectum nanque genus alterum: ipsum autem propter quid superioris, cuius per se sunt affectiones. Quare ex his quoque manifestum

non

non licere vnumquodque demonstrare simpliciter, nisi ex propriis Principiis; sed horum Principia habent commune. Si vero manifestum est hoc, manifestum etiam est non licere propria cuiusque Principia demonstrare, erunt enim illa omnium Principia, & eorum Scientia domina omnium; etenim ille magis scit, qui ex superioribus causis nouit; ex prioribus enim nouit, quando ex non effectis causis nouerit. Quare si magis nouit, & maxime, Scientia quoque illa, si daretur, & magis, & maxime Scientia esset: Demonstratio autem non aptatur ad aliud genus, nisi, vt dictum est, Geometricæ ad Prospectiuas, vel Mechanicas, & Arithmeticæ ad Musicas. Cont. 70. Cont. 71.

PRAELECTIO XXX.

CONCLVSIONEM VNIVERSALEM, ET *æternam esse ostendens; & vna finitionem de vniuersalibus, & æternis: nec non ad initio propositum rediens: atque aliam Principiorum Demonstrationis affectionem promens.*

POST quam Philosophus ex vniuersalibus Principijs detexit haud esse de subiecto in subiectum pergendum, nec extraneis Principijs vtendum, statim tractatum interrumpit; nam cum altera conclusio succedat, nempe non esse adhibenda Principia communia, antea quam proponat, ex eisdem vniuersalibus Principijs vniuersitatem monstrat & perpetuitatem in conclusione: ob quam rem emergit, quæ interitui sunt obnoxia nec Ostensione, nec perfecta Scientia attingi, sed a vera notitia errare. At quamuis id satis sit conspicuum, tamen cur in præsentia præstet, nihil Interpretes ferunt, quod nobis comprobetur, nec quicquam adhuc subuenit, quod plene veritatem præferat. Quare in Sententiam labimur affirmantium a textu 62. ad 66. haud recte seriem stare, sed hos textus alibi Locandos. Ideo vero magis credimus, quia sic Themistius contendit, vt etiam alio transferat. Sed cum parum disposite, vt facile apparet, eius vestigia linquemus. Licet autem occurrant, quæ forte præsen

tibus quadrarent, tamen, ne nimis probabilibus fauentes, veritas offendatur, etiam ijs abstinebimus, tantum illo contenti si reni-

Diuisio. dat, quæ his textibus habentur. Contextus in Sex partes diuiditur. Et quidem in prima vnum de conclusione firmat. In altera dubitationem soluit. In tertia idem confirmat de finitione. In quarta aliam dubitationem soluit. In quinta ad id redit, quod initio proposuit. In vltima aliam indicat affectionem de Principijs.

Expositio. Quod attinet ad primam partem, sic munitur conclusionem æternam esse. Vbi sunt vniuersalia Principia, simul est conclusio vniuersalis, sed insignis Ostensionis principia sunt vniuersalia, igitur conclusio vniuersalis, & perpetua. Maiorem positionem non exprimit. Minorem, & conclusionem notat, *Manifestum autem si positiones, &c.* Eo vero in conclusione addit, *perpetuam*, vt significet non quoduis vniuersale ad perfectam Scientiam facere, sed solum illud, quod vna est perenne. Ergo cum ijs, quæ interitum subeunt, ac singularibus, minus hæc conueniant, plane contingit nec posse Scientia comprehendi. Quod si aliquo pacto adsit, sic tantum accedet, *vt secundum accidens fiat.* Nam dum singularia qua talia no scimus, nec de suo toto, & primo subiecto, sed tantum, *quodam modo*, noscimus, id est de illius partibus, nec etiam semper, cum valeant non esse, sed, *aliquando*, nimirum donec consistunt; quæ duo si desint, vna dictum de Omni deest, a quo nequit necessitas abesse, ac proinde nec perfecta Scientia, quæ perfectam necessitatem poscit. Quod vero ex vniuersalibus Principijs conclusio vniuersalis, & æterna prodeat, illo deprehenditur, quia si singularem, ac corruptibilem ponimus, itidem, *est necesse alteram positionem non vniuersalem esse*, sed cum sic sit gerendum, vt conclusionis subiectum debeat prius pro subiecto in minori sumi, nisi vniuersale, & æternum existat, nec tale illud minoris credetur; quo pacto, *haud est vniuersaliter ratiocinari, sed quod nunc*; hoc autem est absurdum, tanquam id, quod tum hypothesi aduersetur, quę erat Ostensionis principia vniuersalia esse, tum quoque antea stabilitis, quibus

Dubitatio idem fuit detectum. At cernens Philosophus posse aliquem inferre Platonis vniuersalia admitti; nam si Scientia ad ea non penetrat, quæ desinunt, sed solum circa æterna versatur, certe nihil præter Ideas se effert, quæ a singularibus liberæ, perpetuo consistunt. Ideo occurrit, nec quidem ad viuum resecans, sed quantum satis apparet pro Ostensione tuenda, ac vt Scientiam seruet modo prius notato: libris vero Metaphys. vti propria sede, sic omnia

pen-

penduntur, ut nihil dubitationibus restet. Igitur dicimus tale uniuersale non requiri, sed tantum illud, quod in multis inhæret, & nullum est aliud, nisi natura in singularibus dispersa, quæ cum sit æterna, & potentia vniuersalis, Mentis beneficio fit actu vniuersale; ex quo postea medium, & Ostensio conflatur, quæ non valet esse, nisi ex Principijs, & de conclusione vniuersalibus. Libet etiam addere adeo distare vt Ideæ Scientiam foueant, vt verius turpiter euertant. Nam cum singularia ad interitum ruant, eo ad vniuersale confugimus, vt quasi in Archetypo omnia singularia pateant, at id nequeunt præstare abstractæ formæ, quæ vt nil cum singularibus communicant, & ab eis longissime distant, sic vix occurrit quo pacto illa referant. Quare concludendum vt Scientia succedat, oportere, *aliquid vnum, & idem in multis esse non æquiuocum*; talis vero censetur natura vniuersalis singularibus latens. Et ex his fit notum Ostensionem, circa quam hic versamur, illo modo habere, vt non solum ex ijs, sed etiam de ijs constet, quæ secundum vniuocum competunt. Ac quamuis minus perfecta Ostensio, atque adeo Secundi ordinis, possit de naturis ab vno fingi, tamen Primi gradus, & simpliciter talis, haud potest. Neque solum quæ diximus ad Ostensionem spectant, *sed eodem modo habet in finitionibus*; quę licet per se sumptæ nec vniuersales sint, nec particulares, tanquam æe, quibus affirmatio, vel negatio non inest, nec signum vniuersale, vel particulare, in quem sensum textu 82. negabit finitioni vniuersale, uel particulare dandum; tamen haud eas decet de caducis, & singularibus, sed uniuersalibus, ac perpetuis ferre. Potest illo cognosci, quando, ut fuit expressum, cum Principia, & conclusio circa æterna uersentur, *definitio vero vel Ostensionis sit Principium, vel Ostensio situ differens, vel quædam Ostensionis conclusio*, certe succedit finitionem circa æterna esse. Sed ut hæc plene clareant est obseruandum unius affectionis plures finitiones tradi; sed præsertim tres esse, quibus hoc nomen conuenit. Prima genere, & subiecto constat, nec aliud designat, præter essentialem. Altera solum ex causa, quæ solet causalis dici. Tertia his duabus coniunctis, & ab Ostensione, situ dissidens vocatur. Ergo vt Ostensio caduca, sic etiam finitio excludit. Atque hinc fit notum cur interdum finitionem, vniuersalem, & perpetuam appellent; nimirum quia de ijs fertur, quæ vere sunt talia. At quamuis hæc debent certo credi, tamen quis forte opponet quia si Ostensio non circa

Solutio.

Ostensio de qua in præsentia ex ijs, & de ijs struitur, quæ vniuoce debentur.

Vna affectio plures finitiones adsciscit.

Dubitatio

circa corruptibilia se occupat, statim emergit de Lunari eclipsi, & id genus alijs Ostensionem non dari, velut ijs, quæ nequeunt semper stare; hoc autem est damnandum, & in Scientijs hæ Ostensiones cernuntur. Respondemus res, quæ sæpe fiunt, dupliciter sumi, vno modo pro vt vniuersales, altero qua in parte dicuutur; primo pacto, &, *quatenus tales sunt*, *semper sunt*, nempe in suis causis, quibus nunquam discedunt, sed statis temporibus sequuntur; at postremo haud semper; Ostensio autem, solum vt vniuersales considerat, neque hanc, vel illam Eclipsim, sed vniuerse attendit. Hisce in hunc modum expresšis decet eo redire, quod fuit initio indicatum: erat vero firmare, Ostensionem ex proprijs Principijs condi. Sed cum propria putentur, vbi nec extranea, nec communia sumimus post primum comprobatum, etiam est alterum tentandum. Sic autem ratiocinium pergit. *Id, quod monstratur inest quatenus ipsum*, Igitur id, quod monstratur, solum decet ex propriis Principiis monstrare. *Quare licet sit ex veris, & indemonstrabilibus, & immediatis ostensum*, tamen si eadem sunt communia, nunquam erit ex illis scire, sed idem ac de ijs continget, quibus Briso quadraturam conclusit. Vt autem comprehendatur est aduertendum sic Brisonem rem gerere. Nam primum descripto circulo, etiam duo quadrata signabat. Et quidem vnum maius, ac extra circulum, alterum minus, & in circulo: quo facto, statim tertium quadratum addens, quod esset inter illa duo medium, id credebat sic stare, vt posset circulo æquale ostendi. Tali vero modo rationem struxit. Quæ eidem simul sunt maiora, & minora, inter se sunt æqualia, sed circulus, & tertium quadratum, simul sunt minora externo, & maiora interno quadrato, Igitur inter se sunt æqualia. Verum hic progressus vt communibus Principijs sistit, & maiorem vsurpat, quæ diuersi generis conuenit Disciplinis, sic nec simpliciter Ostensionem, nec perfectam Scientiam, sed tantum secundum accidens præbet. Nam vt fuit expressum, tunc aliquid plene scimus, *dum secundum illud noscimus*, *secundum quod inest*; quod prorsus nihil innuit, nisi ex proprijs Principiis, ac ex proprio medio, velut de Triangulo, *duobus rectis æquales habere*, *Quare si per se*, affectio, *inest cui inest, illud est necesse medium*, & Principia, *in eadem cognatione esse*, nempe propria esse, ac per se, vt pariter affectio. Id vero sic firmum asserimus, vt semper ad omnes Scientias, præter subalternas spectet, in quibus quamuis medio non plane eadem sit cognatio, quod de musicis

Solutio.

Brisonis progressio.

affe-

affectionibus patet, quæ Principijs arithmeticis monstrantur, tamen minus est damnandum, sed vt valent de genere in genus migrare, sic valent ostendere communibus Principijs. Hoc autem non intelligimus quasi possit quoquo modo accipi, sed tali pacto vt subalternata, solum faciat quod, at subalternans propter quid noscere, tanquam ea, cui maxime affectiones competunt. Quanquam si probe cernimus, Principiorum vsus inter ipsas, magis debet translatio, quam communio censeri. Nam dum proprie sumimus communia Principia, quo pacto hic Philosophus, tantum illa dicuntur, quæ Scientijs seruiunt, quibus diuersa subiecta adsunt, talia nunquam valent Principia esse, per quæ subalternans, & subalternata monstrat; sed cum hæc haud distincta subiecta, sed quodammodo altera optent, rectius de Principijs loquimur, si potius translata, quam communicata vocentur. Quæ cum ita se habeant valde est manifestum, *non licere vnumquodque nisi ex proprijs Principiis monstrare*. Imo si ad viuum peruadimus, etiam subalternæ ostendunt. Cuius rei ratio occurrit, quia vt commune subiectum cum subalternantibus seruant, sic talia Principia, quale ipsum subiectum; at id vnum, ac proprium censetur, ergo pariter erunt propria Principia. Sed hæc omnia infra patebunt. Ex hac affectione sic indicata, alia succedit, nempe quod non decet in eadem Scientia, *propria cuiusque Principia monstrare*. Nam cum id Principij nomine signemus, quod non solum debet proprium esse, sed etiam sic primum, vt prius in eadem Scientia non habeat, si in illa facultate, cuius sunt Principia possent ex causa ostendi, iam emergeret, praue prima vocari, & Scientiæ principia. Ergo si interdum monstrantur, per quę hoc contingit tum omnium Principia erunt, tum, *eorum Scientia domina omnium*; hæc vero nulla alia, præter Metaphysicam creditur. Quod si verum est vt est verissimum, vt qui ex prioribus causis nouit, magis sciat, cum hæc facultas sic ex superioribus noscat, vt simul ex simpliciter primis, quod vltimum de alijs non cadit, quibus haud quidem simpliciter priora, sed tantum in eadem non dantur facultate; tum magis debet Scientia quam aliæ, tum sola maxime Scientia dici. At quamuis hæc ita se habeant, tamen nunquam succedit Metaphysicæ Ostensionem, & Principia, *ad aliud genus*, transferri; nimirum vt de vno in aliud subiectum migrent, sed tantum debetur mathematicis Ostensionibus: quo pacto, *geometricæ ad prospectiuas, vel mechanicas, & arithmeticæ ad musicas*, aptantur. Neque sane quis vacillet quia

Principiorum vsus inter Subalternantem & Subalternatam, magis est translatio, quam communio dicenda.

Altera proprietas.

Quo pacto Metaphy-ficus alia-rum facul-tatum prin cipia robo-ret.

Vnum quod dedu citur.

quia Metaphyſica firmat cæterarum Diſciplinarum principia;Etenim minus præſtat,quaſi propria Principia alijs Scientijs adaptans, ex quo æe ſua ſtabiliant,alioquin euidens tranſlatio eſſet,quam totis viribus extrudimus,ſed pro vt Metaphyſica,ac ex propria conditione. Sic Philoſophus ſæpius ſe geſsit,ſed præſertim 1. Phyſicorum,& 1.de Anima Metaphyſici habitum induens,illa communit, quę ſi aliquis neget nequeunt in eiſdẽ firmari Scientijs.Atque hinc refulget quod cum prima Principia dupliciter ſumantur,vno modo tanquam rei Principia,quę poſtea cognitionis fiunt,vt de forma ſe habet;alio vero vt cognitionis,ſicut de axiomatis,& finitionibus; licet nullũ ex his poſſit a priori,& per cauſam oſtendi, tamen nihil impedit de illis rei quin in eadem Scientia monſtrentur, nempe a poſteriori, & per affectiones ab ipſis partas. Quanquam eſt obſeruandum quod cum rei Principia fuerint diſtinctè nota, & vt Oſtenſio, & Scientia poſcit, ac cognitionis Principia facta, tunc amplius locus non aderit, etiam a poſteriori monſtrandi. Niſi vero ſic dicimus, haud vere cognitionis Principia eſſent,tanquam ea, quorum natura in illo conſiſtit,vt ex ijs plene notis cæterorum notitia pendeat, minus contra.

PRAELECTIO XXXI.

SCIENTIARVM SVBALTERNATIONEM delibans.

AT cum textus adhuc declarati nequeant diſtinctè capi, præſertim vero *69.* niſi quædam de ſubalternatione tradantur, ideo neceſſarium duximus, paulum in illis morari; haud quidem omnia expendentes, quæ apud Interpretes occurrunt, & quiuis breui ex ſe intelligit, ſed tantum deguſtantes ea, ſine quibus nihil plene ſuccedet. Ac ut hinc auſpicemur debet certum eſſe ſubalternatam Scientiam, ſolum in ordine ad ſubalternantem, & contra ſubalternantem in ordine ad ſubalternatam dici. Sed cum nihil uideatur ſignare, aliquid ſubalternari, niſi ſub altero eſſe, & ab illo pendere; eſt obſeruandum quod ſi proprie loquimur, & ut Philoſophus ſumit, prorſus aliud creditur unam Scientiam pendere ab alio, aliud

alteri

alteri ſubalternari. Nam cum omnes Diſciplinæ ſic conſtent, vt quodammodo inuicem nectantur, etiam ſuccedit vt ſe mutuo iuuent, quo pacto nihil prohibet, nec abſurdum emergit ſi pariter dependent. Sic Metaphyſica Naturalis firmat Scientiæ principia, & contra Naturalis quædam detegit, quæ vt ad Metaphyſicum ſpectant, ſic nunquam poſſet ex ſe præſtare. Neque vero ſolum in contemplantibus, ſed etiam in cæteris ſplendet ſiue organicæ, ſiue non exiſtant, quod Inducenti patebit. At quod vna Scientia alteri ſubalternetur, minus omnis pendentia, ſed tantum ea adimplet, quæ eſt ſecundum eſſentiam. Quare binas conditiones optat vt vera ſubalternatio fiat. Vna notatur vt ſubiectum partim idem, partim vero ſit diuerſum cum illo ſubalternantis. Et ſane quo ad eſſentialia, & intrinſeca, nempe rem conſideratam, & modum conſiderandi idem; at in ordine ad quoddam accidens, diuerſum. Poteſt prima pars probari, quia textu 69. docet Scientiæ ſubalternatæ ſubiectum ab eo ſubalternantis alterum eſſe: quo loco, *alterum*, exponimus vt nobis diuerſum haud ſane ex modo conſiderandi, ſed ſolum ex parte accidentis notet, quod textu 100. & 101. explicat. Præterea 13. Metaphycæ Sum. primæ, Cap. 3. monet Proſpectiuam, & Muſicam non circa viſum, & ſonum verſari, ſed hanc circa numerum qua numerum, illam circa lineam qua lineam, quæ duo ſub eadem ratione Geometra, & Aritmeticus conſiderant, quibus hæ Scientiæ ſubalternantur; hoc autem nunquam eſſet ſi ex modo conſiderandi diſtinguuntur, ſed circa ſonum, & viſum vt talia verſarentur. Tertio ſubalternans debet ſic gerere, vt eius concluſionis monſtret propter quid, de qua ſolum quod ſubalternata nouit, at id nequit præſtare dum ſubiectum, diuerſum conſiderandi modum habet. Cuius rei ratio ſe effert, quia ex diuerſo modo conſiderandi diuerſæ affectiones pendent. Ergo Principia, quæ oſtendunt de ſubalternante affectiones, haud valent illas ſubalternatæ monſtrare. Nam Principia ſumimus, velut completam cauſam teneant ad affectionem oſtendendam de æquato ſubiecto. Altera etiam pars, nimirum quod ſubalternatæ ſubiectum in ordine ad aliquod accidens, debet diuerſum eſſe, inde maxime patet, quando, ut uidimus, non ſolum alterum ſubiectum, ſed etiam ſub altero poſcit. Præterea fit ex una in alteram Scientiam tranſitus, hoc autem nunquam ſuccedet, ni ſubiecta ſe habent, ut quodammodo ſint diuerſa, nec quicquam aſſerimus ſub ſe ipſo eſſe, uel de ſe ipſo in ſe ipſum migrare.

Aliud eſt vnã Scientiã ab alio pendere, aliud alteri ſubalternari.

Vera ſubalternatio binas conditiones poſcit.

grare. Libet quoque addere quod, si Scientiæ separantur ex subiectis, subalternans vero, & subalternata separantur, illud emergit, simul subiecta distingui. Neque sane quis opponat quia 2. Physic. textu 20. docet Prospectiuam sic mathematicam lineam, vt prout physica est consideret, seu qua accidens annexum gerit, quod est visuale esse; dictio autem, *pro ut*, semper considerandi modum, & peculiarem rationem signat, per quam aliquid in determinato esse ponitur. Quare minus recte fuit conclusum differentiam, quæ restringit, & subalternantis subiectum ligat, haud quasi propriam formam, sed velut externum se tenere. Etenim si attendimus adeo efficax locus ex 13. Methaphysicæ apparet, cum præsertim ratio adsit, vt frustra alia se ingerant, quibus requisitum indicat Prospectiuam a Geometria diuidens, haud considerandi modum, cuius gratia concordant. Atque hinc innotet quam ob causam dicatur subalternas Disciplinas, nunquam numerum crescere, sed cum quæuis facultas duo poscat, primum rem consideratam, postea modum considerandi, & in nullo hæ Scientiæ differant, videtur concludendum nec posse capita augere, tanquam illa, quæ saltem considerandi modum vt propriam formam noscunt. Quanquam est aduertendum accidens subiecto iunctum, & subalternatam segregans, non ad idem genus spectare, id est haud ex differentiis sumi, quæ subalternantis subiectum diuidunt; alioquin licet speciem conflet, quæ sub huius est subiecto, tamen haud erit subalternatio putanda, quam hic Philosophus notat. Neque sane quod additur inter affectiones locamus, quæ a subiecti natura manant; nam nulla affectio suum subiectum arctat, sed potius de omni dicitur. Præter quam quod ad eandem Scientiam spectat de subiecto, ac de affectionibus agere; ob quam rem Scientia de numero pari, vel impari, non simpliciter subalternatur de numero Scientiæ, sed idem est cum illa. Ergo hæc differentia sæpius erit aliquid velut materiale subiectum, in quo cum res considerata, tum quoque modus inhæret. Sic in Prospectiua fit notum, quæ lineas in visu vt in subiecto, & in Musica, quæ numerum in voce considerant. Diximus autem, persæpe, quia nihil prohibet quin hæc differentia subiecto adiuncta subalternatæ sit finis, haud ex parte Scientiæ, sed respectu scientis diuersus. In hunc modum Nautica, quod textu 100. asserit Astrologiæ subalternatur. Et quamuis in quo est subalterna idem subiectum habeat, nimirum Astra, tamen illo diffidet quia Nauta ideo hanc, vel

Dubitatio

Solutio.

Cur subalternę Scietia haud numerum augeant.

vel eam astrorum affectionem noscit, & tales effectus oriri, vt deprehendat quo tempore sit tuta nauigatio; at Astrologus non in gratiam externi finis, sed vt illorum notitiam paret. Hoc idem in Musica apparet secundum auditum in ordine ad doctrinalem sumpta, quæ consonantiæ causam tradit, quam prima experientia cognoscit; nec respectu subiecti differunt, sed totum ex fine pendet, tanquam illo, qui diuersus in sciente fulget. Nam Musicus ad auditum, eo sonorum numerum considerat vel vt cantet, vel alios oblectet; at doctrinalis, & mathematicus vt sciat. Nunquid vero in his Disciplinis vera subalternatio, vel lato modo habitet, cum vna practica, altera sit contemplatrix, nostrum munus excedit. Ex his conditionibus sic indicatis quædam vt proprietates emanant. Et quidem prima censetur vt subalternatæ subiectum sit sub illo subalternantis. Sic Philosophus sæpe, sed maxime textu 60. & 100. innuit. Potest ratio afferri, quia si subalternata idem subiectum cum subalternante seruat, & in eo tantum differt quod huius subiectum alicui ligatur accidenti, etiam contingit subalternatæ subiectum sub illo subalternantis stare. Sic dicimus hominem album sub homine simpliciter, comprehendi, cum ab hoc, solum per albedinem, quasi per accidens distet. Alia proprietas ex textu 69. & 100. & 101. renidet; quo loco apparet subalternatam easdem affectiones cum subalternante gerere. Siquidem cui idem subiectum, & idem considerandi modus, eędem affectiones debentur: nec ex alio affectionum discrimen, nisi ex formę diuersitate cadit. Illo tamen inuicem dissident, quod subalternans, absolute affectiones; at subalternata accidenti, vel materiæ addictas considerat. Tali pacto Arithmetica, numeri proportionem accipit, scilicet simpliciter attendens, Musica vero in voce. Tertia proprietas notatur, vt subalternatę Principia idem sint cum ijs subalternantis. Sic textu 59. & 69. Ac certe dum subiectum idem est secundum essentialia, simul decet eadem Principia esse, quę a tali subiecto sumuntur. Quarta proprietas textu 69. & 100. & 101. elucet; & in eo consistit vt subalternata solum quod, at subalternans propter quid noscat. Neque vero quis vacillet, quasi prima causam reddat; nam haud ex proprijs pręstat Principijs, sed a superiori mutuatis. & in Prospectiua notamus, sic eandem habere lineam visualem, vt queat basis esse infinitis Triangulis; id autem Geometra in lineis ostendit simpliciter sumptis. Quod si in Prospectiua, & subalternatis Ostensiones

Prima proprietas.

Secunda proprietas.

Tertia proprietas.

Quarta proprietas.

ex monſtratis concluſionibus fiunt, ac proinde ex proſpectiuis poſitionibus, tamen niſi in ſubalternantis reſoluimus Principia, haud poſſent diſtincte ſciri. Et hæc ratio exiſtit cur Philoſophus ait Scientiam ſuperiorem propter quid monſtrare. Nam licet plures concluſiones exin in Principia euadant, & pro alijs monſtrandis conferant, tamen omnes a primis Principijs pendent, quę maxime ad ſubalternantem ſpectant. Quinta eſt proprietas, ut in his Scientijs de genere in genus, id eſt de vnius ſubiecto in illud alterius migretur. Docet id textibus 59. & 60. Poteſt nobis probari, quia eodem modo conſiderandi, iiſdem affectionibus, & etiam Principijs poſitis, nihil prohibet cur nequeat translatio fieri. Vltima proprietas textu 100. ſignatur, eſt vero quaſdam ex ſubalternatis eſſe fere vniuocas reſpectu ſubalternantis; nempe, vt probe Themiſtius, eodem nomine dici. Quo loco recte quidam aduertunt, ideo dictionem, *fere*, iunxiſſe, quia vere vniuoca vocantur, quæ idem nomen, & eandem rationem obtinent; at illa fere uniuoca, id eſt diminute, ac imperfecte, quę ſolum nomen, & quandam conuenientiam ſeruant. Decet in Aſtrologia cernere, cuius nomine tum Scientiam de aſtris, quam Mathematicus aſſequitur, tum uero eam dicimus, quę a Nauta habetur, nempe rudem notitiam, qua ex ſideribus, Cœli tranquillitatem detegit. Et Muſica non modo uocatur, quę ſecundum auditum, ſed pariter illa, quę in contemplatione conſiſtit.

Quinta proprietas.

Seſta proprietas.

Cont. 72. D*IFFICILE autem eſt cognoſcere an nouit, nec ne; difficile nanque eſt noſſe an ex vniuſcuiuſque Principiis ſciamus, nec ne, quod eſt ſcire. Exiſtimamus autem ſi ex veris quibuſdam, & primis Syllogiſmum habeamus, nos ſcire: hoc autem non eſt, ſed oportet primis cognata eſſe.*

Cont. 73. *Dico autem Principia in vnoquoque genere hæc, quæ quod ſunt non contingit monſtrare. Quid igitur ſignificant & prima, & quæ ex his accipitur: quod autem ſunt, Principia quidem neceſſe eſt accipere, alia vero monſtrare; vt quid vnitas, aut quid rectum, & triangulum: eſſe autem vnitatem quidem accipere, & magnitudinem, alia vero monſtrare.*

Cont. 74. *Sunt autem illa, quibus vtuntur in demonſtratiuis Scientiis; alia quidem cuiuſque Scientiæ propria, alia vero communia. Communia vero ſecundum analogiam, quoniam vtile eſt quantum in eo, quod eſt ſub Scientia, genere. Propria principia quidem, vt lineam eſſe talem, & rectum. Communia autem, vt æqualia ab æqualibus*

ſi au-

ſi auferas, quæ remanent ſunt æqualia. Sufficiens autem eſt vnumquodque horum quantum eſt in genere, idem enim facit, & ſi non de omnibus accipiat, ſed in magnitudinibus ſolum, Arithmetico autem in numeris. Sunt autem propria quidem etiam illa, quæ quod Cont.75. *ſunt accipitur, in quibus Scientia ſpeculatur quæ per ſe inhærent, vt Arithmetica vnitates, Geometria vero puncta, & lineas; hæc enim eſſe, & hoc eſſe accipiunt. Horum autem affectiones per ſe, quid vnaquæque ſignificet accipiunt, vt Arithmetica quidem quid impar, aut par, aut quadratum, aut cubus. Geometria vero quid irrationale, aut quid refrangi, aut concurrere, quod autem ſint demonſtrant & per communia, & ex demonſtratis, & Aſtrologia ſimiliter. Omnis enim demonſtratiua Scientia circa tria eſt, primum* Cont.76. *quidem circa illa, quæ ponuntur eſſe, hoc autem eſt genus, cuius affectionum per ſe ſpeculatrix eſt: deinde circa communia, quæ dicuntur dignitates, ex quibus primis demonſtrant; & tertium circa affectiones, quarum quid vnaquæque ſignificat accipit. Quaſdam tamen Scientias nihil probibet quædam horum deſpicere, vt non ſupponere ſubiectum eſſe, ſi ipſum eſſe ſit manifeſtum; non enim ſimiliter eſt manifeſtum numerum eſſe, vt calidum, & frigidum: & affectiones quid ſignificent non accipere, ſi ſint manifeſtæ, quemadmodum nec communia accipit quid ſignificent, veluti illud, ſi ab æqualibus æqualia auferantur, quoniam notum eſt; ſed nihilominus natura tria hæc ſunt, id, circa quod demonſtrat, & quæ demonſtrat, & ea ex quibus.*

PRAE-

PRÆLECTIO XXXII.

DE PRINCIPIIS CVRAM instituens.

Connexio. *Inſtitutum.*

SED cernens Philoſophus quę de Oſtenſionis principijs dixit haud pręſens negocium explere, ſed etiam alia requiri, per quæ rite Principia clareant, ideo ſic aggreditur, vt de ipſis tractatum aſſumat. Et hac via ex illorum plena notitia non ſolum plene noſcemus, ſed ſimul Oſtenſionem formabimus. Nam vt fuit alias notatum, quæ in noſtris libris traduntur, minus eo quieſcunt ſi Oſtenſionis naturam proferant, ſed etiam contendunt vt eam tute conflantes, ſecure Scientia accedat. Contextus in quatuor partes diuiditur.

Diuiſio.

Et quidem in prima ad Principiorum excitat cognitionem. In altera finitio affertur, quæ omnia comprehendit Oſtenſionis principia. In tertia in ſpecies diſtinguit. In quarta dubitationem enodat.

Expoſitio.

Quod attinet ad primam partem tanta eſt difficultas in noſcendo, & ſic arduum tenere num fuerit Oſtenſione cognitum, an non, vt quamuis tot de Principijs dixerimus, vt poſſit redundans credi ſi plura ingerantur, tamen dum concluſioni iunguntur, ſæpius in errorem inducunt. Decet id obſeruare, *ſi ex veris quibuſdam, ac primis Syllogiſmum habemus*; ex quo breui crederetur nos Scientiam poſſidere, hoc autem falſum exiſtit, nam hæc non quouis pacto ſunt ſatis, ſed etiam requirunt vt cognatæ ſint concluſiones, id eſt eiuſdem generis, & ſubiecti cum Principiis, quo modo propria ſumentur, quod Oſtenſio poſtulat. Quæ cum ita ſe habeant, valde erit diſpoſitum ſi ab ea deſcriptione ordimur, quæ ſic ad incomplexa Principia, velut ſubiectum, & finitio, vt ſimul ad complexa penetret, quales dignitates, & cætera vocantur.

Principiorum definitio.

Poſſunt uero ſic finiri, illa Principia putanda, *quæ quod ſint*], nimirum uera, *haud contingit monſtrare*. Ex quo ſuccedit, ſaltem nobis prænoſcenda eſſe. Quanquam eſt attendendum, uerum non eodem modo competere, ſed in ordine ad Principia ſimplicia nihil aliud ſignat, præter uerum ueritate entis, ſiue ut in natura conſiſtant, abſque eo ut Mens intercedat; at in ordine ad compoſita illud verum, quod de tertio adia-

adiacente uocant,nempe ut maius extremum in minori adsit. Sed cum duplex prænotio se dedat,& quidem prima quid nominis, altera uero quod sit,&affectio sit quodam modo prænoscenda,haud decet inferre Principium esse,sed uere Principium dicemus, quod utramque prænotionem optat. Ac certe nominis significatio tum de Principijs debet,tum quoque de affectione prænosci: at ex hac non inter se distinguuntur,sed ex illa quod sint,uelut ea,quam de Principiis accipimus,probamus de quæsito. In hunc modum qui ad Scientiam accedit, ante omnia noscit, *quid vnitas*, significet, quæ in Arithmetica est subiectum,quid itidem,*rectum,& Triangulum*,siue magnitudo, quæ vt Geometriæ subiecta sumit. Verum hæc præcognitio,sic Principijs competit, vt in ea affectiones communicent;quod autem sit vnitas,& magnitudo,tantum ad Principia,non ad affectiones spectat.Hisce sic indicatis, iam Principia in species secentur.Possunt vero ad duplex genus transferri. Vnum illorum existit,quæ cuiuis Scientiæ sunt propria;at alterum eorum quibus vagum,& commune conuenit. Postrema vocamus, quæ ad plures Scientias vel totales, vel partiales pertinent, nec sane quouis modo acceptas,sed eo pacto,vt diuersos considerandi modos seruent. Sic asserimus quæ sunt æqualia vni tertio, etiam inter se sunt æqualia; & si ab æqualibus æqualia demas, quę remanent sunt æqualia; &c. Et quamuis hæc communia, & dignitates dum qua talia sumuntur haud Scientijs conferant, tamen pro ut proportionata fiunt,& ad vnum subiectum ligantur,vt si ab æqualibus magnitudinibus æqualia demas,quæ remanent sunt æqualia probe ijs subueniunt. Dicimus vero subuenire, quia non primo Scientiam præstant,cum a proprijs pendeat,sed externe monstrantem adiuuant,nempe illa,virtute,vel actu supponendo,si prius ex ipsis Syllogismum,tum ex proprijs Ostensionem condat, qua via solum remote Scientiam præbebunt,& quasi fundamenta, quibus vt magis notis quam propria debet monstrans inniti. Nomine autem proprij Principij cum subiecti finitionem,vt linea est longitudo sine latitudine,&c.Et linea recta cuius partes non egrediuntur,tum suppositionem subiecti, & subiectum innuimus, de quo Scientia accidentia rimatur,*quæ illi per se inhærent*. Nam cum ipsum subiectum, horum Principiorum sit radix, & respectu ipsius dicantur, sic Principij nomen commeret, vt nulli magis quadret, Sed vt breuibus pateat quonam pacto hæc fiant,est obseruandum subiectum vel sic accipi,vt per se consideretur,vel in ordine ad cognitionem

Quæ nam præcognitio Principijs,& quæ Affectioni conueniat.

Principiorum partitio.

Principium commune.

Principium commune quo pacto Disciplinis succurrat.

Principium proprium.

Propria principia ex subiecto pullulant.

gnitionem;primo modo vnum proprium Principium,nempe subiectum se effert,altero vero illa duo adhuc nobis attacta,quæ a subiecto procedunt.Nam dum quod sit prænoscitur;Suppositionem:vbi autem quid sit,finitionem constituit.Sic Arithmetica vnitates, & Geometria puncta, & lineas vt propria Principia supponunt.Neque sane tantum, *hæc esse,sed etiam hoc esse accipiunt*. Id est subiectum supponentes,vt vna significatum tradant.At cum prius dixerimus de Principijs quid nominis,& quod sit prænoscendum,de quæsitis solum quid nominis, & fuerint exempla tradita, quæ ad Principia spectent,ideo ne quis aliquid optet,etiam de quæsitis ferantur. Ergo Arithmetica prænoscit,*quid nam par, vel impar significent,quid quadratum,vel cubus;Geometria vero quid irrationale,uel quid refrangi,uel concurrere*. Tunc autem lineam irrationalem vocant,dum alteri comparata nequit illi commetiri, vt si diametri lineam sumentes,& cum proprij comparantes quadrati latere,semper erit rationis expers; nec aliam ob causam, nisi quia proportionem cum altera linea non gestat. Tunc vero refrangi, cum ex contactu Triangulum facit.Postremo tunc concurrere, dum inuicem se tangunt. Quæ omnia tanquam affectiones ad Mathematica spectant, & ex mathematicis Principijs pendent. *Quæ cum* ita se habeant licet facile cernere nihil sub Scientia includi, quæ Ostensione aduenit, quin hæc diuisio comprehendat, & quædam ex his prænotionibus tangat. Nam si omnes partes Scientiam conflantes diuidimus, patebit tali pacto habere, vt, *Omnis Ostensiua Scientia circa tria uersetur*.Et quidem primo circa id,quod supponitur, nimirum genus,ac subiectum,de quo affectiones ostendimus, cuius nomen debet intelligi, vt omnia propria Principia signet:id autem fit notum,quia dum subiectum sumitur, suppositio uocatur, vbi vero finitur, definitio. Quo loco uiri artificium splendet,qui cum antea Principij nomine denotet subiectum, in præsentia per subiectum propria Principia tradit; nimirum vt pateat quanta inter hæc sit communio, quæ tum conuersim se habent,tum quoque idem nomen subeunt. Præterea uersatur circa communia Principia,quæ solent dignitates dici, & ex quibus primis Scientiæ demonstrant. Demum circa affectiones, de quibus quid nominis prænoscit. At contra illa, quę fuerunt indicata posset quis opponere, quia cum interdum cadat vt subiectum nominis significatu sit plene notum, nulla ratio se effert cur eius nomen clareat, sicut ob summam euidentiam cur quod sit supponatur.

Cur Principij nomine subiectum innuat, & contra.

Dubitatio

Quæ

Quæ autem de ſubiecto dicimus, itidem debent ad Principia, & quæſita traduci, tanquam illa, quibus probe competunt. Nec de eo Principio quæritur, ſi ab æqualibus æqualia demas, &c. Quid nam nomen importet, quare ſuccedit nec perennem differentiam eſſe, quæ ex parte prænotionum inter Principia, & affectiones ponitur. Cernens Philoſophus difficultatem vt plane ſatisfiat, taci- *Solutio.* te vſurpat binas prænotiones dari; vnam vocalem, & quæ ore præſtatur, alteram vero mentalem, quam ſolus Intellectus edit, primo pacto ratio conuincit, *nec quicquam prohibet aliquas Scientias quædam horum deſpicere, vt non ſupponere ſubiectum eſſe, ſi ipſum eſſe, ſit manifeſtum*; at poſtremo eſt neceſſarium. Ni vero ſic aſſerimus emerget nos circa ea verſari, & de illo cognoſcere, atque adeo per illa, quæ prorſus ignoramus: quod quam ſit inconueniens breui facto comprehenditur. Neque ſane quis vacillet propter Philoſophi exemplum dum ait, minus ſic patere, *numerum eſſe, vt calidum, & frigidum*, quod videtur iis aduerſari, quæ primo Ethicor. Cap. 3. & 2. Metaphyſ. teſtatur, textu 16. quibus locis affirmat Mathematica primum certitudinis gradum tenere, & in notitia Naturalia excedere, velut ea, quæ ob materiæ permixtionem, vna contingentiam admixtam gerunt, quam perfecta cognitio renuit. Etenim miſſis pluribus, per quæ aliqui putant nodum ſolui, vt ſi generatim quærunt nunquid Mathematica magis nota, quam Naturalia exiſtant, vel contra, & quomodo ſit ſumendum, quaſi ad præſens negocium ſpectet hæc expendere, vel neceſſitas nos cogat, nec ſit potius præter inſtitutum, atque adeo rem, quam tractamus; dicimus numerum a calido, & frigido, ſaltem in notitia confuſa excedi, id vero Philoſopho ſatis eſſe, nam magis perfecta erit vel dum quid ſcrutamur, vel certe per aliquid aliud. Sed eſt *Prima dif-* cur de iis ambigatur, quæ prius fuerunt tradita. Et quidem pri- *ficultas.* mo propter Principia: nam cum ipſa definiens dixerit illa cenſeri, *quæ quod ſint non contingit monſtrare*, & cum Principijs ſubiectum locet, haud eſt ab re cenſendum ſi id parum expendimus, nec ſane plurimis agendo, ſed tantum libando ea, quæ noſtro muneri fauent. Ideo vero libenter gerimus, quia valde Interpretes agitant. Igitur non ſolum videtur ſubiectum poſſe a priori, & per cauſam, ſed ſimul a poſteriori oſtendi. Primum licet videre quia cum materiam, & formam habeat, vel ſaltem genus, & differentiam ac propria Principia interna, ex quibus ipſum conſtat, nulla ratio apparet cur per illa non pateat. Poſtremum ſit clarum quia ſi ef-

fectus solent magis sensum tangere quam causæ, si subiectum affectionum est causa, prorsus videtur dicendum, ipsum per effectus Ostendi. Ni vero sic asserimus continget aliquid ab alio pendens atque eo magis notum non posse suum Principium promere, quod adeo est absurdum, vt passim omnes damnent. Quidam inter Iuniores, tantum abest vt credant licere Scientiæ proprium subiectum probare, quouis pacto id sumimus, vt velint implicantia teneri. Illo autem confirmant, quia cum Scientia sit subiecti cognitio, quasi certum ponendo Scientiam esse, & Subiectum munire, simul subiecti ponimus certitudinem, sine quo nunquam Scientia staret. At e contrario qua illud stabilimus, dubium; & incertum ponitur. Nam ideo aliquid probatur, quia amplam certitudinem arcet. Verum præsens ratio nodum non dissoluit, sed posset responderi quod sit subiectum dupliciter nosci, vno modo confusa cognitione, altero vero distincta; si in ordine ad primam capiunt, quæuis Scientia sic habet, vt suum subiectum prænoscat; quod si alia ratione, per interna Principia ostendit, nimirum illa, quæ ipsum constituunt. Et hac via nulla est repugnantia. Quare asserimus aliud esse sic proprium subiectum teneri, vt quodam Syllogismo distincte clareat, ac firmetur, aliud Ostensione monstrari; quamuis haud sit negandum confusa notitia non patere, quod Satis ratio conuincit, sed necessario supponitur, tamen nihil impedit quin distincta pateat, nempe illo Syllogismi genere, quem hypotheticum per naturam vocant. Sic corpus naturale, &c. fit notum per materiam, & formam hoc pacto. Si est materia, & forma, etiam est corpus naturale; sed est materia, & forma, Igitur est corpus naturale. At Ostensionis ope haud fiet; quod ex eo relucet, quia cum quæuis affirmans Ostensio aliquid de aliquo vt de subiecto inferat, plane succedit, quod si debet subiectum ostendi, aliud subiectum prærequirit, de quo illud in conclusione dicamus, hoc autem clare repugnat. Nam pro ut est subiectum non solum est primum in Scientia, sed etiam sic primum, ut de ipso reliquæ monstrentur affectiones; quia uero Ostendimus, nec in eadem Scientia primum, nec de eo affectiones monstrantur. Quæ omnia nequeunt simul stare. Ergo concludendum subiectum qua tale, in quem sensum semper accipimus, prorsus Ostensionem arcere. Atque hac de prima difficultate. Quod ad aliam pertinet cum Philosophus inter Principiorum, & affectionis prænotiones, id discrimen notasset, quod Principia debent quid nominis, & quod sint præcognosci, at affectio, tantum quid nominis,

Opinio quorundam.

Reijcitur.

Propria sententia.

Secunda difficultas.

nis, quod autem sit monstrari: posset quis opponere propter affectionem, quæ vtrunque videtur recipere. Et vt id satis pateat, protritum Syllogismum formemus, quo de homine risiuum monstratur; Omne rationale est risiuum, omnis homo est rationalis, Igitur omnis homo est risiuus. Certe nisi affectio in conclusione ostensa, prius esset nota in Principijs non solum quid nominis, sed etiam quod sit, illud continget vt plenam Scientiam non præstent, tanquam eam, quæ ex notis Principijs pendet. Vt huic scrupulo satis fiat est obseruandum aliud esse prænoscere affectionem alicui hærere, aliud vero hærere determinato subiecto, & de quo Ostenditur; dum ait non posse quo ad an sit supponi, minus primo modo, sed secundo vsurpat, quo pacto est ignota, ac proinde monstranda. Libet quoque addere quod sit prænotionem dupliciter sumi, vno modo confuse, & imperfecte; altero vero distincte, & perfecte; licet Principia noscendo, simul affectio noscatur, tamen minus distincte noscitur, sed tunc succedit, cum de proprio subiecto monstramus. Nam si accidentis esse est inesse in aliquo subiecto indistincte accepto, affectionis esse nihil signabit, nisi sic hærere, vt in proprio, & determinato insit: quod non distincte in Principijs, sed in conclusione fulget. Et hæc omnia haud æque de omni Ostensione, sed maxime de propria credimus, nimirum ea, quæ est solum affectionum de subiecto, & per causam affectionibus externam. Nam in cæteris Ostensionibus, vt cum finitio de finito, & id genus alia monstrantur, quamuis non hæc sic enitent, tamen pariter in illis adsunt. Decet satis cernere si ostendimus Eclipsim esse priuationem luminis, &c. quo casu nequit id prædicatum nosci quod sit, dum ex parte capimus distinctæ notitiæ, nisi per eiusdem æquatam causam, & de Eclipsi præstemus. Et si risiuum de homine per aptum ad risum Ostendunt, quæ eius finitio putatur, nec plurimi impediunt: dum in sola Principia spectant, nunquam distincte comprehendent, sed est de proprio subiecto monstrandum. Præter quam quod cum hic affectionem consideret, vt distinctam a Principijs sumat, itidem illi tribuit, quę maxime affectioni competunt. Ac licet quod sit affectio in positionibus splendeat, tamen id haud seorsum, & ex se conuenit, sed prout Principijs iungitur.

Prima resolutio.

Alia resolutio.

Cont.77. NON est autem suppositio; neque petitio, quod necesse est propter ipsum esse, & necesse videri, non est enim ad externam orationem Demonstratio, sed ad eam, quæ est in anima, quoniam neque Syllogismus: semper enim externæ orationi obstare est, sed internæ orationi non
Cont.78. semper. Quæcunque ergo demonstrabilia cum sint, accipit ipse non monstrans, hæc quidem, si apparentia discenti accipiat, supponit, & est non simpliciter suppositio, sed ad illum tantum; si vero vel nulla existente opinione, vel etiam contraria inexistente accipiat, idem petit: & hoc differunt suppositio, & petitio; est enim petitio id, quod subcontrarium est opinioni discentis, vel quod aliquis, demonstrabile
Cont.79. cum sit, accipit, & vtitur non monstrans. Definitiones igitur non sunt suppositiones, non enim esse, vel non esse dicunt, sed in propositionibus sunt suppositiones: definitiones autem solum intelligere oportet, hoc autem non est suppositio, nisi & audire aliquis suppositionem
Cont.80. esse dicat, sed quibus existentibus eo quod illa sunt fit conclusio. Neque Geometra falsa supponit, vt quidam asseuerarunt dicentes quod non oportet falso vti, Geometram vero mentiri dicentem lineam esse pedalem, cum pedalis non sit; vel rectam lineam eam, quæ descripta est, cum non sit recta. Sed Geometra nihil secundum hanc lineam concludit, quam ipse posuit, sed
Cont. 81. quæ per hæc denotantur. Amplius petitio, & suppositio omnis vel est vt totum, vel vt in parte, definitiones vero neutrum horum sunt.

PRAE-

PRAELECTIO XXXIII.

PRINCIPIA EXPANDERE prosequens.

AT non satis esset rudem fecisse Principio- rum distributionem, illa in species secando, ni etiam adderentur, per quæ pl re innoteant. Id in præsentia orditur, sic eorum naturam proferens, vt distincte diuersitas pateat, quæ inter ipsa consistit. Contextus in quatuor partes diuiditur. Et quidem in prima dignitatem a suppositione, ac petitione distinguit. In altera suppositionem a petitione. In tertia discrimen affert inter finitionem, suppositionem, & petitionem. In quarta dubitationem tollit. Quod attinet ad primam partem, vt a dignitate incoemus, binis conditionibus a supositione, & petitione secernitur. Prima existit dignitatem necessario, *propter ipsum esse*, id est haud posse nec in propria Scientia, nec in alia ostendi. Altera vero dignitatem debere necessario, *videri*, nempe omnibus notam esse, nec aliquem se dare, qui terminos intelligat, a quo posit negari. Atque hæc est ratio cur dedecet supponere, tanquam illam, cuius notitia ad omnes penetrat. Harum conditionum neutra petitioni, vel suppositioni conuenit. Ac licet suppositio in Scientia, cuius est suppositio, nullam Ostensionem recipiat, tamen necessario non fiet vt simpliciter excludat, sed queunt in alia monstrari, quod prorsus dignitati est aduersum. Debent etiam sic sumi vt omnibus notæ ponantur, quo pacto nec confirmatione, nec explicatione indigebunt. At suppositio, & petitio cum semper ponantur ignota, nec sit necessum tenere, quandam declarationem postulant. Quod si interdum fiat vt dignitates vel propter proteruiam, uel ob contentionem negent, vt de Heraclito cecidit cõmune Principium negante, de quouis verum est asserere, vel negare, tamen nihil impedit quin sit dignitas putanda; ob quam rem nec licet Doctori petere, nec supponere, sed potius dicendum solum voce haud Mente permitti; at vox aliquid negat in infinitum, quod non decet de animo credere, qui veritate cognita, necessario consentit. Quod

Connexio. *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.*

vero

vero hæc negatio nequeat a dignitatibus arcere, illo valde munitur, quia si Syllogismus non ad externam orationem, sed ad Mentem existit, id est si Syllogismus sic aduersarium disponit, vt nunquam voce cogat conclusionem, sed semper corde fateri, certe magis Ostensio præstabit, tanquam ea, cui necessaria illatio tum in ordine ad formam, tum ex parte materiæ competit. Ergo pariter dignitas, tantum Mentem attendit, cum Principium existat, a quo Ostensio pendet. Nisi vero sic asserimus, aientes Ostensionem ad externum esse, vt licet infinite protendere, & eius ueritatem negare, sic de dignitate fiet. *Nam semper est externæ orationi obstare, sed internæ*, id est Menti, *non semper.* Post quam fuit patefactum quo modo dignitas a petitione, ac suppositione distat, atque adeo notatum quę pro eius fabrica concurrant, sequitur videndum quid præsertim suppositionem a petitione diuidit. Ante quam vero id conficimus non debet ab re credi, si parum attingatur quid maxime inter se coniungit. Et in illo consistit quod possunt in quadam Scientia ostendi, ac præsertim in Metaphysica. Sic Phylosophus indicat cum ait, *quæcumque monstrabilia cum sint*; Ergo quamuis sic sumantur, quasi nullam Ostensionem noscant, tamen haud simpliciter contingit, sed tantum in Scientia, cuius sunt suppositiones, nec sane quoquo pacto, sed prout suppositiones, & petitiones acceptæ. Eo vero hoc addimus, quia nullum absurdum videtur aliquid in vna Scientia supponi, quod exin in eadem monstratur, modo diuersa ratione fiat. Et certe non Ostensionis genere imperfecto, sed illo, quod per causam procedit. Potest in motu deprehendi, quem in Physicis ponimus esse, & eisdem monstramus; Nam si naturalibus corporibus adest natura, prorsus emergit, simul in illis motum adesse. Et si quoddam mouens reperitur, prorsus emergit, etiam motum reperiri. Quanquam haud accipimus, tanquam possit quouis pacto intelligi, sed in eum sensum, vt dum motus ponitur esse, tantum confuse succedat; vbi autem monstratur, tunc distincte clareat. Etenim quorum sunt causæ, nunquam Scientiam tenemus, ni prius causæ pateant, velut illæ, quibus ipsa dependent. Hisce sic delibatis ratio suppositionem a petitione diuidens consistit, quod tunc debet suppositio credi, cum aliqua positio se habet, vt non solum renuat in Scientia ostendi, sed etiam a Doctore prolata, statim discens excipiat. Ni vero quam mox arripit, nec vllam de ea opinionem, sed potius contrariam gerit, tunc petitio vocatur. Atque

Aliqua suppositio potest in eadem Scientia ostendi.

que hinc apparet petitionis, & ſuppoſitionis diſcrimen minus ex rei natura, ſed tantum ex parte noſtri eſſe; ob quam rem nec duo Principij ſpecies,ſed vna eſt cenſenda; nec quicquam prohibet eandem poſitionem ab vno pro vera haberi,cuius reſpectu erit ſuppoſitio, ab alio non haberi, & petitio euadet. Imo diuerſis temporibus illa propoſitio, cui nulla veritas datur, & ad petitiones ſpectat, quam mox fidem adhibemus, & ſuppoſitionem præbet. Illud tamen eſt obſeruandum, quod dum ſuppoſitio per ſe ſumitur, vt poteſt ex ſe oſtendi, ſic non debet ſuppoſitio, ſed ſolum poſitio dici, at in ordine ad Scientiam,& qua Principium conſtituit, tunc eſt ſuppoſitio vocanda. Licet illo cernere cum inquit, *& non eſt ſimpliciter ſuppoſitio, ſed ad eum ſolum.* Quæ verba nihil indicant, niſi ſuppoſitionem ex propria conditione ſumptam, tantum inter poſitiones ſtare. Explicatis conditionibus, quibus dignitates a ſuppoſitionibus, & ſuppoſitiones a petitionibus diſſident, ſupereſt videndum quo pacto tum finitio, & ſuppoſitio, tum quoque petitio inuicem diſtant,quam ſuppoſitionis nomine ſignat. Ac ſane duplex diſcrimen occurrit. Primum illud creditur, quia ſuppoſitio aliquid eſſe, vel non eſſe affirmat, hoc autem refulget quod hæc *ſunt in poſitionibus*, at finitiones nequeunt poſitiones vocari, *non enim eſſe, vel non eſſe dicunt*, ſed vt ad primum Mentis officium ſpectant, a quo affirmatio, & negatio abſunt, ſic in eo quieſcunt ſi intelligantur. Ac velut, *audire*, haud inter ſuppoſitiones locamus, cum nihil vel affirmet, vel neget, ſic videtur de ſimplici Mentis apprehenſu dicendum, per quem ſolum eſſentiæ patent. Quare concludendum eas eſſe ſuppoſitiones, *quibus exiſtentibus eo quod illa ſunt ſit concluſio*. id eſt a quibus Oſtenſio ſumit eſſe, & concluſio dependet. Sed adhuc quis timebit, quia ſi ſuppoſitio vocatur qua exiſtente concluſio fluit, illud contingit vt queat verum ex falſis dignoſci, at id fuit antea damnatum. Conſequens firmatur ſi notamus geometricas ſuppoſitiones,tanquam eas, quibus falſum inhæret,nec vere Geometra accipit lineam a ſe ductam pedalem, vel certe rectam eſſe, &c. ſed vt Tertio Metaphyſ. textu 8. monet, ſic Naturalia habent, vt nec recta linea deſcribi, nec poſſit in ijs dari. Cernens Philoſophus difficultatem reſpondet Geometram haud in ſuppoſitionibus mentiri, ſed potius ex ipſis vt veris concluſionem manare. Nam cum queat dupliciter ſumi, vno modo in ordine ad exempla, quibus illuſtrantur; altero vero qua ex illis concluſio pendet, Geometra minus primo pacto, nec

pro

pro vt sunt in materia, sed postremo attendit. Quod si lineas designat in tabula, id conficit vt facilius addiscens capiat, quæ lineis abstractis competunt: quod libenter succedit, dum præ oculis sensilem ponit. Ergo suppositiones, quibus in ostendendo vtitur, haud sensilem materiam noscunt, sed animo adhærent; quæ vero in materia dantur, sunt eorum signa putanda, quæ animo resident, nec falsitatem continent. Hinc 2. Physic. 18. & 13. Metaphys. Cap. 3. dicebat Naturalem, & Mathematicum circa idem versari; illo tamen differre quod Mathematicus nullum accidens considerat quasi sensili subiecto hærens, ob quam rem planum, lineam, &c. sic sumit, vt a tali materia segreget; at quæ Physicus speculatur, nunquam sine materia attendit, sed vel qua Naturalis corporis affectiones, vel pro vt eiusdem sunt termini, vel alia ratione. Neque nobis negocium præbet quia Astrologia Cœlorum motus, & corpus naturale considerat; nam licet Spheras vna cum Mundo inferiori spectet, tamen minus accipit, quasi Naturalis corporis affectiones, sed vt quanta existunt, quo pacto motum vsurpat. Dicitur autem a motu abstrahere, quia ab internis Principijs motus Cœli, nimirum a materia, & forma abstrahit, nunquam illa dignoscens, quæ motus principia censentur. At id de Naturali non succedit, cum omnia in hæc referat. Alterum discrimen se effert, quia, *omnis petitio, ac suppositio vel est vt totum, vel vt in parte*; id est vel vniuersales, vel particulares dicuntur, quorum neutrum finitioni conuenit, sed cum suppositio, & petitio stent inter Syllogismi propositiones, & debeant vniuersales, vel particulares esse, finitio vero qua talis non sit propositio, prorsus contingit nec vniuersalem, nec particularem esse. Quanquam est aduertendum, minus hic negari finitionem esse de vniuersalibus, ac æternis, quod a vero ab esset, sed tantum uniuersalem esse. Hoc autem potest dupliciter sumi, primo pacto quia non sic tradatur, vt ad definitum pertingat per indiuidua dispersum, sed solum ad communem naturam, & pro ut ex se est una; altero uero quia nullum signum in finitione ponatur uniuersitatem notans; quouis modo usurpent, decet non uniuersalem dicere. Nam non solum per se naturam respicit, & ut quid distincte euoluendum, sed cum solum pro finitione sumamus, quæ essentiam detegunt, signa uero ad partes subiectiuas spectent, tantum abest ut uniuersitatis signum optet, ut penitus excludat, tanquam id, quod redundantiam præseferret, a qua finitio abest. Sed cernimus aliquem dubi-

dubitantem, quia si suppositiones vocant, quibus existentibus fit conclusio, haud videntur finitiones repelli, sed cum Ostensionis medium condant, & maxima sint inferendi ratio, verius dicentur primariæ suppositiones. Quamuis posset hæc difficultas linqui, & solutio ex dictis hauriri, tamen asserimus finitionem vel vt talem accipi, quo pacto circa id se occupat vt distincte substantiam promat, quod nomen confuse facit; vel qua causam affectionis monstrandæ: Licet hoc secundo modo finitio conclusionem inferat, tamen haud fit suppositionem esse, cuius natura quærit, vt conclusionem gignat, at finitio vt finitio nunquam præstat conclusionem. Ex dictis comprehenditur quibus nam finitio a dignitatibus distat; nam si suppositionis, & dignitatis discrimen consistit, quod nec debet suppositio nosci necessario, sed ante quam declaretur valet ignota esse, & debet posse ostendi in aliqua Scientia; dignitas vero neutrum horum habet, sane continget finitionem, & dignitates magis inuicem differre, quam reliqua inter se Principia. Siquidem præter hæc duo, quibus cum suppositionibus communicant, etiam tertium adest, quod nihil finitio enunciat; at dignitates semper esse, vel non esse affirmant.

NON contingere autem simul affirmare, & negare, nulla Demonstratio accipit, præter quam si oporteat demonstrare conclusionem sic. Ostenditur autem accipientibus primum de medio verum esse, negare autem non verum: medium autem nihil refert esse, & non esse accipere; similiter autem & tertium: si enim datum est de quo hominem verum est dicere, si & non hominem verum; nisi solum hominem animal esse, non animal autem non: erit enim verum dicere Calliam, si & non Calliam, tamen animal, non animal autem non. Causa autem, quoniam primum non solum de medio dicitur, sed etiam de alio, propterea quod est in pluribus. Quare neque si medium & idem est, & non idem, ad conclusionem aliquid confert. Omne autem affirmare, vel negare quæ est ad impossibile Demonstratio accipit, & hæc non semper vniuersaliter, sed quantum satis est: sufficit autem in genere. Dico autem in genere, vt circa quod genus Demonstrationes fert, quemadmodum & prius dictum est. Communicant autem inuicem omnes Scientiæ secundum communia. Communia autem dico, quibus vtuntur tanquam ex his demonstrantes, sed non de quibus monstrant, neque quod monstrant. Et Dialectica omnibus, & si aliqua vniuersaliter ten-

Cont.82. Cont.83. Cont.84.

tet monstrare communia: vt quod omne affirmare, vel negare: vel quod æqualia ab æqualibus; vel talium nonnulla. Dialectica vero non est ita determinatorum quorundam, nec generis alicuius vnius; non enim interrogaret; Demonstrantem enim non est interrogare, eo quod oppositis existentibus non monstratur idem; ostensum est autem hoc in libro de Syllogismo.

Pars cont. 85.

PRAELECTIO XXXIV.

QVAEDAM PRINCIPIA CONSIDERANS: & Metaphysicæ atque Dialecticæ conuenientiam, & discrimen insinuans.

Connexio. *Institutum.*

POST quam de dignitatibus in communi, & de cæteris ostensiuis Principijs tractasset, hic quædam aggreditur, quæ ad duo axiomata omnium communissima spectant, de quibus etiam meminerat Quarto Metaphysices. Nam reliquæ dignitates vel pluribus totalibus Scientijs, vel pluribus partibus vnius succurrunt; at hæ sic omnibus Disciplinis fauent, vt nequeant illis carere. Ergo cum duplex se offerat dignitatum genus; vnum earum existit, quæ simplices dicuntur, vt omne totum est sua parte maius; alterum uero illarum, quæ compositæ, & contradicentes, ipsis in uniuersum detectis, post quam haud restat de simplicibus dubitandum, adhuc illo se occupat ut de compositis explicet, nimirum distinctim tradens quo pacto sint adhibendæ, tanquam ijs, quæ ob maximum usum, ac difficultatem proprium laborem optant. Contextus in quinque partes diuiditur. Et quidem in primis duabus bina axiomata declarat. In tertia aliqua deducit. In quarta Metaphysicæ designat, & Dialecticæ communionem. In ultima dissidium indicat. Quod attinet ad primam partem primum axioma negans, alterum affirmans existit. Primum illud credimus, De nullo potest idem simul affirmari, & negari; postremum, De quouis potest affirmari, vel negari. Nos a primo ordientes, vt breuiter explanetur, est obseruandum quouis modo assumptum non æque Ostensionem iuuare, sed vt perfecte præstet, sic debet accipi, vt in omnibus facultatibus præter Metaphysicam, & Dialecticam ad id subie-

Dignitatum genus duplex.

Diuisio.

Expositio.

biectum arctetur, quod optamus cognoscere: quo pacto valet dupliciter ingredi Ostensionem, vno modo virtute; alio vero actu. Primum contingit cum non secundum se ad Ostensionem, sed tantum eius vis accedit, nempe in proprijs Principijs splendens, ex quibus ratiocinium constat, quæ cum in omnibus adsit, sic asserimus esse, vt omnes virtute Ostensiones intret. Vltimum succedit si expresse in Ostensione ponitur. At id potest dupliciter dari; vel dignitatem in Ostensione locando, illa verborum forma, qua est proposita, vt si dicamus, de nullo corpore simul moueri, & non moueri est verum; vel certe secundum diuersam formam, dum propositio idem robur, ac significatum seruet, vt omnis homo est animal, & non est non animal, nec aliud enunciant, nisi aliquid de aliquo affirmari, & eius contradicens haud affirmari, sed negari, quod eandem vim tenet, quam dignitas ex verborum forma sumpta. Quæ cum ita se habeant quamuis id Principium omnes ineat virtute Ostensiones, tamen actu paucæ noscunt: quod postremum quo modo agatur, quandoue sit præstandum, adeo obscure docet; vt putemus nullum textum esse in his libris, qui magis angustias inuoluat. Quanquam hæc non retundere, sed debent industriam acuere. Igitur asserimus hoc axioma nullam actu Ostensionem ingredi, *nisi sic indigeat conclusionem monstrare*: id est nisi quis proteruus neget conclusionem, quæ expresse id principium gerat, quo casu est necessario monstranda. Sic autem probe facimus, *accipientibus primum de medio verum esse, negare autem non verum*; scilicet tali modo incedentes, vt in maiori propositione contradictio sumatur ad maius extremum; nam in medio vsurpando, vel in minori extremo, nequit plenam notitiam dare. Ac vt id clare pateat, exemplis illustretur. Et quidem sit hæc conclusio probanda, Callias est animal, & non est non animal, & fiat per medium, homo, *si datum est de quo hominem verum dicere, si & non hominem verum*; id est si ponamus hominem esse, de quo vere animal affirmatur, etiam vere ponemus, si de non homine idem animal affirmabitur. Et hac via vtraque pars erit vera. Quæ verba prorsus nihil denotant, quam si contradictio in medio homine ponitur, haud contradictionis naturam sapit, quæ illud requirit, vt nequeat vtraque pars esse vera. Quare nunquam perfecte fiet, *nisi solum hominem animal esse, non animal autem non*, nempe præter quam disponendo, vt ad maius extremum locetur contradictio. Quod vero non possit in minori extremo re-

Primum axioma dupliciter Ostensionem intrat.

poni, satis illo renidet, quia idem absurdum prodibit. *Nam verum erit dicere Calliam, si & non Calliam*; id est vt vera fuit oratio, quæ habebat medium hominem, & non hominem esse animal, sic pariter vera erit, quæ habebit Calliam, & non Calliam minus extremum esse hominem. *Tamen animal, non animal autem non.* At si contradictio ad maius extremum animal sumitur, nec absurdum emergit, & recte conclusio infertur. Sic autem progressus aget, omnis homo est animal, & non est non animal, sed Callias est homo, Igitur Callias est animal, & non est non animal. Quod si quis optat scire quam ob causam contradictio maiori extremo nectitur, debet cogitare, *quia primum non solum de medio, sed etiam de alio dicitur*; seu ideo fieri quia maius extemum cum ad plura pertingat, tum potest interdum de medio, tum de medij negatione dici. Ergo concludendum quod, *si medium idem est, & non idem, ad conclusionem nihil refert*: id est dum medio contradictio iungatur, nunquam conclusionem inferet, in qua debet exprimi alteram partem veram, alteram falsam esse. Atque hæc de primo negante axiomate. Quod spectat ad aliud axioma missa

Auerroes. Auerrois expositione, tanquam parum vero quadret, dicimus Philosophum notare quomodo sit dignitas adhibenda, quæ in affirmatione consistit; est autem, de quouis verum est asserere, vel negare. Ergo id Principium est dispositum, vt semper actu Ostensionem, & necessario intret, quæ ad incommodum ducit. Ac vt facile pateat est obseruandum binas Ostensiones dari. Primam ostensiuam uocant, & constat ex necessarijs propositionibus, ac triplicem progressum continet. Alteram ad incommodum ducentem; quæ non decet ab re credi si parum attingamus quo modo sit concinnanda. Et hac uia noster textus patebit. Ergo ei, qui cum dissetimus id Principium proponatur, nec sane quo quo pacto acceptum, sed materiæ restrictum, quam uolumus cognoscere, uti in hoc exemplo succedit, uel nullus homo est risiuus, uel quidam homo est risiuus; tunc si postremum neget, debet primum necessario concedere; quo facto id loco maioris sumentes, & minorem addentes uel manifeste ueram, uel adeo munitam, ut nihil sit dubitandum, uel saltem ab illo concessam, cum quo est disputatio, protinus conclusio erumpet, cui clare falsitas inerit. Sic uero ratiocinium perget, Nullus homo est risiuus, sed omne animal rationale est homo, igitur nullum animal rationale est risiuum. Certe cum hæc conclusio, palam falsitatem præferat, etiam contingit

tingit alteram positionem esse necessario falsam. Nam, vt alias diximus, nunquam ex vero falsum legitur. Quare vel maior propositio, vel saltem minor erit falsa, ultimam dedecet asserere, sed fuit positum ueram esse, ergo primam dicemus; & hac uia eius contradicens, nimirum quidam homo est risiuus, quam negabat, debet uera censeri, quod erat Ostendendum. Ex quo progressu refulget haud ad incommodum Ostensionem duci, ni hoc Principium sit expressum. Addit autem Philosophus, *non semper vniuersaliter*, accipi, ob primam Philosophiam, & etiam Dialecticam, in quibus disciplinis hæ dignitates ex summa latitudine, quam obtinent sumuntur, alioquin succedet vniuersalissimas facultates proprijs Principijs carere, quod absurdum creditur, quæ simul debent esse vniuersalissima. At in cæteris Scientijs sunt vsurpanda, vt cuiusque proprio subiecto ligentur. Docet id cum ait, *sufficit autem in genere*; *dico autem in genere vt circa quod genus fert Ostensiones*. Quæ omnia ex præcedentibus patent. Hisce sic indicatis quædam restant colligenda, quæ ex adhuc dictis pendent. Et quidem primo colligitur omnes Scientias habere, vt secundum communia communicent; *dico autem communia, quibus vtuntur, vt ex his monstrantes*. Quæ verba idem indicant, ac omnes Scientias in ordine ad hæc Principia sumptas, rite inter se coire. Nam cum inuicem Scientiæ concordent, nec ex parte subiectorum queant, *de quibus monstrant*, sed debeant sic propria poni, vt considerandi modus diuidat; nec etiam respectu affectionis, quam, *demonstrant*, plane succedit, tantum in his dignitatibus concurrere. Quanquam non intelligimus quasi possit quouis pacto accipi, sed cum hæc Principia dupliciter sumantur, vno modo secundum se, & in sua vniuersitate, alio addicta Scientiarum subiectis, hic solum primo pacto vsurpamus, qua ratione ex propria natura omnibus facultatibus competunt. Cum vero sic fuerint arctata, vt solum attendant peculiare subiectum, tantum abest vt inter omnia vagentur, vt determinato generi dedita, nequeant ad alia spectare. Præterea colligitur eas Disciplinas, quæ hæc Principia considerant, vt in tota amplitudine sumant, etiam ipsas ad omnes Scientias esse communes. Decet illo probare, quia si ea Principia communiter accepta ad omnes Scientias penetrant, si quædam Scientiæ sese dedunt, quæ sic hæc Principia considerant, plane emergit, itidem ipsas cum omnibus communicare. In hunc modum Dialectica habet, *& si aliqua vniuersaliter tentet communia monstrare*, nempe Me-

Primum quod deducitur.

Alterum quod deducitur.

Metaphyfica. Etenim hæc tum errores deturbat, qui circa Principia fiunt,tum illorum certitudinem conuincit, quod ibi Philosophus præstabat. Loquitur vero cum conditione,vt significet nun quid talis Sapientia detur haud præsens negocium cunctari, sed aliæ contemplationis esse. At quamuis hæ facultates in hoc concordant,tamen inter se dissident, quod Metaphyfica sic in omnes Scientias manat,& circa idem se occupat cum Dialectica,vt definitum genus agnoscat. Huius Auerroes dat rationem, quia Metaphyfica ens ad determinatum modum restringit, illud solum tanquam ens considerans,quo pacto sic ab alijs segregat,vt nec vllum commercium gerant, & proprium subiectum constituat. Nam cum ex ijs per se procedat,nunquam tute præbebit, ni considerandi modum seruet,per quem distincte a cæteris finiat, & ostendat. *Dialectica vero non est ita definitorum quorundam, nec generis alicuius vnius*. id est nec determinatas affectiones, nec proprium subiectum habet,sed libere per omnia exultat. Nam cum non ex illis per se, sed tantum ex probabilibus discurrat, nullum statum modum optat, sed in eo quiescit si circa ens se occupet pro ut quandam probabilitatem tenet. Quod minus accipimus quasi vere modum signet, sed magis Disciplinæ conditionem,vt Philosophus docet 4. Metaphyficæ textu 5. vbi etiam Alexander. Et hæc ratio existit cur Dialectica vt a quouis modo distinguitur, qui proprie Scientijs competat, tamen haud de probabili succedit, tanquam illo,qui ad omnes Scientias penetrat; ob quam rem aduersarium interrogat, ipsum per contradictionem inuitans, atque adeo proponit,vt quam partem velit concedat,ex quo dehinc deducat, quod probabilitatem continet. *At demonstrantem non est interrogare, eo quod oppositis existentibus idem non monstratur*; Sed cum addiscens circa veri notitiam versetur,quod est vnum,nequit quæuis Principia capere,sed vt quæsitum, & conclusio sunt determinata,sic debent Principia esse, per quæ nobis pateant. Nam dum indistincte sumit,nec magis vnum,quam alterum oppositum Principium, tunc non poterit idem ostendi, cum plane ab eisdem pendeat. Sed quis forte dubitabit contra illa,quæ ex Philosopho stabiliuimus. Et quidem primo mancus videtur in communibus Disciplinis percensendis,quæ per totam entis excurrunt amplitudinem. Illud autem inuitat quia hic, tantum binas facultates notat, nimirum Dialecticam,& Metaphyficam; at Quarto Metaphyficæ, textu 5. vna Sophisticam addit, quæ licet Sapientiam, vel

Dialectica haud certum retinet considerandi modum.

Prima Dubitatio

Opi-

Opinionem, vti primæ duæ non comparet, tamen per deceptionem, Sapientiæ speciem præfert, nec id solum in vna facultate, sed per omnes licenter vagatur. Ad hanc difficultatem concedimus Sophisticam vere morari inter communes Disciplinas; nam cum nullum proprium subiectum, nec considerandi modum gerat, vt Dialectica, ex probabilibus, & communibus, sic hæc ex ijs perget, quæ quandam apparentiam Ostentant. At ex hoc haud decet Philosophum damnare, sed potius dicere eius institutum non esse omnes facultates percurrere, quæ in omnes Scientias peruadunt, sed tantum indicare quasdam Disciplinas dari, quæ nullum entis genus deserunt. Libet etiam addere sub Dialectica Sophisticam complecti, quod credimus alias egisse, sed præsertim primo Elench. Cap. vltimo. Præterea dubium apparet quod asserit Dialecticam haud definitorum quorundam, nec determinati subiecti esse. Nam si hæc solum circa Problemata generis, finitionis, &c. circa etiam probabilem Syllogismum, & id genus alia versatur; si hæc omnia sunt determinata, videtur affirmandum totam determinata tractare. Missis pluribus, quæ possent afferri, dicimus Dialecticam dupliciter sumi, vno modo a rebus auulsam, & separatam, quam docentem nominant; altero copulatam, & immersam, & appellant vtentem; primo pacto instantia procedit, minus tamen postremo: Philosophus in præsenti haud primum, sed postremum intelligit. Demum vix occurrit quonam pacto vero quadret Dialecticum, tantum ex probabilibus progredi, cum potius contingat, vt etiam ex per se sumptis, atque adeo ijs, quæ propria existunt. Sic interdum cernimus non solum discurrere, sed pariter finire. Respondemus non, vt propria capere, & quæ sciens vendicet, sed tanquam communia, & quæ passim approbentur.

Prima solutio. *Alia solutio.* *Secunda Dubitatio* *Solutio.* *Tertia dubitatio.* *Solutio.*

Pars cont. 85. SI autem idem est interrogatio Syllogistica, & propositio contradictionis, sunt autem propositiones secundum singulam Scientiam, ex quibus est Syllogismus, qui secundum singulam, erit utique aliqua interrogatio scientialis, ex
Cont.86. quibus qui secundum singulam proprius fit Syllogismus. Manifestum itaque non omnem interrogationem esse posse Geometricam, neque Medicinalem: similiter autem, & in aliis; sed ex quibus vel monstratur aliquid eorum, de quibus est Geometria, vel quae ex eisdem monstrantur Geometriae, quemadmo-
Cont.87. dum res Prospectiuae. Similiter autem, & in aliis. Et de his quidem, & rationem subiiciendum ex Geometricis principiis, & conclusionibus. De Principiis vero rationem non subiiciendum Geometrae quatenus est Geometra. Similiter autem, & in aliis Scientiis. Neque igitur omnem interrogationem vnusquisque scientificus interrogare debet, neque ad omne interrogatum respondere de vnoquoque, sed quae secundum Scientiam determinata sunt. Si autem disputauerit cum Geometra quatenus est Geometra, sic, manifestum, quod & recte, si ex his aliquid mon stret: sin minus, non recte. Manifestum autem, quod neque
Pars cont. 88. redarguit Geometram, nisi secundum accidens. Quare non licet in non Geometricis de Geometria disputare, latebit enim praue disputans. Similiter autem, & in aliis Scientiis se habet.

PRAE-

PRAELECTIO XXXV.

INTERROGATIONEM DARI, QVAE sit demonstratiua, & Scientiæ apta proferens.

CVM illud ante discrimen inter Dialecticum, & Demonstrantem dederit, quod Dialecticus interrogat, Demonstrans vero, & Scientificus haud interrogat, sed determinate accipit; cernens posse aliquem credere sic Ostendentem habere. vt nulla stet apud ipsum interrogatio, merito hic aggreditur de Ostensiua interrogatione. Et hac via eius distincte naturam noscentes, simul distincte differentia patebit, quam seruat cum Dialectica interrogatione. Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima demonstrat Ostensiuam interrogationem esse dandam. In altera quædam deducit. Quod attinet ad primam partem, in hunc modum ratio pergit, Omnis propositio propria idem est ac propria interrogatio, sed in quauis Scientia sunt propositiones propriæ, Igitur in quauis Scientia propriæ sunt interrogationes. Maiorem positionem insinuat, *Si autem idem est Syllogistica interrogatio, & propositio contradictionis*; Subiectum illa particula notat, *& propositio contradictionis*, nec aliud censetur, nisi altera contradictionis pars, minus quidem omnis, sed ea, quæ maxime ad quandam Disciplinam spectat. Prædicatum vero, *si autem idem est Syllogistica interrogatio*. Et quamuis alias per id nomen nihil aliud signet, præter Dialecticam interrogationem, tamen hic, tantum illas innuit, quæ Ostensiuæ dicuntur, ac propriè conueniunt, tanquam eas, quibus solis Ostensio dependet. Licet id cum ex altera positione, tum quoque eo cernere, quia nunquam id. quod intendit concluderet. Minorem exprimit, *sunt autem propositiones secundum singulam Scientiam, ex quibus est Syllogismus, qui secundum singulam*; Nam, vt antea diximus, in quauis Scientia, propria dantur Principia, per quæ Ostensio constat, quam hic per Syllogismum indicat. Quare probe concludit. *erit vtique aliqua Scientialis interrogatio, ex quibus qui secun*

Connexio. *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.*

Demonstrans conclusionem non interrogat.

dum singulam proprius sit Syllogismus, Et ex his refulget quam a vero dissident, qui contendunt sic Principia interrogari, vt simul ad conclusiones spectet. Nam si tantum creditur scientialis interrogatio, ex qua proprius est Syllogismus, si non ex conclusione qua tali, sed ex Principijs est Ostensio, plane succedit haud conclusionem interrogari. Et quamuis nihil prohibet vtrumque interrogari apud Dialecticum, sed cum circa illa se occupet, quæ probabilitatem gerunt, sic vtramuis partem respicit contradictionis, vt non magis vnam, quam aliam attendat; tamen Demonstrans vna veritate proposita, frustra interrogat conclusionem. At id non decet de Principiis credere, de quibus ideo interrogat, vt magis eorum conuincat certitudinem. Etenim valde refert ad rei notitiam, quam optat quomodo proferantur; quod haud in conclusionem cadit, quæ cum debeat Ostendi, tota certitudo, quam obtinet, a Principijs pendet. Quod si interdum notamus Scientificum monstratam interrogare conclusionem, est attendendum ideo fieri, vt alias conclusiones monstret; quo casu minus, vt conclusio, sed qua Principium assumetur. Atque hinc apparet Ostensiuam interrogationem, quam Scientialem vocat, & positionem Ostensiuam, minus ex rei natura, sed tantum ex proferendi modo differre. Nam dum interrogando, Principium effertur, statim interrogatio; cum vero haud interrogando, positio consistit. Restant modo quædam deducenda, quæ ex adhuc dictis pendent. Et quidem primo deducitur, *Non omnem interrogationem Geometricam, nec medicinalem esse: Similiter autem, & in aliis*, Scientijs, *sed ex quibus vel aliquid monstratur, de quibus Geometria, vel quod ex eisdem monstratur Geometriæ*. Nam, vt prius diximus, cum idem sit Scientialis interrogatio, ac Ostensiua positio, certe succedit, quod ut non omnis positio ad Geometriam, uel Medicinam, sic non omnis interrogatio ad easdem spectabit, sed tantum illa, per quam conclusiones monstramus, quæ uel Scientiæ Geometriæ, uel Medicinæ existunt, aut saltem, *quod ex eisdem monstratur Geometriæ*. Quæ uerba nihil aliud designant, præter Subalternatæ conclusionem, quæ solũ ex subalternantis Principiis claret. Ac sane cum possit interrogatio dupliciter sumi, vno modo in ordine ad principalem, & Subalternatem; alio ex parte minus principalis, & Subalternatæ; quouis pacto accipitur, haud decet Prospectiuam, & minus principalem, sed Geometricam dicere,

Quo pacto etiam Demonstrans interroget conclusionem.

In quo scientialis interrogatio, & propositio Ostensiua dissidant.

cere, nempe Subalternantis nomine. Huius rei ratio se effert, quia ut modus considerandi Subalternatæ idem cum modo Subalternantis creditur, & solum per quoddam accidens distant, sic debent eadem Principia credi, quæ præsertim ex modo considerandi sumunt esse. Et hac uia erunt a principali Scientia nominanda, a qua maxime dependent. Quod si interdum accidat, ut quis disputans non interrogatis quiescat positionibus, sed earum causam quærat, tunc asserimus, *ex geometricis Principiis, & conclusionibus rationem subiiciendam*; nempe si causam habent, ex qua possint ostendi in ea Scientia. Nam sæpius contingit, ut illa pro Principiis sumamus, quæ priora Principia tenent, & in Scientia pendent, quo casu nunquam plenam notitiam dabunt, ni per talia Principia noscantur. Addit uero, *& conclusionibus:* ob eas conclusiones, quas cum per alia priora nouerimus Principia, tute in eadem Scientia sumentur; ut Principia, quæ infra se habent monstrent. Ac uelut respectu superiorum gerunt uicem effectus, sic in ordine ad inferiora, causæ locum occupant. At id nunquam fieret de primis cuiusque Scientiæ Principiis, sed ut sunt in Scientia, simpliciter prima, sic ibi a nullo pendent, & nequeunt ostendi. Hoc Philosophus innuens dicebat, *de Principiis rationem haud Geometræ qua est Geometra subiiciendum*, sed tantum Metaphysicum, uel Dialecticum præstare; aut certe Metaphysici habitum, uel Dialectici indutum, quo pacto nihil impedit prima cæterarum firmare facultatum Principia. Præterea deducitur, *quod non debet quiuis scientificus interrogare omnem interrogationem, nec ad omne interrogatum de unoquoque respondere.* Nā si quęuis Scientia proprium subiectum noscit extra quod non uagatur, si interrogationes, & Principia, solum ex modo considerandi sumuntur, prorsus emergit, nec apposite de re quauis interrogare, nec ad quoduis interrogatum respondere, sed optime incedet dum in illis persistet, *quæ ex Scientia sunt determinata.* Et ne ab exemplo discedamus, *si cum Geometra disputet*, tunc omnia succedent, cum sic se gerat, ut non modo cum eo pertractet, *prout est Geometra*, nimirum nunquam a Disciplina, quam profitetur recedens, sed simul ut, *ex iis aliquid monstret*, Principiis, quę maxime ad Geometriam pertinent. Nam si interdum neutrum facit, sed Principia ab altera Scientia mutuatur, tali casu, *haud Geometram redarguit nisi secundum accidens*; id est tantum per accidens conuincit, & prout potest dari; ut non solum sit Geometra, sed etiam Disci-

plinam calleat, ex qua Principia duxerit. Quare concludendum minus licere, *in non geometricis de Geometria differere.* Quę uerba accipimus ut nequeat de Geometria disputatio erigi in illis, quę nunquam ad Geometriam spectant. Et hac uia tum non Geometra a Geometrica disputatione, tum quoque Principia, & conclusiones arcentur non Geometricę. Nam si quid ex his desit, sic eum cum quo differit, *Latebit praue disputans,* ut quamuis perpetuo decipitur, tamen nil pro dignoscendo superfit, in quibus eludatur. Quod autem de Geometria diximus decet ad reliquas

Primum quod deducitur. Scientias transferre. Et ex his comprehenditur dum Philosophus negabat Demonstrantem interrogare, minus posse accipi, quasi nullo modo interroget, sed vt solam interrogationem excludat, quę illi, qui cum differit optionem tribuit, indistincte concedendi vtram partem contradictionis optet, quod tantum Dialecticus

Alterum quod deducitur. permittit. Pręterea comprehenditur vt tute disputatio pergat, tria necessario requiri. Primum se offert, vt inter eos versetur, qui eandem Scientiam sectantur; alioquin continget, vt diuersis rebus dediti, nunquam ad quicquam determinandum concurrant sed vt considerandi modus, & forma, in qua totum est rei esse, Scientias distinguit, sic distincta congressio prodibit. Alterum se offert vt de ijs fiat, quę eandem Scientiam noscunt. Nam si de rebus esset alterius Scientię, idem absurdum erumpet, ac si inter illos cadat, qui diuersam Scientiam testantur. Nec Naturalis de affectionibus rite differet, quę ad Geometriam spectabunt, nec contra Geometra de ijs, quę ad Naturalem Philosophiam. Postremum se offert vt in disputando eiusdem sumantur Scientię Principia, ex quibus differens Ostendat conclusionem.

Pars cont. 88. *QVONIAM autem sunt Geometricæ interrogationes, sunt ne etiam non Geometricæ? Et iuxta singulam Scientiam, quæ sunt secundum ignorantiam, secundum qualem Geometricæ sunt? Et Syllogismus, qui est secundum ignorantiam, est ne Syllogismus, qui fit ex oppositis, an paralogismus, secundum Geometriam vero? An ex alia Arte, cuiusmodi est Musica, interrogatio non Geometrica est de Geometria? Existimare autem parallelas concurrere, Geometricum est quodammodo, & non*

Cont. 89. *Geometricum alio modo. Duplex enim est hoc, quemadmodum irrhythmicum; & alterum quidem non Geometricum, eo quod non habet, sicut irrhythmicum; alterum vero eo quod praue habet; & hæc*

igno-

ignorantia, quæ ex talibus fit principiis, contraria est. In disciplinis Cont.90.
autem non est similiter paralogismus, quia medium semper est duplex; etenim de hoc omni, & hoc rursus de alio dicitur omni; quod autem prædicatur non dicitur omne. Hæc autem sunt, ac si intellectione viderentur. In rationibus autem latet. nunquid omnis circulus est figura? si vero descripserit, manifestum est; quid autem, sunt ne carmina circulus? manifestum est quod non sunt. Quia textus 91. magis Cont. 91.
133. quam 90. lectatur, ideo Themistio subnixi, illuc reiecimus.
Contingit autem quosdam non Syllogistice dicere, eo quod illa, quæ Cont.92.
vtrumque consequuntur accipiunt; quemadmodum & Cæneus facit, quod ignis in multiplicata proportione; etenim ignis celeriter gignitur, vt ait; & hæc est proportio. Sic autem non est Syllogismus, nisi celerrimam proportio sequatur multiplex; & ignem celerrima in motu proportio. Aliquando igitur non contingit ratiocinari ex acceptis; aliquando autem contingit. sed non videtur. Si autem impossibile esset ex Cont.93.
falsis verũ monstrare, facile vtique esset resoluere, conuerteretur enim ex necessitate; sit enim A. existens, hoc autem existente hæc sunt, quæ noui quod sunt, vt B. ex his itaque monstrabo, quod illud est. Conuer- Cont.94.
tuntur autem magis, quæ sunt in disciplinis, quoniam nullum accidens accipiunt. sed & hoc differunt ab iis, quæ sunt in disputationibus, sed definitiones. Augentur autem non per media. sed eo quod assumunt vt A. de B. hoc autem de C. rursus hoc de D. & hoc in infinitum. Et in latus, vt A. de C. & de E, vt est numerus quantus finitus, vel infinitus, hoc in quo A. in par numerus quantus in quo B. numerus impar in quo C. Est igitur A. de C. & est par quantus numeru sin quo D. par numerus in quo E. est igitur A. de E.

PRAE-

PRAELECTIO XXXVI.

INTERROGATIONEM REPERIRI quæ nec sit demonstratiua, nec Scientiæ idonea prodens.

Connexio. SED non satis erat indicasse, etiam ostensiuas interrogationes, & cuiuis Scientiæ aptas dari, quod hactenus confecit, ni pariter exponeret quamlibet Scientiam habere interrogationes, quæ nec ostensiuæ, nec Scientiæ commodæ censentur. *Institutum.* Id in præsentia obseruans, sic diligenter præstat, vt nihil restet optandum. *Diuisio.* Contextus in tres partes diuiditur. Et quidem in prima tres quęstiones proponit. In altera dissoluit. In tertia adæquatam affert rationem cur omnis error in dialecticis rationibus, haud in contemplantibus consistat. *Expositio. Primus nodus.* Quod attinet ad primam partem illud primum se offert, num vt omnes Scientiæ maxime proprias tenent interrogationes, sic debent non proprias tenere. Et ne longius vagemur, decet in Geometria cernere, quæ vt geometricas habet interrogationes, tamen adhuc dubium manet, vtrum etiam habeat non geometricas. Quod si aliquis opponat hanc difficultatem textu 86. fuisse conclusam, ac proinde abundans repetere; illud debet notare, ibi tantum afferi, *non omnem interrogationem geometricam, nec medicinalem esse*, quod pariter de cæteris indicat Scientijs, nunquid vero in omnibus Disciplinis haud propriæ, ac conuenientes adsint, & quæ debeant poni, solum hic stabilit. Quare minus vna, sed binæ dubitationes erunt. *Secundus nodus.* Alterum se offert, *& iuxta singulam Scientiam, quæ sunt secundum ignorantiam, secundum qualem sunt geometricæ?* quæ verba nihil aliud denotant, nisi quamuis ex ignorantia, & praue interrogationes formemus, quæ in quauis Scientia comparent, tamen non ne vnquam habebunt, vt præter errorem vocentur illius Scientiæ nomine? velut si fuerint in Geometria conditæ, ipsius Geometriæ nomine, &c.? *Tertius nodus.* Postremum se offert, *& Syllogismus, qui est secundum ignorantiam est ne is Syllogismus, qui ex oppositis constat, an paralogismus, secundum Geometriam vero?* tanquam significet, num secundum ignoran-

tiam

tiam Syllogiſmus, qui interdum ſolet erigi in Scientijs, & illarum nomine ornari, *ex oppoſitis*, fiat, id eſt falſis Principijs, & poſitionibus, vel certe totus error haud in materiam, ſed in formam refertur, quo pacto paralogiſmum appellant? Sic Geometria Syllogiſmos præſtat, qui licet ignorantiam, & falſitatem præferant, tamen cum ex Geometria ſtructos, tum quoque geometricos dicimus. cuius cauſa in quem ſit referenda, adhuc anceps apparet.

Vt his dubitationibus ſatisfiat eſt attendendum binas ignorantias dari. Vnam puræ negationis, ac ſimpliciter talem; Alteram prauæ diſpoſitionis, & ſecundum quid nominant. Primo modo putatur, quam aliquis habet, dum nullam rei notitiam tenet, ſed quaſi eraſa tabula nihil eſt de re inſculptum; poſtremo illa, quæ licet iunctam cognitionem gerat, tamen ſic praue accedit, &, *ex talibus fit Principiis*, vt contraria ſit Scientiæ, nec ſit iure Scientia, ſed magis ignorantia credenda. Hinc arhythmon ſic omnem motionis negationem in manibus, vel pedibus pro agendiſchoreis, vt eorundem ſignet deprauatam motionem, quod non ſolum ijs accidit, qui nullo modo ſaltant, ſed itidem illis, qui minus nauiter præbent. Hiſce tali pacto indicatis, vt diſtincte res procedat, ad primam difficultatem dicitur; *An ex alia Arte cuiuſmodi eſt Muſica, interrogatio eſt non geometrica de Geometria?* Scilicet vt ex Muſicis interrogatio, vel ex alia Diſciplina ſumpta, quantumuis in Geometria fiat, nunquam decet geometricam vocare, ſed ad puræ negationis ſpectat ignorantiam, ſic videtur affirmandum de omnibus interrogationibus, quas de vna ad aliam transferimus diſparatam Scientiam. Et hæc de prima dubitatione. Nam ſi de rebus ad Geometriam ſpectantibus, & de proprijs conſtant facultatis terminis, haud ſunt tanquam alienæ pellendæ, ſed ex parte vt propriæ Artis interrogationes, at ex parte vt non propriæ credendæ. Sic, *cenſere parallelas concurrere geometricum eſt quodammodo, & alio modo non geometricum*. Ac ſane qua de rebus ad Geometriam pertinentibus conſtat, rite poteſt geometricum dici; quia vero haud ſecundum Geometriæ veritatem, ſed perperam conflatur, ſimul licet vocare non geometricum, & prauæ diſpoſitionis ignorantia affectum. Qua via alteri dubitationi eſt occurſum. Quod attinet ad tertiam difficultatem, quæ in eo verſatur, num ex ignorantia Syllogiſmus, qui ſolet in Scientijs erigi, & illarum nomine ſignari, id ex materia habet, vel certe totum errorem non materiæ, ſed formæ aſcribimus; reſpondetur in Mathematicis

Ignorantia duplex.

Primi nodi ſolutio.

Secundi nodi ſolutio.

Tertij nodi ſolutio.

&

& contemplantibus, non cadere, vt si parum notamus, *similiter sit paralogismus*, id est secundum ignorantiam Syllogismus, qui formæ vitium præfert, vt is adest secundum ignorantiam, qui ex falsis Principijs pendet. Primum, ut Philosophus firmet haud per omnia paralogismi genera, sed, vt recte D. Thomas, solum per eos inducit, quibus maior difficultas inest; tales vero secundum æquiuocum, & fallaciam consequentis putantur. Et quidem in primo paralogismum excludit, qui in dictione consistit; at in altero illum, qui extra dictionem. Quo pacto succedit, vt cum omnes ad hæc duo spectent, nihil sit iure optandum. Ac vt a primo ordiamur, eo cum Scientijs non communicat, *quia medium est semper duplex*, nempe bis in positionibus sumitur. Etenim maius extremum, *de hoc omni*, medio in maiori positione, & *hoc iterum de omni alio dicitur*, re, & significatione, quod minoris subiectum componit; hęc autem nequeunt esse in paralogismo ab ęquiuoco. Ideo vero addit, *quod autem prædicatur non dicitur omne*, vt nobis insinuet quam ob causam contendat vniuersitatis signum, tantum medio, & minori extremo adiungi, nec non vna recordemur notam vniuersalem, nunquam quæstionis prædicato, sed subiecto, & medio connecti. Ratio vero debet esse, quia non solum falsum profertur, nec valet positio stare, vt cum dicimus, equus est omne animal, sed etiam quia licet verum enuncietur, tamen nullam vtilitatem claudit, quod in positionibus elucet, quas reciprocis terminis struimus, vt homo est omne risiuum. Sed hæc omnia partim ex libris Periherm. partim ex illis Priorum clarent. Neque sane credendum est, ualde Scientias laborare, vt se ab his paralogismis liberent, sed si parum notamus, sic ea cernentur, quæ ambiguitatem gignunt, *ac si intellectione viderentur*. Decet exemplo illustrare, quod etiam primo Elench. tradit; nam si Sophista inquirit, *nunquid omnis circulus est figura*? & statim Geometra concedit, sic potest aduersarius progredi, omnis circulus est figura, sed quædam carmina sunt circulus, Igitur quædam carmina sunt figura; tunc Geometra satisfaciet, dum paruam diligentiam adhibet. Et quidem memoria tenens, quid per circulum intelligat, nimirum figuram planam vna linea comprehensam, & c. nec recte aliud in sua scientia indicare, non minus Mente peruidet carmina non esse circulum, & minoris falsitatem, quam reliqui oculis cernerent si in abaco descriptum viderent. Diximus vero, dum paruam diligentiam adhibet, quando si nulla cura affertur, vt in tradito exemplo, ex Philosophi prę-

ceptis

ceptis adepta, breui in paralogiſmos labimur. Hoc autem dedecet credere de altero ignorantiæ Syllogiſmo, tanquam illo, qui vt falſis poſitionibus pendet, & quorum ardua cognitio comparet, ſic licet magna cura ponatur, tamen ægre ab ipſo expedimur. At quamuis hæc omnia de contemplantitibus Scientijs ſint vera, tamen nequeunt deprehendi, *in rationibus*, & dialecticis progreſſibus. Nam cum Dialecticus per omnia excurrat, nec magis ſit vni, quam alteri Diſciplinæ deditus, ſed æque ſuam fundat liberalitatem, tum debet omnes notiones tenere, tum ad omnia paratus eſſe. Ex quo contingit, vt breui in paralogiſmos incurrat. Et ne ab exemplo diſcedamus, ſi ei traditum proponitur argumentum, cum ſciat, ſic circulum in carminibus eſſe, vt pariter ad figuras penetret, ſe vero ad quoduis promptum oportere, facile in æquiuocum impingit; quod cæteris facultatibus non accidit, tanquam illis, quæ in vna vocis notione quieſcunt. Atque hæc de omni fallacia in dictione quam in paralogiſmo ab æquiuoco expreſſit. Quod autem in proprie Scientijs nec ſit fallacia extra dictionem, quod erat alterum propoſitum, ante quam manifeſtet, primo nos admonet quo modo debet paralogiſmus formari, qui ſecundum fallaciam habet conſequentis, poſtea declarat in Diſciplinis non eſſe. Et hac via omnem paralogiſmum excludit, qui extra dictionem verſatur. Igitur, *contingit quoſdam haud ſyllogiſtice dicere, propter id, quod vtriuſque accipiunt conſequentia*. Quæ verba nihil aliud denotant, niſi quoſdam inueniri, qui rectam Syllogiſmi formam linquunt, quia ſic medium in poſitionibus aptant, vt vtrumque extremum ſequatur; quo pacto debet neceſſario in ambabus affirmari. Nam tunc probe dicimus prædicatum ad ſubiectum conſequi, cum vniuerſe de ſubiecto affirmatur. Quare ſi id in vtriſque fiat, Syllogiſmus emerget, qui in Secunda figura ambas affirmantes geret. Sic Cæneus putans tute ratiocinari, nihil amplius attendens tentabat oſtendere ignem, *in multiplicata proportione*, gigni, nempe in maiorem quantitatem, quam illud exiſtat, ex quo ipſe deducitur. Poteſt in ſtuppa cerni, quæ vt paruam molem geſtet, tamen dum ſtuppæ confertur, haud paruam flammam præbet, ſed perpetuo maiorem. Sic vero Syllogiſmum formabat. Quod gignitur in multiplicata proportione, celeriter gignitur, ſed ignis celeriter gignitur, Igitur ignis gignitur in multiplicata proportione. Maior propoſitio ex parte ſignatur cum ait, *& hæc eſt proportio*. Minorem totam exprimit, *nam ignis celeri-*

leriter gignitur. At quamuis hæc argumentandi ratio queat interdum ſtare, tamen non ſemper ſuccedit, ſed tunc ſolum, dum reciprocis terminis fingitur, nec vnus alterum excedit, ſed inuicem ſectantur. Haud ſic de Syllogiſmo cenſendum, velut eo, in quo nec, *celerrimam multiplex proportio ſequatur*, id eſt maior in terminis non vertitur, nec, *ignem celerrima in motu proportio*, quod minorem indicat; quę ſane ſi adeſſent, cum progreſſio rite ſtaret, tum locum in Scientijs teneret. Ac quamuis prima fronte, *non videntur*, cum recta forma actu careat, tamen illam potentia obtinet, & ad primam figuram transfertur. *Ergo aliquando contingit ex acceptis non ratiocinari, aliquando vero contingit*, modo adhuc attacto. *Si autem eſſet impoſſibile ex falſis verum monſtrare, vtique facile eſſet reſoluere*. quo loco miſſis varijs expoſitionibus, vt parum forte commodis, putamus vniuerſalem rationem tradi cur dialecticis argumentis non ſolum in dictione paralogiſmus, ſed ſimul extra dictionem competat, haud ſane Mathematicis, ac reliquis Diſciplinis; ex quo completa pendet dubitationis ſolutio. Nam ſi nunquam poteſt dari, vt verum ex falſis manet, ſed ſemper veritatem poſtulat, certe vt ex veris Principijs concluſio vera infertur, licet prius ignota, ſic itidem Principia ex concluſione inferrentur. Quare facile eſſet in Principia reſoluere, tanquam illa, quæ, *neceſſario verterentur*. Sed vt omnia ſplendeſcant, ſi ipſum, *A. exiſtens*, id eſt vera concluſio ponatur, nec queat verum ex falſis legi, tunc breui ad B. venimus, quod vera Principia denotat, ex quibus vera monſtrabitur concluſio. Quamuis autem hæc Mathematicis, & cæteris Scientijs competant, tamen haud decet de, *diſputationibus*, ac dialecticis argumentis credere; quod ex eo renidet, quia ex medijs pergunt, quæ per accidens debentur, quæ vt plurima ſunt, & contingentia, ſic etiam ægre aduertimus. At Mathematica, *nullum accidens aſſumunt, ſed definitiones*, quæ vnicæ, ac neceſſariæ exiſtunt, & inuicem conuertuntur. Neque ſane negocium præbet quia in Scientijs oſtenſiones multiplicantur; ſi quidem minus contingit, vt in dialecticis rationibus, in quibus ad vnam concluſionem monſtrandam queunt plura media accipi. At in Mathematicis, nunquam media augentur ſed cum vnica affectio, vnicum medium optet; Vel id in, *poſt aſſumendo*, præſtant, quod maxime dupliciter cadit; primo modo vt ſic oſtenſam concluſionem ſumant, vt loco poſitionis adhibeant, & medium fiat pro aliæ concluſionis oſtenſione, quod apud Euclidem cernimus,

qui

qui per primum Theorema ſecundum, at per ſecundum tertium monſtrat; altero vero vt ex priori affectione quaſi ex medio poſteriorem oſtendant, & ſic per A. ipſum B. per hoc autem C. rurſus per C. ipſum D. cognoſcant, *& id in infinitum*, haud quidem vt ſubordinatæ concluſiones, vel affectiones infinitæ adſint, ſed eo pacto vt appareat quamlibet ſubordinatam concluſionem, probe ſic comprehendi. Vel certe, *in latus*, præſtant. Hac ratione A. de C. & de E. commoſtratur. Etenim ſit, *numerus quantus finitus, vel infinitus*, qui maiorem poſitionem indicat, & fingamus A. eſſe, nimirum in ordine ad finitum, vel infinitum, deinde addatur, ſed, *impar eſt numerus quantus*, quod minorem efficit, & ſane quo ad prædicatum per B. at quo ad ſubiectum per C. notatam, plane concluſio erumpit, igitur impar numerus eſt finitus, vel infinitus. Et hac via A. de C. oſtendimus. Idem licet de numero pari, & per idem medium monſtrare. Nam eandem maiorem ſumentes, & minorem iungentes, cuius ſubiectum haud amplius impar, ſed par conſtituat, quod Philoſophus per D. innuit, ſtatim concluſio ſe effert, in qua eadem affectio de pari numero, qui eſt E. dignoſcitur. Et hac via ipſum A. non ſolum de C. ſed etiam de E. fuit oſten ſum, quod erat declarandum. Sed poſſet quis opponere, quaſi haud vero quadret, *illa, quæ ſunt in Diſciplinis*, & contemplatricibus, magis in Principia reſolui, id eſt breui Principia attingi; nam ſi hoc eſſet, tantum abeſt vt quædam ignorantia teneret, vt potius omnium haberemus notitiam, nec quidem plurimis vigi lijs, ſed paruo negocio adeptam; hoc autem quam ſit abſurdum, quantoue labore accedat etiam exigua cognitio, nemo integris ſenſibus ignorat. Reſpondetur noſtram omnem notitiam dupliciter ſumi, vno pacto in ordine ad res, altero vero in ordine ad Mentem, qua rerum Scientiam aſſequimur; quamuis vltimo modo oppoſitio concludat, tamen dedecet primo credere; ſed cum res ad Scientias ſpectantes, certas cauſas habeant, ſic queunt ex ſe noſci, vt nec laborem, nec tempus requirant; quod non ſuccedit in dialecticis rationibus, quæ cum ex propria conditione per omnes Scientias excurrant, & maxime attendant, quæ quandam probabilitatem gerunt, vt hæc valent a plurimis cauſis, & indeterminatis pendere, ſic omnes debent attendere ex ſua natura. Ergo difficile in Dialecticis reſoluere, at in Contemplantibus haud difficile.

Dubitatio

Solutio.

Cont.95. *QVOD vero differt, & Propter quid scire, primum quidem in eadem Scientia, & in hac dupliciter. Vno quidem modo si non per immediata Syllogismus fiat, non enim accipitur prima causa; Demonstratio vero ipsius pro-*
Cont.96. *pter quid per primam causam. Alio autem modo si per immediata quidem, sed non per causam, sed per notius eorum, quæ conuertuntur: nihil enim probibet eorum, quæ vicissim prædicantur, notius aliquando esse quod non est causa, quare per hoc erit Demonstratio; vt quod Planetæ prope sunt, propterea quod non scintillant. Sit igitur C. Planetæ, B. non scintillare, A. vero prope esse: verum autem est B. de C. dicere, nam Planetæ non scintillant, sed & A. de B. quod enim non scintillat, prope est; hoc autem acceptum sit per Inductionem, aut per sensum. necesse igitur A. ipsi C. ineße. quare demonstratum est quod Planetæ prope sunt. Hic igitur Syllogismus non ipsius propter quid, sed ipsius est quod; non enim propterea quod non scintillant, ideo prope sunt. sed quia prope sunt, ideo non scintillant.*
Cont.97. *Euenit autem vt & alterum monstretur per alterum, & erit Demonstratio ipsius propter quid: Vt sit C. Planetæ, B. prope esse, & A, non scintillare; inest itaque B. ipsi C. & A. quod est non scintillare, inest ipsi B. quare & A. ipsi C. & est ipsius propter quid Syllo-*
Cont.98. *gismus, accepta enim est prima causa. Rursus quemadmodum Lunam monstrant, quod rotunda sit, per accretiones; si enim id, quod ita augetur rotundum est, augetur autem Luna, manifestum quod est rotunda. Sic igitur ipsius quod factus est Syllogismus. E conuerso autem posito medio, ipsius propter quid; non enim propter accretiones rotunda est, sed quia est rotunda, ideo tales accipit accretiones. Sit Luna C. rotunda B. accretio autem A. In quibus autem media non conuertuntur, & est notius id, quod non est causa, ipsum quidem quod*
Cont.99. *monstratur, propter quid autem nequaquam. Præterea in quibus medium extra ponitur; etenim in his ipsius quod, & non ipsius propter quid est Demonstratio, non enim dicitur ipsa causa: vt propter quid non respirat paries? quia non est animal, si enim hoc non respirandi causa eßet, oporteret animal esse causam respirandi, vt si negatio est causa vt non sit, affirmatio est causa vt sit: quemadmodum si incommensurata esse calida, & frigida est causa vt non sit sanus, commensurata esse est causa vt sanus sit: similiter autem & si affirmatio est causa vt sit, negatio est causa vt non sit. In ijs autem, quæ sic asignata sunt non euenit, quod dictum est, non enim omne*

animal respirat. Syllogismus autem fit talis causæ in media Figura, vt sit A. animal, sit B. respirare, sit C. paries, omni igitur B. A. inest; nam omne respirans est animal, ipsi autem C. nulli, quare & B. ipsi C. nulli, paries igitur non respirat. Assimilantur autem tales causæ iis, quæ secundum excessum dicuntur, hoc autem est nimis recedendo dicere medium, vt illud Anacharsidis, quod in Scythis non sunt tibicines, quia non sunt vites. Secundum igitur eandem Scientiam, & secundum mediorum positionem hæ sunt differentiæ inter Syllogismum, qui est ipsius quod, & eum, qui est ipsius propter quid. Alio autem modo differt Propter quid ab ipso Quod, eo quod per aliam Scientiam vtrumque consideratur, talia autem sunt quæcunque sic se habent inuicem, ut sit alterum sub altero: ut Prospectiua ad Geometriam & Mechanica ad Stereometriam, & Musica ad Arithmeticam, et Apparentia ad Astrologicam. Fere autem vniuocæ sunt harum Scientiarum nonnullæ, vt Astrologica tum quæ est Mathematica, tum quæ Nautica; & Musica tum quæ Mathematica, tum quæ secundum auditum. Hic enim ipsum quidem quod sensitiuorum est scire, ipsum vero propter quid Mathematicorum; hi nanque habent causarum demonstrationes, & sæpe ignorant ipsum quod, quemadmodum illi, qui vniuersale contemplantur, sæpe nonnulla ex singularibus ignorant, quia non considerant: Sunt autem hæc, quæcunque cum aliud quiddam sint secundum substantiam, vtuntur formis, Mathematicæ nanque circa formas sunt, non enim de subiecto aliquo, nam si de subiecto aliquo Geometrica sunt, at non quatenus Geometrica de subiecto. Se habet autem ad Prospectiuam, vt ipsa ad Geometriam, alia ad eam, vt quod est de Iride, ipsum enim quod Naturalis est scire, ipsum autem propter quid Prospectiui, aut simpliciter, aut eius, qui secundum Disciplinam. Multæ vero ita se habent Scientiæ, quarum vna non est sub altera, vt Medicina ad Geometriam, quod enim vulnera circularia tardius sanentur, Medici est cognoscere, propter quid autem Geometræ.

Cont. 100. Cont. 101. Cont. 102.

PRAE-

PRAELECTIO XXXVII.

IN SPECIES DEMONSTRATIONEM diuidens.

Connexio. ADHVC tum omnes conditiones expressit, quæ insignis Ostensionis principijs com petunt, vt illius naturam tenentes, securè Ostensionem conflemus, tum quoque affectiones, quæ ab his Principijs emanant. Quid vero in præsentia contendat, nonnihil Interpretes diffident. *Opinio quorundam.* Et quidem aliqui volunt eo Philosophum dirigere, vt Scientiam propter quid ab omni quod Scientia diuidat, siue hæc per Ostensionem, siue quouis modo fiat. *Euersio.* Verum hanc opinionem haud valde firmam existimamus. Illud vero maxime hortatur, quia nusquam in his libris sic Ostensionem, nisi hic considerat, at hoc erat præstandum, tanquam id, quod magis ad illos pertinet, quam Scientia. Præterea textu 99. suum institutum indicans dum ea epilogat, quæ tractauit, monet scopum eius esse Ostensionem spectare. *Institutum.* Quare asserimus non sic primum attendendum, vt a nobis cætera linquantur. Id Philosophus cernens, in præsenti se occupat, vt in species Ostensionem secet. Ac licet eandem non habeant præstantiam, nec æque plenam notitiam dedant, tamen tantam omnes præbent, vt Scientiæ gradum constituat. *Diuisio.* Contextus maxime in duas partes diuiditur. Et quidem in prima differentiam attingit inter quod, & propter quid Ostensiones. In altera eandem assignat in ordine ad diuersas Scientias. *Expositio.* Quod attinet ad primam partem, *Quod vero differt, & Propter quid scire.* Quibus verbis apparet in his Speciebus declarandis eandem viam seruari, quam initio tenuit dum primariæ Ostensionis quærebat conditiones; ac velut ibi ex nobilissima Scientia ad nobilissimam Ostensionem duxit, sic hic ex Scientia magis late sumpta, non solum Ostensiones detegit, quæ omnem præstantiam continent, sed etiam illas, quæ ad insignem accedunt. Sic autem ratiocinium habet. Scientia quod ab illa propter quid differt, sed Ostensiones gignunt has Scientias, igitur Ostensiones debent inuicem differre, a quibus hæ Scientiæ pendent. Maiorem positionem tantum indicat, reli-

qua omittit, velut ex prius traditis nota. Neque sane credendum est has Scientias vnica ratione diuersas esse, sed plane duabus inter se distant. *Vno modo si non per immediata fiat Syllogismus*, quod Scientiam præstabit, quæ diuersa erit a propter quid, tanquam illa, in qua haud prima causa relucet, sed vel causa remota, vel certe re quisitum. *At propter quid Ostensio primam causam accipit*, id est eam, quæ non solum prima, sed etiam est immediata. Sic dictio, *immediata*, designat, quod ad perspicuitatem per, *primam causam*, explicat. Quo loco obseruamus loco Scientiæ, nomen, *Demonstratio*, afferre; nimirum vt sit notum cum Scientiam attendi respectu Ostensionis, tum eodem pacto Ostensionem, quo Scientiam distinguendam. Sed posset quis opponere quasi minus vero quadret propter quid Ostensionem semper prima, & immediata sumere: nam quædam Ostensiones occurrunt, quæ vt has causas non optent, tamen haud decet, nisi cum propter quid ponere. Et ne a protritis recedatur, dum risiuum ex discursiuo monstramus, plurimi contendunt, inter hæc admiratiuum dari, nec sane quouis modo, sed tanquam immediatam causam; at rationale sic vtrumque præire, vt simul prima credatur. Respondemus negandum non esse propter quid Ostensionem posse ex causa componi, quæ nec prima, nec sit immediata, sed vt in tradendis Ostensionis conditionibus, illam sibi ante proposuit, quæ maximam præstantiam continet, sic hic propter quid Ostensionem a reliquis diuidens, minus quamuis vsurpat, sed tantum eam, quæ in genere primatum tenet. Talis vero putatur, quam ex primis, & immediatis condimus, atque adeo conditionibus, quæ alias fuerunt traditæ. Idem in ab effectu Ostensione præstat, quæ licet non solum possit erigi per mediata, sed etiam quodammodo ex maiori extremo, & medio haud reciprocis, quod ex eo apparet dum ait, *in quibus autem media non reciprocantur*, tamen illam adhibet, quæ vtramque conditionem seruat, cæteras vero tantum innuit. Ac sane miro artificio, nam primis in quouis genere distincte notis, vna reliqua innotent, quæ a primis dependent; at id nunquam caderet, si contrarium egisset. Quod si etiam Ostensionem promit, quæ ex causa effectu magis ampla constat, & valde imperfectam credimus, est attendendum, id non tam præstare pro tali specie recensenda, quam vt errorem detegat, in quem breui laberemur. Nam cum ante patuerit ex causa Ostensionem, propter quid aperire, ob quam rem quis putasset id vniuerse sumendum, ac proinde a causa absolui, quæ

Dubitatio

Solutio.

Cur hic Demonstratio tradetur causam vsurpans effectu latiorem.

magis,

exempla, quasi nec prope esse primam scintillandi causam, nec rotunditas, in Luna accretionem denotent, nam ut sæpius monuit, sed præsertim 2. Physic. textu 38. illa debet prima causa dici, quæ simpliciter est talis, nec superiorem noscit; at prope esse, & etiam rotunditas possunt in naturam Cœli resolui, a qua hæc, ut a prima causa pendent; est obseruandum non multum exempla attendenda, quod passim in his libris refulget, in quibus pro exemplis feruntur, quæ nullam ueritatem gerunt, sed illo quiescendum, si rem, quam tractamus exprimunt. Libet quoque addere causas adduci, quæ primæ sunt in Mathematicis: ac licet apud Naturalem, præcedentem causam cernant, tamen apud Mathematicum sunt dispositæ, ut in Lunæ finitione, & Planetarum sumantur. At quamuis hæc probe inter causam, & effectum succedant, quæ inuicem uertuntur, tamen in quibus haud terminorum est conuersio, sed causa latius effectu patet, effectus uero in notitia excedit causam, *Ipsum quidem quod monstratur, propter quid autem non monstratur*. Nam dum causa magis ambitum occupat, potest interdum per effectum ad causam accedi, sed per causam ad effectum haud potest. Quanquam minus accipimus uelut nullam Ostensionem præstet, sed ut Ostensio tollatur, quæ propter quid existit. Nam cum per talem causam, uel requisitum it ratiocinium, nec prima, & immediata exprimitur, sed prorsus illa, quę, *Extra ponitur*, id est effectum gyro præcedit, tantum Ostensio surgit, quam tertio declarat, & quod appellatur. Nam si quis optat noscere, *propter quid paries non respirat?* Tunc ex eo monstrantes; *quia non est animal*, Solum remotam causam notamus, & quod Ostensio consistit. Decet illo cernere, quia si non animal, *causa esset non respirandi, oporteret animal causam respirandi esse*. Ac velut primæ, & immediatæ vere sunt causæ, hæ vero cum proprijs effectis remeant, sic etiam contingit, *vt si negatio est causa vt non sit, affirmatio est causa vt sit*. Hac ratione si causa cur animal haud sanum degat ad calidum, & frigidum, praue commensurata spectat, certe causa sanitatis ad rectam horum spectabit commensurationem. *Similiter autem si affirmatio est causa vt sit, & negatio est causa, vt non sit*: quorum neutrum de ijs effertur, quæ antea attigimus: etenim, *nec omne animal respirat*,

Prima Solutio.

Altera Solutio.

quod plane requiritur. Neque sane nos perturbet, quia licet necessario sequatur, est risiuum, ergo est sentiens, tamen haud necessario fiet, est sentiens, ergo est risiuum. Nam sic debet Regula sumi, vt tantum veras causas denotat. Potest ex nostro textu deprehendi, quo loco admonet, animal non respirandi causam esse, at id nequit accipi, quasi causam remotam neget, id est quo quo pacto causam, cum expresse affirmet, sed in eum sensum, vt veram causam, atque adeo illam, quæ cum effectu conuersim dicitur. In hunc modum haud sentiens ad risiuum, sed rationale se habet. Atque hinc apparet illum Syllogismùm, qui remotam causam suscipit, tantum in secunda Figura stare. Et ne ab allatis recedatur, si fingamus A. animal esse, B. vero respirare, at paries ipsum C. tali pacto Syllogismus erit; omne B. est A. sed nullum C. est A. igitur nullum C. est B. Sic itidem Anacharsides respondebat eo in Scythia non esse Tibicines, quia nec vites essent. Licet vero sic aptare; vbicumque Tipicines manent, ibi vites consistunt, sed in Scythia vites non consistunt, igitur in Scythia non manent Tibicines. Et ex his fuit detectum inter Quod, ac Propter quid discrimen dum respectu eiusdem Scientiæ sumuntur. Restat adhuc videndum, quo nam pacto se habent si in ordine ad diuersas attendimus. *Talia autem existunt quacunque sunt inuicem disposita, vt alterum sit sub altero*, quales decet credere Subalternas Scientias. Ac quamuis eandem rem, & modum considerandi tenent, tamen cum illa quoddam accidens diuidat, possunt diuersæ vocari. Sic apparet Prospectiuam ad Geometriam, & Mechanica ad Stereometriam habere. Sic etiam Musica ad Arithmeticam, & Apparentia ad Astrologiam; Nam non solum quædam sunt fere vniuocæ, sed pariter omnes dispositæ, vt inferior tantum quod, at superior propter quid monstret. Hac ratione in Musica secundum auditum, & rudi Astrorum notia splendet, quam præsertim Nautæ acquirunt, & a Philosopho Apparentia vocatur, quæ sic idem nomen, & quandam conuenientiam cum vera Musica, & Astrologia seruant, ob quam rem quimus, fere vniuocas dicere, vt itidem illæ solum quod, hæ vero simul propter quid exprimant. Sic etiam debet intelligi de reliquis subalternis Scientijs, tanquam

Quo pacto Regula intelligatur.

ijs,

ijs, quibus, vt haud idem nomen insit, vt in Prospectiua, & Geometria, in Naturali, & Prospectiua; Tamen illo concordant, quia prima nobis quod, altera propter, quid monstrat. Quanquam est aduertendum minus sic accipi, quasi Naturalis Scientia secundum omnes partes, Prospectiuæ subalternetur, sed eo modo vt tantum ex Iridis quæsito, de quo, *ipsum quod*, *Naturalis est scire*, *at propter quid*, *Prospectiui*. Ideo vero addit, *vel simpliciter*, *vel eius qui secundum Disciplinam*, vt insinuet sic Prospectiuam monstrare, vt simul Geometriam cernat. Neque sane putandum est inter has duas Scientias veram esse subalternationem, atque adeo illam, de qua olim conditiones dedimus, sed tantum quandam dependentiam, vt, *Etiam multæ Scientiæ se habent*, *velut Medicina ad Geometriam*: *Nam quod in orbem vulnera tardius sanentur*, *Medici est noscere*, *propter quid autem Geometræ*, nec tamen est vera subalternatio. Adhuc remanet notandum, interdum dictionem, *similis*, sumi, vt plane, *idem*, significet. Decet in nostro textu cernere, dum ait, *Similes autem sunt tales causæ*, quod nos æedem exponimus. Hoc etiam ex primo Ethic. Cap. vltimo patet.

PRAELECTIO XXXVIII.

DE SPECIEBVS, SIVE Demonstrationis Gradibus agens.

QVAMVIS illa, quæ adhuc tradidimus adeo certa videntur, vt nihil poſſit iure timeri, tamen ſi non ſolum rem ipſam, ſed etiam quæ Interpretes dicunt inſpicimus, ſic omnia difficultatibus ſcatent, vt debeat rite factum credi, ſi parum pro ijs laboremus. Nam eſt de Oſtenſionis ſpeciebus tractandum, haud quidem minuta quæque ſectantes, ſed tantum libantes ea, quæ magis neceſſaria putantur, & Philoſophi mentem expandunt, quod perpetuo molimur. Ac vt tandem initium fiat, difficultas exiſtit quot nam Species Oſtenſio ſeruat dum vniuerſe capimus, num ne ſolum Quod, & Propter quid, vel potius tertia accedit, quam Potiſſimam nominant. Sed cum nihil perfecte cadat, ni prius termini patent, ideo antea inclareant.

Quod Demonſtratio quid.

Effectus dupliciter vſurpatur.

Ergo Quod Oſtenſio vocatur, quæ vel per cauſam effectu ampliorem, vel per quoddam requiſitum, vel contra per effectum ad cauſam pergit. Quanquam hic dupliciter ſumitur; Vno modo vt eſt in facultate, & Agentis intentione; alio vero quaſi actu productus, vel iam comparatus. Primo pacto finis rationem gerit, & propter quid Oſtenſionem ſubit, illam vt medium condens; ob quam rem Simplicius, & Philoponus dicebant opera eſſe cauſas, & fines; & Alexander primo de Anima, Capite 9. opus ratione, ac definitione prius eſſe. At vltimo eſt effectus, atque eam conſtituit, quæ interdum ſolet Oſtenſio Quia, ſæpius Oſtenſio a poſteriori, ſigni Demonſtratio, ab effectu, & ſolum vt ſit dici: quæ nomina fuerunt indita ob cauſæ exiſtentiam, quam euoluit.

Propter quid Demonſtratio quid.

Potiſſima Demonſtratio quid.

Altera vero Propter quid, quæ ex cauſa ad effectum properans, illud prius requirit, ut cauſa per effectum ſit nota, & tantum cauſæ dicitur, uel ſecundi gradus Demonſtratio, nec alia ratione, niſi quia ſolum propter quid declarat effectus. At Potiſſima Oſtenſio talem cauſam adhibet, quæ tum effectum eſſe, tum quoque propter quid monſtrat, & iure primi Ordinis,

uo-

uocant, utrumque quæsitum nudantem, ac simpliciter Ostensionem. Hisce in hunc modum prænotis, tute ad difficultatem venimus. Et quidem primus Auerroes censet tres Ostensionis species dari, vnam ipsius Quod; alteram tantum Propter quid; tertiam Quod, & Propter quid simul. Potest varijs probari, sed maxime ex textu 178. dum ait magis certam, & præstantem Scientiam esse, in qua propter quid, & quod dignoscimus, quam illam, qua solum quod, vel certe solum propter quid. Hoc idem etiam nitet ex 2. Poster. 39. quo loco admonet, interdum nosci aliquid esse, & eius propter quid quæri, interdum simul vtrumque patere. Neque sane rationes desunt ad idem firmandum; nam cum Ostensio ex fine distinguatur, quod maxime instrumentis competit, Quæsita vero sint finis, vt hæc tria notantur, an sit, propter quid, & vtrumque simul, etiam succedit tres Ostensionis gradus esse, quas eorum nomine signamus. Prætcrea in Propter quid ostensione conflanda, semper debet vel materia, vel finis, vel efficiens in medio sumi, at id nunquam de insigni Ostensione contingit, tanquam illa, cui tantum forma conueniat. Quare cum hæ duæ Ostensiones distent inuicem natura, quia talia sunt media, si Quod Ostensio additur, quod expresse Philosophus indicat, tres Ostensiones emergent. Demum in potissima Ostensione sic termini cohærent, vt conuersim habeant, nec quicquam inter se excedant: at in tantum Propter quid, tali pacto disponuntur, vt non sit necesse conuertere. Verum hanc opinionem licet passim approbent, tamen haud putamus recipiendam. Nam si probe attendimus quæ 2. Poster. docet textu 16. cum inquit omnem Ostensionem aliquid esse, vel non esse monstrare, nihil restat dubitandum. Hoc idem eodem libro inculcat, præsertim textibus 17. & 33. Neque vero quis contendat se scopulum vitare si affirmet, vel hæc in disserendo protulisse, vel tantum accipere, vt illustrem Ostensionem notet. Nam vt ex conditionibus fit clarum, quas initio recensuit, & adhuc fuerunt patefactæ, hæc nequit negans esse. Etenim dicere hæc disputando efferri, ac proinde magis dubitando, quam stabiliendo, haud aliquid se prodit cur deceat putare, nec alibi determinat, quod huic doctrinæ sit aduersum, sed sæpius adducit, quæ illi plurimum quadrant. Quod autem aiunt textu 178. sic propter quid Ostensionem attingi, vt eam a potissima diuidat, prorsus id negamus, sed solum asserit, magis exactam notitiam esse, qua simul Quod, & Propter quid

Auerroes Opinio.

Damnatur.

Quorundã euasio.

In contrarium allatis occurritur.

quid, quam illam, qua tantum Quod tenemus, nihil amplius de solo Propter quid addens. Vbi vero monet, nos interdum scire aliquid esse, & eius propter quid venari, interdum simul vtrumque patere, respondemus nihil aliud signare, nisi Quod notitiam nonnunquam illa Propter quid esse priorem, nonnunquam simul ambas se edere; at ex hoc nequit inferri Propter quid ostensionem dari, quæ tantum effectus causam, haud eiusdem esse promat. Nam quod attinet ad rationes cum aiunt Ostensiones ex quæsitis distingui, hæc vero tria notari, dicimus dupliciter intelligi, vno modo vt sit Ostensio in tot species secanda quot Quæsita existunt, qua via nec necessitatem claudit, nec tres Ostensionis species essent, sed quatuor pro quæsitorum numero; altero vero vt ex quæsitis, quæ explicant, suam distinctionem sumant, & hoc pacto fatemur, sed nobis nihil officit, qui asserimus omni propter quid Ostensione, pariter quod sit comprehendi; nam si probe attendunt, idem propter quid sit notat, ac rem esse cum propria causa. Quæ omnia inferius patebunt. Dum autem addunt ad propter quid Ostensionem semper tres causas ferri, nempe vel materiam, vel efficiens, vel finem, at ad illam potissimam, tantum formam pollere, vt vltimum concedimus, sic primum denegamus. Et quamuis sit alias conclusum, cum illustris Ostensionis daremus medium, solum pro ea, subiecti finitionem facere, tamen dedecet inferre, quasi nequeant aliæ strui, quæ haud tantam præstantiam habent, sed potius dicendum subiecti formam non satis esse, quod fuit ibi detectum. Ad vltimam rationem, in qua ex terminis differentiam legunt, tanquam excellens Ostensio ex reciprocis constet, cæteræ vero non item; credimus simul hos terminos admittere, nec posse discrimen ex hoc poni. Alteram sententiam Græci tradunt, qui tali modo loquuntur, velut propter quid Ostensio haud diuersum gradum præstet, vt Auerroes testatur, sed omnis quod, ac propter quid explanet. Potest id ex omnibus muniri, quæ contra Auerroem diximus, sed distincte ex 2. Poster. 39. quo loco ait quod si rem per accidens noscimus, id est non per illam causam, a qua maxime pendet, vere haud quod est tenemus; nam licet queat esse, imperfecte comprehendi absque eo vt causa comprehendatur, vt in prænotionibus ad Ostensionem, tamen nequit perfecte præstari, ni simul causa accedat. Hinc Sexto Metaphysicæ textu primo dicebat ad eandem Mentem spectare Si est, ad quam etiam Quid est pandere, nimirum insinuans, tunc vere rem esse

Græcorum Opinio.

esse dignosci, dum quid est dignoscatur, quod cum ex propter quid pateat Ostensione, pariter succedit, vna rem esse patere. At cum pręsens opinio dum rite accipitur valde Philosopho quadret, minus debet ab re credi si parum declaretur cum præsertim ab alijs distemus. Ergo est obseruandum, quod etiam ex Auerroe ducunt, Ostensionem haud esse ad Species vniuocam, nec, si proprie loquimur, Species habere, huius rei ratio putatur, quia solum ijs conuenit, quæ vere sunt Genera, & sic suis Speciebus hærent, vt eodem modo insint; quam ob causam Octauo Metahys. textu vltimo negabat ens inter finiendum poni, tanquam id, quod minus vere genus, sed magis ab vno natura erit. Talis Ostensio se habet, quæ præsertim de vna, cui primo id nomen competit, mox de cæteris dicitur, quæ illam pro viribus imitant. Nam cum vere idem sit monstrare, ac Scientiam largiri, & vera Scientia cre datur, quæ expletam notitiam tradit, id est sic rem explicat, vt prorsus eiusdem esse promat, id vero nequeat dari, ni omnibus adhibitis conditionibus, quas Philosophus notauit, certe erit insignis Ostensio, in qua tales conditiones splendent; at cæteræ magis, vel minus perfectæ pro vt plures conditiones, vel pauciores agnoscent. Eo vero sic testamur, vt appareat haud omnem Propter quid ostensionem, simul Potissimam esse, vt aliqui contendunt, sed tantum illam censendam, de qua tot conditiones tulit, & prius declarauimus. Reliquæ vero Propter quid, licet omnes quod euoluant, & in hoc cum Potissima concurrant, tamen cum non sic perfecte cadat, ob cuiusdam conditionis defectum, nunquam cum primarijs manent, sed tum gradum essentia diuersum a Potissima, tum quoque eodem modo inter se diuersos agent, ob conditionum diuersitatem, quas participant. Et ex his fit notum, probe Auerroem credere Propter quid Ostensionis plures Species esse, at in eo errare, quod discrimen ex quæsitis deducit, tanquam vna quod, & propter quid simul, altera solum quod prodat, in quo satis concordant. Præterea fit notum, recte D. Thomam monere Syllogismum ambis mediatis constantem, si medium sit causa prædicati, vt cum ipso conuertatur, ad Propter quid ostensionem spectare. Potest id præsertim cerni ex 1. Topic. Cap. 1. quo loco habemus, Ostensionem vel ex primis, & ueris pendere, vel certe ex his, quę per prima, & vera fidem sumpserunt. Ratio vero debet esse, quia cum inter maius extremum, & medium is causę ordo adsit, qui valet per se positionem dare, sane nihil oc-

Primum quod deducitur.

Alterum quod deducitur.

cur-

Tertium quod deducitur. currit, cur sit contrario fauendum. Postremo sit notum, tute vnum gradum propter quid Ostensionis, tute quoque diuersos constitui. Et quidem qua omnis propter quid omnibus satisfacit per se quæsitis, & ad omnia pertingit, ad quæ simul potissima, tantum vnum gradum cum illa facit; at quia non pariter pertingit, sed ex conditionibus, quas participant, eo natura distinctos, magis, vel minus perfectos, pro ut ad Potissimam accedunt, in qua omnes conditiones fulgent. *Dubitatio* Neque nobis negocium præbet, quia Philosophus textu 101. docet alias Scientias esse, quæ solum quod, non autem propter quid noscunt; alias vero; quæ sæpe ipsum quod, tamen haud propter quid ignorant; ex quo videtur inferri, minus vero quadrare, Propter quid ostensione, sic quod est detegi, vt per se, ac ex propria natura gerat, alioquin semper præstaret; *Solutio.* nam vt rite quidam monent, quod potest dupliciter nosci, vno modo ex sensu, alio vero secundum rationem; dum Philosophus ait, quasdam Scientias dari, quæ tantum quod tenent, nobis primam notitiam; cum autem addit aliquas esse, quæ illius propter quid, vltimam insinuat. Sed hæc tali pacto est disposita, vt necessario eam quod iunctam seruet, nec quidem sensitiuam, & imperfectam, sed intellectiuam, ac perfectam, & quam antea diximus, nunquam a propter quid distrahi. Sic vocalis Musica, solum sensu, & indistincte noscit numeros sonoros esse: at Musica mathematica, per rationem comprehendens propter quid, simul quod distincte assequitur.

PRAE-

PRAELECTIO XXXIX.

NVM QVOD SYLLOGISMVS cum Ostensionibus restet exprimens.

SENTENTIA Auerrois detecta, simul cum infirmitate, de duplici propter quid Ostensione, atque adeo indicato, probe ad vnam transferri, superest terminandum vtrum quod Syllogismus, vere sit Ostensio, vel certe nunquam ad Ostensiones spectet. Ex quo etiam patebit de Ostensionum gradibus. Nam si hic repellitur, tantum vnus Propter quid erit; si vero excipitur, plane duo emergent. Ac licet quæat redundans videri; talem rem expendere, cum expresse Philosophus inter Ostensiones ponat, tamen ob rationum difficultatem, quæ plurimum exercent, libenter prouinciam suscipimus. Quare præsens labor haud tam initur pro rei determinatione, de qua sumus certissimi, quam pro soluendis difficultatibus, quas summa ingenia proponunt. Et quidem primus Auicenna credidit Quod Syllogismum, nunquam cum Ostensionibus censendum, sed tunc debitum locum tenere, dum inter probabiles Syllogismos manet. Hoc idem videtur Alexander sentire. Nam Ostensionis finitionem pandens, ait quod Ostensionem, Dialecticum syllogismum esse. Potest hæc sententia probari, quia cum omnis Ostensio non solum ex necessarijs, sed etiam ex illis constet perfecte notis, huic vero ratiocinio hæ conditiones desint, nec queat illas habere, certe vix se offert, quo pacto queat Ostensio dici. Maiorem positionem, satis prius declarauimus, sed præsertim in Scientiæ finitione, & textu 51. explanandis. Minor vires assumit, quia inhærendi necessitas, quam accidens retinet, & finitio expandit, tota ex propria causa pendet, ergo cum per nullum quod Syllogismum noscatur causa, nec potest effectum plene nosci, necessariò subiecto hærere. Ac certe quod eam Syllogismo non noscamus, qui per causam incedit effectu ampliorem, illo satis apparet, quia hic progressus talem causam adhibet, quæ cum effectu haud necessarium nexum gerit, quo pacto nec est vera causa putanda, sed nunquam ab ea se diuideret. Sic pro hu-

Auicennæ opinio.

ius Syllogiſmi declaratione animal, quaſi non reſpirandi cauſam ſumebat, at id non ſemper effectui iungitur, ſed ſæpius relinquit. Quod vero nec propriam cauſam a poſteriori Syllogiſmo, id eſt per effectum noſcamus, decet hoc modo firmare. Nam cum cauſæ cognitio in hoc ratiocinio, prorſus ex effectu pendeat, illud continget, vt vel ſit repetitio ferenda, & in minori vt notum ponendum, quod debet in concluſione legi; vel ſaltem neceſſario dandum, intantum cauſam ſe exerere, qua proprijs viribus effectus præſtat; at hic vt imperfecte eſt cognitus, tanquam ille, cuius diſtincta notitia ex cauſa manat, ſic nequit cauſam perfecte promere. Et ex hoc comprehenditur quam acute Auicenna vnica ratione vtramque Oſtenſionem oppugnat. Præterea is Syllogiſmus, cui haud omnes competunt Oſtenſionis conditiones, nunquam eſt Oſtenſio cenſendus, ſic Philoſophus hic expreſſe docet: nam poſt quam Oſtenſionis recenſuit conditiones, ſtatim textu 9. addit, Syllogiſmum eſſe poſſe abſque illis, Oſtenſionem haud poſſe; at nullus quod Syllogiſmus ſe habet, vt tot conditiones noſcat, ſed ſemper quædam ipſum deſerit. Demum 2. Poſter. 39. teſtatur Syllogiſmum, qui ex cauſa non noſcit, tantum abeſse vt quid ſit dignoſcat, vt nec etiam cognoſcat rem eſse, at nullus quod Syllogiſmus veram cauſam adducit, quare probe Philoſophus ſolet Syllogiſmos dicere. Verum hanc opinionem haud valde tutam

Reijcitur.

exiſtimamus. Nam cum res queat, tantum quod ſit noſci, nec ſane quauis cognitione, ſed ex veris ac neceſsarijs, vt inferius patebit; cum etiam inter maius extremum, & medium, cauſæ reſpectus adſit, certe uix occurrit, cur debeat Syllogiſmus, per quem id præſtamus, ab Oſtenſionibus pelli. Quod autem pertinet ad rationes, ſic credimus poſſe reſponderi. Et ad primam dum ait, Quod ſyllogiſmum non eſſe inter Oſtenſiones ponendum, quia nec ex neceſſarijs, nec ex nobis notis conſtat, aſſerimus vtrumque comprehendi. Ac ſane de eo Syllogiſmo, qui per cauſam procedit effectu magis amplam, nihil eſt de notitia nutandum, ſed cum cauſa ex effectu non pendeat, poteſt diſtincte noſci. Nam quod ad neceſſitatem ſpectat, illo ſatis refulget, quia effectus nunquam a cauſa recedit, nec valet ſe diuellere. Sic reſpiratio ſemper animali hæret, & reſpectu effectus neceſſarium nexum ſeruat. Quod ſi e contrario animal, haud ſemper reſpirationi iungitur, ſed interdum eam linquit, minus decet aliud inferre, niſi hunc progreſſum ex parte cauſæ, neceſſarium non eſſe, ſed plena neceſſitate carere,

Rationes aduerſæ eluūtur.

tan-

tanquam illa, quæ terminos requirit conuersim necessarios, quod libenter concedimus. At ex hoc nunquam colligent Ostensionem non esse, sed tantum haud sic perfectam, vt alias non habeat, quę ipsam longe præcellunt. Quod vero pariter ab effectu Syllogismus sit ex necessarijs, atque adeo ijs, quæ fuerunt a nobis cognita, illud satis confirmat, quia cum vel maius extremum, ac medium exposcat, quæ tum reciprocam necessitatem, tum quoque causæ respectum seruant; vel certe illa, quæ inuicem non redeunt, sed latius causa patet, prorsus nihil se effert cur nequeat a nobis præstari. Primo modo per scintillationem Planetas prope esse, & per tales accretiones, Lunæ rotunditatem detexit. Vltimum designat, dum eodem textu 98. monet, *in quibus media non conuertuntur*, posse Syllogismum a signo strui, modo effectus notitia causam excedat; in quibus, si parum attenditur, non solum necessitas inhæret, sed etiam licet non sic nota, vt insignis Ostensio flagitat, quod Auicenna conuincit, tamen tanta cognitione, vt aliquam Scientiam gignat. Ad illam auctoritatem ex textu 9. depromptam, quo loco postquam Ostensionis recensuit conditiones, continuo subdit Syllogismum esse posse absque illis Ostensionem haud posse, dicimus Quod ratiocinium, dupliciter sumi; primo pacto cum illustri Ostensione comparando, de qua ibi conditiones proponit, quo modo aiebat id nomen nulli ratiocinio dandum, cui quædam conditionum desit; altero vero simpliciter, & qua ex necessarijs constat, atque adeo ijs, quæ causæ respectum habent, quod decet satis credere ad aliquem conflandum Ostensionis gradum, & hoc pacto asserimus Quod syllogismum tum Ostensionem esse, tum sæpe hoc nomine vocari. Sic de accidente patet; nam cum ad substantiam refertur, probe non ens dicitur; at dum simpliciter sumimus, recte ens appellatur. In hunc modum Alexandrum exponimus cum ait, quod Ostensionem ad dialecticum Syllogismum spectare. Sic pariter omnes Græcos, cum tali nomine signant. Etenim dum addunt 2. Poster. 39. haberi Syllogismum, qui haud ex causa noscit, nec quid sit, nec quod sit detegere, talis vero est omnis Quod; licet posset hic deseri, cum fuerit alias notatum quid per hunc textum exprimat, tamen ne aliquis optet, est obseruandum Quod notitiam dupliciter capi. Et quidem primo pacto pro ea, quam ex vera causa tenemus, quæ vt debet perfecta censeri, sic nunquam valet venire per quod Ostensionem, sed propriam causam poscit, etiam plene cognitam; alio

Quod Syllogismus dupliciter se habet.

vero pro ea, quæ quamuis ex hac cauſa non pendet, nec tantam præſtantiam poſſidet, tamen illo modo habet, vt non ſolum neceſſitatem claudat, ſed etiam Syllogiſmus, per quem aduenit, Oſtenſionis nomine dignetur. Alteram ſententiam cæteri defendunt, aientes id ratiocinium cum probe a Philoſopho, tum clare in Oſtenſionibus poni. Prima pars eo fit nota, quo contra Auicennam egimus. Poſtrema ex noſtris libris fulget. Sic textu 23. dicebat ex nobis notioribus Syllogiſmum, haud ad ſimpliciter Oſtenſiones ſpectare; quæ verba ſignificant, nunquam ab Oſtenſionibus arcendum, quæ infra potiſſimam conſiſtunt. Sic textibus 96. & 99. ſic itidem pluribus in locis, quos vanum eſſet notare. Ex quibus hæc adeo clarent, vt contrarium teſtari, ſit Soli tenebras ferre. Et ex his deprehenditur, minus verum credendum cum Themiſtius aſſerit ex effectu ad effectum progreſsum, in quod Oſtenſione claudi. Nam ſi ex A. cauſa B. & C. effectus manent, atque id in eodem ſubiecto, licet neuter alterum deſerat, ſed ſemper comitentur, tamen tantam præſtantiam non ſeruant, vt ab vno ad alium progreſſio debeat Oſtenſio dici. Et quamuis in terminis neceſsaria ſit Connexio, quam maxime Oſtenſio poſtulat, tamen inter maius extremum, & medium haud cauſæ reſpectus ſplendet, quem præſertim Oſtenſio attendit, tanquam illum, cui neceſſitatis radix hæret. Præterea deprehenditur quænam ſit nobilior cenſenda, num quod Oſtenſio a cauſa ampliori ad effectum, vel contra ab effectu ad cauſam pergens: nam cum prima, ſi ad viuum ſecetur, nunquam veram cauſam ſumat, ſed potius requiſitum, ex quo ſuccedit, vt nec vera neceſſitas adſit, nec queat affirmans ſtrui; altera uero hæc ſæpe habeat, decet affirmare, ſimpliciter loquendo, ab effectu Oſtenſionem magis præſtantem eſse. Dicimus vero, ſimpliciter loquendo, quia licet inter alias ab effectu, quædam ſe dedant, quæ prorſus omnes præcellunt, ex cauſa magis ampla ſumptas, vt apparet, dum ex immediatis, ac vniuerſalibus conſiſtit, quod contra non contingit, nec vlla per talem cauſam tendens tantam præſtantiam habet, tamen haud eſt negandum quaſdam in vtroque genere dari, quarum neutra alteram ſuperet, ſed magis de dignitate contendant. In hunc modum ſe gerit, quæ pro medio effectum adhibet, cuius illa eſt diſpoſitio, ut minus amplus ſit quam cauſa. Ac quamuis ratione formæ excedat alteram, cum hæc in prima figura fiat, tamen cum illa quodammodo uſurpet cauſam,

Aliorum ſententia.

Primum quod deducitur.

Alterum quod deducitur.

tute

rute ualet cum hac contendere. Postremo deprehenditur re- *Tertium* ctam diuisionem esse, qua omnis ostensio, primo in duplicem *quod dedu* gradum secatur, ex quibus mox varij dependent, modo antea *citur.* notato.

FIGVRARVM autem maxime scientialis est prima, Cont.103. nam, & Mathematicæ Scientiæ per hanc Demonstrationes ferunt, vt Arithmetica, & Geometria, & Prospectiua, & fere, vt dixerimus, quæcunque ipsius propter quid considerationem faciunt; aut enim omnino aut vt plurimum, & in plurimis per hanc figuram ipsius propter quid fit Syllogismus; quare, & ob id erit vtique maxime scientialis, maxime nanque proprium ipsius cognoscere est propter quid speculari. Postea & ipsius quid est Scientiam per hanc solam venari possibile est: in media enim figura non fit prædicatiuus Syllogismus, Scientia autem ipsius quid est, affirmationis est: in vltima vero fit quidem, sed non vniuersalis, ipsum autem quid est, vniuersalium est, non enim homo aliquo modo est animal bipes. Præterea hæc quidem illis nihil indiget, illæ vero per hanc condensantur, & augentur quousque ad immediata venerint. Manifestum igitur quod prima figura maxime ipsius Scire propria est. Quemadmodum autem contingebat A. inesse B. indiuidue, Cont.104. ita, & non inesse contingit. Dico autem indiuidue inesse aut non inesse, eo quod non est ipsorum medium, sic enim non erit secundum aliud inesse, aut non inesse. Quando igitur aut A. Cont.105. aut B. in toto aliquo sit, aut etiam ambo, non contingit A. ipsi B. primo non inesse: sit enim A. in toto C. si igitur B. non est in toto C. (contingit enim A. quidem esse in toto aliquo, B. autem non esse in hoc) Syllogismus erit, quod A. ipsi B. non insit; si enim C. A. quidem omni, ipsi vero B. nulli, ipsum A. nulli B. inest. Similiter autem, & si B. in toto ali- Cont.106. quo est, vt in D. nam ipsum D. omni B. inest, ipsi autem A. nulli ipsum D. quare ipsum A. nulli B. inerit per Syllogismum. Eodem autem pacto monstrabitur, & si ambo in toto aliquo sint. Quod autem contingat B. non esse in quo to- Cont.107. to est A. vel rursus A. in quo est B. manifestum ex seriebus, quæ non commutantur inuicem. Si nanque nullum eorum, quæ sunt in A. C. D. serie, de vllo prædicatur eorum, quæ sunt in B. E F. serie, ipsum vero A. in toto est H. quod eiusdem est seriei, manifestum est,

quod

Cont.108. *quod B. non erit in H. commutaretur enim series. Similiter autem, & si B. in toto aliquo sit. Si vero neutrum sit in toto aliquo, non insit autem A. ipsi B. necesse est indiuidue non inesse. Si enim erit aliquod medium, necesse est alterum ipsorum in toto aliquo esse, aut enim in prima figura, aut media erit Syllogismus; si igitur in prima, B. erit in toto aliquo, affirmatiuam nanque oportet eam, quæ ad hoc, propositionem fieri: si vero in media, vtrumlibet contingit, ad vtraque enim accepto priuatiuo fit Syllogismus; vtrisque autem negatiuis exsistentibus, non erit. Manifestum igitur quod & contingit aliud alii indiuidue non inesse, & quando, & quo modo contingat diximus.*

PRAE-

PRAELECTIO XXXX.

POTISSIMAE DEMONSTRATIONIS formam tradens.

CVM omnis Syllogismus non solum materiam, sed etiam formam optet, ex quibus consistat, insignis vero Ostensio, sit perfectus Syllogismus, merito itidem ipsa, ex perfecta forma constabit. Hinc Philosophus post conditiones detectas, quæ ad Principia spectabant, quod hactenus confecit, & Ostensionis sunt materia, modo formam aggreditur, nec sane vniuerse attendens, nempe qua Demonstratiuum, Topicum, & Sophisticum, atque adeo continet omnia ratiocinij genera, quo pacto in Prioribus præstitit, sed in ordine ad illustrem Ostensionem. Et hac via erunt illa duo aperta, quibus maxime Scientia pendet. At cum ad eandem notitiam spectet, contraria tenere, nec queat vnum distincte nosci, nisi alterum pateat, erat necessarium vt Tractatui de immediatis Principiis affirmantibus, & de præstantis Ostensionis materia, illum adderet, qui negantia immediata rimatur. Eo vero libentius suscepit, quia prius indicauit, a causa remota Ostensionem, negantes positiones habere, ex quo succedit, necessario tradendum, quales nam hæ existant, haud sane negantes in vniuersum; tanquam æe, de quibus fuit alias conclusum, sed ad immediatum, velut differentiam ligatæ. Vt autem magis clareant, nos docet, quæ debent mediatæ censeri. Sic tamen de his tractat, vt breui se expediat. Nam vt negantes Ostensiones, paucæ occurrunt, sic Scientificus, parum tales positiones adhibet. Nos hæc tantum hic tangemus, quantum pro textus cognitione erit satis. Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima Ostensionis formam quærit. In altera immediata Principia negantia. Quod attinet ad primam partem, *Figurarum maxime faciens scire est prima*. Nam cum possit Syllogismus, in triplici figura erigi, non quæuis plenam notitiam parit, sed solum illa, quæ præ cæteris distincte concludit, nec sane omnis eius modus, sed tantum primus. Quare nobilis Ostensionis forma, primus primæ Figuræ modus cre-

Connexio. *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.*

creditur. Decet quatuor rationibus firmare. Et quidem primo in Mathematicis, & omnibus Disciplinis inducentes, ex quibus propter quid tenemus. Nam illa Figura, per quam Mathematicæ, ac reliquæ Scientiæ attendentes propter quid, semper, *fere*, Ostensiones ferunt, maxime Scientijs confert, talis vero est solum prima, igitur solum hæc, maxime conuenit Scientijs. Maior propositio ex se patet. Ideo vero posuit, *propter quid considerantes*, vt practica excludat, quasi ea, quæ propter quid contemnunt, ob quam rem vires experimento sumunt. Addit autem dictionem, *fere*, vt insinuet haud inconueniens esse, si in cæteris Figuris conflentur Ostensiones, minus sane sic perfectæ, sed quæ aliquem gradum tuentur. Sic asserimus, præsertim in secunda componi, quæ propter quid declarant. Minorem confirmat, quia, *vel omnino, vel sæpius, ac in plurimis per hanc Figuram is fit Syllogismus, qui propter quid existit*. Nam cum omnes Scientiæ, quæ propter quid affectant, eum Syllogismum optent, qui valde apte se habet, at hic maxime a prima pendeat, certe contingit hanc præsertim illis succurrere. Præterea perfecta notitia est notitia propter quid, sed contemplantes Scientię, perfectam notitiam quærunt, igitur notitiam propter quid: at hanc vel semper, vel saltem vt plurimum per Syllogismum habemus in primo primæ figuræ modo structum, Ergo hæc maxime, ad Contemplantes spectabit. Et hæc ratio sumitur ex minoris primi Syllogismi probatione, quod expresse refulget cum ait, *quare ob id quoque erit maxime scientialis*. Tertio illa Figura, per quam licet quid est venari, cæteris ad Scientias est aptior, talis vero est solum prima. Minor facile patebit quamque Figuram pendentes. Nam si mediam spectamus, cum in ea non fiat, *prædicatiuus Syllogismus*, sed semper maius extremum de minori negetur, Scientia vero ipsius quid claudat affirmationem, prorsus nihil remanet, ex quo quid notitiam nanciscamur. Hoc idem de Tertia succedit, in qua, vt affirmans Syllogismus confletur, tamen quia nunquam vniuerse, sed in parte concludit, *ipsum autem quid est vniuersalium*, nequit illud euoluere. Atque hinc apparet quo pacto finitio ad vniuersalia, & affirmantia penetret, quod fuit olim negatum. Nam cum possit dupliciter sumi, uno modo in ordine ad finitum, & pro vt ipsi iungitur; altero uero per se, ac disparata, nempe qua in partes essentia resoluta, uel saltem resolutionem gerit, quamuis hoc pacto nec uniuersalis, nec affirmans dicatur, tanquam illa, quæ a po-

Prima ratio. *Secunda ratio.* *Tertia ratio.*

positionibus arcetur, nec locum in eis habet, quibus solis hęc maxime competunt, tamen ex parte finiti, probe ei debentur. Et sane cum de finito prædicetur, ac simul vnam enunciationem præstet, affirmantem vocamus; at quia, *homo aliquo modo non est animal bipes*, id est finitio haud de quodam homine, & de re particulari fertur, sed semper naturam respicit vniuersalem, rite vniuersalem dicimus. Quod pertinet ad vltimam rationem, vt ea clare pateat, est indicandum quid Philosophus denotet, dum inquit, Figuras condensari, & augeri. Quare asserimus hæc maxime corporeis deberi, nec quidem omnibus, sed ijs, quibus interitus inest. Primum præsertim inanimis; vltimum viuentibus assignant. Sic dicitur aliquid condensari, dum partes, magis inuicem iunguntur; tunc vero augeri, cum viuens per externam materiam, quam recipit, maiorem locum implet. At quamuis hæc sint vera, tamen nihil prohibet, quin ob quandam similitudinem, etiam alijs demus. Sic Philosophus hic præstat, qui hæc figuris adaptans, tunc illas insinuat densari, dum post vnum medium alterum sumitur, donec ad proximum venit. Idem videtur de augeri dicendum. Etenim nihil ab hoc diffidet. His in hunc modum prænotis, sic ratiocinium habet. Illa figura quę alias nō optat, sed potius alię ipsam, vt condensentur, & augeantur donec immediata attingant, est reliquarum scientialis, sed per primam cæteræ, *condensantur, & augentur, donec immediata attingant*, igitur prima Figura est maxime Scientijs propria. Minor propositio, in qua dubium videtur, potest breui muniri. Et certe si in secunda sic Syllogismum formamus, vt ex mediatis constet, nunquam poterit ad immediata traduci, ni ad primam transferimus; cuius rei ratio occurrit, quia cum in eo altera necessario aiens, at conclusio semper sit negans, prorsus nihil remanet, vt queat ex se præstare, sed primam Figuram implorat. Quod si illum in tertia ex mediatis condimus, & vniuersalis aiens adsit, nec ex se immediatam faciet, tanquam ea, quæ semper in parte concludit, sed statim ad primam confugiens, probe omnia succedent. Hoc autem dedecet de prima credere, quæ si mediatam positionem, etiam quouis modo continet, haud alterius ope, sed ex proprijs immediatam reddit. Et hæc de prima nostri textus parte satis sit indicasse. Restat vt de altera videamus, in qua immediata indicat Principia negantia. *Quemadmodum autem contingebat A. inesse. B. indiuidue, sic non inesse contingit.* id est vt immediatum adest Principium affirmans sic debet negans adesse. Ex quo fit notum se

Quarta ratio.

velle pandere immediata negantia. At cum nequeat distinctè confici, ni simul pateant negantia mediata, iure hæc primo tangantur, tum ad immediata pergendum. Ac sane quod attinet ad mediata, potest tali pacto signari. *Igitur quādo vel A. uel B. in quodam toto inest, vel etiam ambo, haud contingit A. ipsi B. primo non inesse.* Quibus verbis renidet, tripliciter hanc positionem fingi. Nam si vel prædicatum, vel subiectum, vel certe vtrumq; sub quodam genere constant, nunquam valet ad immediatas, sed tantum ad mediatas spectare. Licet illo munire, quia dum hæc enunciatio ponitur, nullum B. est A. & sub genere C. A. residet, quamuis sub eo non residat A. tamen immediata non erit, sed tali modo habebit, vt per C. quasi per causam pateat. Sic autem ratiocinium perget, omne A. est C. sed nullum B. est C. igitur nullum B. est A. *Similiter vero & si B. in toto aliquo inest, vt in D.* at A. nullum superius noscit, nec positio immediata creditur, sed tunc ex D. monstrabimus, Nullum D. est A. sed omne B. est D. igitur nullum B. est A. vel simpliciter maiori conuersa, sic in secunda figura stabit, nullum A. est D. sed omne B. est D. igitur nullum B. est A. *eodem vero pacto monstrabitur, & si ambo in quodam toto,* plane diuerso, *insint,* qua via facilius succedet. Huius rei ratio apparet, quia cum ex genere poterit sub quo A. tum quoque ex illo, sub quo B. cognosci. Quod autem nihil impediat præstari, sed magis sæpe, *contingat B. non in quo toto est A. vel rursus in quo B. inesse,* abunde se effert si series notamus, quæ summis generibus competunt; nam nequeunt inuicem misceri. Ac quāuis illa, quæ sunt in vna Categoria possint de alijs dici, quę ad diuersam pertinent, tamen hæc prædicatio nec proprie differentiam, nec genus notabit, ac proinde haud essentialis erit. Decet facile cernere ex A. C. D. coordinatione, velut ea, quæ nunquam essentialiter, *de vllo eorum dicitur, quæ in serie B. E. F.* constant. nec A. de B. nec C. & D. de E. ac F. affirmantur; *ipsum vero A. in toto est H.* vt supremo genere, quod non est de B. putandum. Hoc idem contra testamur, *& si B. in quodam toto insit,* in quo nec debet A. poni. Ergo fit notum nihil absurdi sequi dum A. in quodam toto, in quo minus B. & contra B. in quodam, in quo minus A. consistat, sed sæpius contingere, vt prædicatum, & subiectum sub diuersis generibus tegantur, quod erat declarandum. Et ex his refulget quæ immediata negans dicitur. Nam si, *neutrum in quodam toto insit, non insit autem A. ipsi B. necesse est indiuidue non inesse.* Quæ verba prorsus nihil innuunt, nisi ad talis positionis fabricam, binas conditiones quęri. Prima

Quid mediata negans propositio.

Quid immediata negans propositio.

ma exiſtit vt nec maius extremum, nec etiam minus ſub quodam toto vt genere maneant: at poſtrema vt vnum de alio negemus, quam deſignat cum ait, *non inſit autem A. ipſi* B. Quod vero his poſitis, maxime ſit immediata, ſatis illa confirmant, quæ iam fuerunt tradita dum de mediata agebamus. Nam ſi medium haberet, plane fieret alterum extremorum, ſub quodam genere eſſe, ex quo tanquam medio, & a priori poſſet oſtendi. Et quidem ſi in prima Figura, cum tantum liceat agere in ſecundo modo, & minorem affirmantem poſtulet, extremum B. in quodam toto erit. *Quod ſi in media*, non ſolum ipſum B. ſed etiam extremum A. quibit ſub genere eſſe. Nam ſi primum modum inſpicimus, qui minorem affirmantem optat, B. ſub quodam toto ſtabit; at ſi Secundum, ipſum A. tanquam eum, in quo maior eſt affirmans. Quæ omnia ſunt abſurda cenſenda, & ſuppoſito aduerſa, in quo fuit aſſertũ, ſic immediatam negantem gerere, vt neutrum extremorum ſit ſub genere. Neque ſane quis credat vel id medium negari de vtroque extremo, vel nos poſſe in tertia figura præſtare; nam nec pure negantes, probe concluſionem inferunt, nec tertia Figura concludit vniuerſe, quod neceſſarium eſſet. Quæ cum ita ſe habeant nobis comprehenditur, *quod & contingit aliud indiuidue alii non ineſſe, & quando, & quo modo contingit diximus.* At quamuis hæc ſunt certa putanda, & ad mentem Philoſophi tradita, tamen Auicenna vellet poſitionem, cuius neutrum extremorum ſtat ſub genere, haud immediatam eſſe. Id vero valde hortatur, quia hanc ſolum decet credere, in qua ſummum genus de alio ſummo genere negamus, ſed hęc poteſt ex finitione oſtendi. Sic facile monſtratur qualitatem, ſubſtantiam non eſſe, & contra, nempe ex eorum finitionibus. Reſpondetur vt ſumma genera ſe totis diſtant, & ſimplicem naturam obtinent, ſic pariter haud veram finitionem, ſed tantum deſcriptionem admittunt, at hæc non eſt prior natura generibus, Philoſophus vero illa media notat, quæ cauſæ ordinem ſeruant. Præterea aliquis opponet, quia licet detur, minus poſſe finitione oſtendi, tamen dedecet inferre nullam viam adeſſe, ſed per medium accidens facimus. Sic autem ratiocinium perget, nullum accidens eſt ſubſtantia, ſed omnis qualitas eſt accidens, igitur nulla qualitas eſt ſubſtantia. Quæ progreſſio cum poſitionem monſtrat, cuius extrema non ſunt ſub toto, tũ quoque eſt a priori cenſenda, quaſi ea, in qua haud ſubſiſtendi valet conſequentia. Ac licet ex qualitate, neceſſario accidens, tamen non neceſſario qualitas, ex accidente infertur, ſed poteſt aliud ſummum

Prima Dubitatio

Solutio.

Altera Dubitatio

Solutio. mum genus deduci. Missis pluribus, quæ solent Interpretes afferre, nec forte nodum dissoluunt, censemus posse aliquid dupliciter prius dici, primo pacto quia sit vniuersalius, & ad plura pertingat, quo modo ens ad omnes Categorias se habet, cum singulas ambitu excedat; altero vero quia quædam sit natura, quæ illud sub se claudat, & hac via substantia comprehendit animal: ergo quamuis primum nequit negari de accidente: quod ratio conuincit; tamen recte vltimum potest, de quo in præsentia Philosophus, aiens immediatam negantem, plane medio carere, nec quicquam superius noscere. Demum haud vera conditio videtur, vt talis positionis constructio velit neutrum ex extremis esse sub genere, nam hoc modo tantum eam seruabit, in qua vnum summum genus de alio summo genere negamus, at id absurdum apparet, sed cum vna differentia de altera opposita negatur, decet cum immediatis ponere.

Tertia dubitatio.

Solutio. Ad hanc dubitationem concedimus, vere immediatam putandam; ob quam rem nec proprie sub genere, quo pacto textus intelligit, sed ad latus manere, quod differentijs legant. Addimus vero, tantum illam hic notari, in qua vnum summum genus de alio negatur summo genere. Et quidem optima ratione; nam cum ante pro immediato explicando Principio affirmante, id sibi præsertim proposuerit, quod erat maxime tale, de quo omnes conditiones detexit, sic inter declarandum immediatum negans, id sibi debebat proponere, quod maxime immediatum esset; cuius rei ratio se offert, quia in quouis genere, distincte primo cognito, reliqua breui noscuntur, quæ a primo dependent. Talem decet positionem credere, quam Philosophus designat. Ac licet ea, in qua vnam differentiam de alia opposita negamus, recte cum immediatis constet, tamen nunquam est sic præstans, vt eius extremis quoquo pacto superius desit, sed quoddam genus habent, a quo saltem potentia comprehenditur; at propositio, cuius vnum summum genus de alio negamus summo genere, vt nihil supra se cernit, nec alio continetur, sic inter negantes primatum tenet. Atque hæc in Primum librum sufficiant.

FINIS PRIMI LIBRI.

GREGORII FANTII PHILOSOPHI IN SECVNDVM LIBRVM POSTERIOREM ANALYTICVM PRAELECTIONES.

EA, quæ quæruntur æqualia sunt numero ijs, quæcunque scimus: quærimus autem quatuor, quod, propter quid, an sit, quid sit. Cum enim vtrum hoc, vel hoc insit quærimus in numerum ponentes, velut vtrum deficiat Sol, nec ne, ipsum quod quærimus: signum autem huius est quoniam cum inuenerimus quod deficit, cessauimus, & ab initio si cognosceremus quod deficit, non quæreremus vtrum. Cum autem nouimus ipsum quod, tunc ipsum propter quid quærimus, vt cognoscentes quod deficit, & quod mouetur Terra, propter quid deficit, aut propter quid mouetur quærimus, hæc quidem sic. Nonnulla vero alio modo quærimus, vt an sit, vel non sit Centaurus, aut Deus. An sit autem, nec ne, simpliciter dico, sed non an albus sit, nec ne. Cum autem

Cont. 1. Cont. 2. Cont 3.

PRAELECTIO PRIMA.

QVAESTIONVM NVMERVM tradens, atque ſimul exponens.

TANDEM ventum eſt ad Secundum librum Auditores, in quo tanta vtilitas conſiſtit, vt quæ antea tradidimus, ſi ab his ſe diuidant, prorſus nullum commodum importent, ſed magis debeant ad ſpeciem tradita, quam ad aliquem vſum videri. Nos abunde Philoſophi conſilio, vna cum libri diuiſione, primis ſermonibus indicato, conſulto ab hoc negocio abſtinentes, adhuc tantum libabimus, quæ maxime ad connexionem ſpectant. Et quidem miſsis varijs, quæ paſſim apud Interpretes, tanquam ijs, quibus parum cum vero conuenit, & breui ex determinatis clarent, paucis noſtram Sententiam dicemus. Ergo cum antea expreſſerit quo pacto acci- *Propria* dens Oſtenſione pateat, cernens id non ſatis eſſe ad eius ſubſtan- *ſententia.* tiam tenendam, ſed tunc plene comprehendi, dum ipſum ex finitione habemus, iure hanc ſe comparat detegere. At cum nequeat præſtari, ni prius dignoſcatur, nunquid omnes quæſtiones Oſtenſio, vel alia via abſoluat, quo caſu fruſtra finitionem, vt noſcendi rationem tractaret, ſed omnis notitia, probe abſque illa cadet; ideo primo quæſtionum numerum promit, ipſum nauiter explanans, poſtea inquiret, vtrum ſicut cæteræ quæſtiones per Oſtenſionem, ſic quæſtio quid eſt terminatur. Quod cum docuerit non poſſe fieri, ſtatim alias Methodos proponet, quarum infirmitate detecta, quam mox modum aperiet, quo eam ex finitione legamus. Atque hæc connexio, vna cum intentione, licet queat videri cum illa Auerrois concurrere, tamen ſi parum notatur, haud parum inter ſe diſtant. Contextus in tres partes diuiditur. Et quidem in *Diuiſio.* prima numerat quæſtiones. In altera leuiter declarat. In tertia maiorem notitiam tradit. Quod attinet ad primam partem aſſe- *Expoſitio.* rimus illorum numerum, quæ ſcrutamur, ijs æqualem eſſe, quæ ſcimus; ſeu tot numero quæſtiones putandas, quot res exiſtunt, quas poſt quæſtiones tenemus, quæ cum quatuor numerentur, etiam ſuccedit totidem ea eſſe, quæ cognoſcimus. Ac vt hæc clare pa-

dedimus. Minorem designat, *at in definitione nihil aliud de alio prædicatur*, sed si eam ponimus hominis esse, animal bipes, *nec animal de homine, nec hoc de animali dicetur*. Sic inter circulum finiendum, *nec de plano Figura*, nec planum de figura dicetur, sed debent omnes partes sumi tanquam nihil enuncient. Ac quamuis haud sit negandum finitionem de finito dici, quod ex prima ratione patet, quam Philosophus adduxit, & vnam illius partem de altera, tamen dum per se capitur, id est qua finitionem condunt, quo pacto hic intelligit, nunquam quicquam affirmant, sed tantum simul concipimus. Affert D. Thomas rationẽ, quia si finitionis partes qua tales, mutuo dicuntur, id nequit aliter esse, nisi via finitione digna, ac proinde in eo quod quid est, at hoc non licet testari, nam vt fuit alias conclusum, nec sic genus de differentia, nec differentia de genere dicitur. Vltima ratio procedit, Quid est, & quod est distinguuntur, sed omnis finitio quid est explanat, omnis vero Ostensio quod est, igitur nullum, quod potest finiri, itidem potest Ostendi. Maiorem positionem significat, *aliud est quid est, & quod est monstrare*. Nam vt prius tetigimus dum quæstiones declarabamus, quid est quæsitum debet diuersum censeri a quod est. Minorem cum inquit, *igitur definitio quid est declarat, demonstratio vero quod*, nempe aliquid de aliquo vel affirmans, vel negans, quorum neutrum per finitionem datur. Neque sane quis opponat, quasi possit vna Ostensio ad diuersa spectare, quod notescit, cum de Triangulo monstratur æquales duobus rectis habere, quo casu idem simul se effert de Isoscele, tanquam illo, qui est species Trianguli, ac proinde haud absurdum putandum cum ipsum quod, tum quid est Ostensione inferri; quia diuersis, semper diuersa Ostensio conuenit, ni vnum sic subaltero, vt quasi pars sub toto insidat. Quam ob causam eadem Ostensio, quæ de Triangulo affectionem, etiam vna de Isoscele monstrat, qui inter partes, ac Trianguli species manet. At id de ipso quid, & quod non contingit, *nam alterum non est pars alterius*, sed plane diuersa censentur. Quare cum Philosopho concludendũ tantum abesse vt omne, quod potest ostendi, etiam possit definiri; vel contra, quod potest definiri, etiam possit ostendi, vt verius, *nullius eiusdem contingat ambo habere*. Ex quo emergit nec idem inter se finitionem, & ostensionem esse, nec alteram in altera includi. Nisi vero sic asserimus, prorsus illud fieret, vt, *similiter subiecta se haberent*, id est omne, quod potest ostendi, vna posset definiri, & contra; quod quam sit improbandum, adhuc satis expressimus.

Tertia ratio.

Ff IPSIVS

PRAELECTIO III.

QVID EST OSTENDENDI binas vias aperiens.

QVANQVAM satis Interpretes concordant de Philosophi consilio in nostris textibus tamen quo pacto ad superiora iungantur, haud parum inter se dissident. Nos missis pluribus, quæ solent afferri, tantum pauca attingemus, ex quibus cætera quibunt expendi, quæ ab alijs traduntur. Et quidem Philoponus contendit, antea Philosophum quæsisse num ne idem finitio, ac ostensio existant, at in præsentia scrutari, vtrum quid est possit per Ostensionem, vel certe nequeat inferri. Hoc idem, si parum aduertimus, etiam Eustratius affirmat. Verum hanc opinionem haud valde firmam existimamus; nam, vt ex rationibus patet, quæ adhuc fuerunt traditæ, eius præcipuum munus non circa finitionem, & Ostensionem, sed circa id versatur, quod per hæc innoteat; ex quo postea fulget, in quo nam finitio, ac Ostensio discrepant. Sic textu 19. confirmat, quo loco epilogans, de quibus a textu 9. egerat, tali modo loquitur, vt id maxime attendat, quod Ostensio, & finitio detegunt, tanquam illud, quo hæc vult determinari. D. Thomas inquit, ante fuisse discussum an finitio quid est signans, queat nobis ostendi, at cum non sit hoc satis putandum, sed finitionem ob quid est conflamus, iure simul velle differere, vtrum possit ipsum quid monstrari. At vix se effert quo modo hæc valeant constare. Et quidem missis omnibus rationibus, quibus aliud concludit Philosophus, licet ex Epilogo cernere, quem dicto loco proponit; nam expresse concludit, etiam illud tractasse, quod finitio significat. Quidam inter Iuniores afferunt, adhuc fuisse acceptum, ostensionem, tantum ipsius quod, non autem quid est esse: quare ne quicquam optetur, quod antea gratis sumpsit, vult accurate probare. Quam sit hæc connexio infirma, quamue a Philosopho remota, nec eius consilium attingat, potest ex rationibus nosci, quas a textu 13. vsque ad 19. adduxit, quibus nihil aliud confirmat, nisi non posse quid est ostendi. Præterea in Epilogo ait, manifestum esse de quo est finitio, haud esse Ostensionem, sed sæpe prius dixerat finitionem de ipso quid

Ioannes Grammaticus.

Eustratius.

Non probatur.

D. Thomas.

Non probatur.

Iuniores.

Non probatur.

est esse, Ergo vix apparet cur liceat proferre, illud antea supponi, quod fuit tot modis stabilitum. Quæ cum ita se habeant, nec ex dictis occurrat, in quo deceat manere; censemus modo in vniuersum probasse, nullum, quod potest finiri, etiam posse ostendi; ac proinde ipsum quid nulla Ostensione conuinci, sed cum diuersæ viæ comparerent, partim ab alijs cogitatæ, partim a Philosopho inuentæ, quæ videntur contrarium docere, ideo erat necessum, post communem tractatum sic gerere, vt singillatim pendantur, quod deinceps præstabit. Quæ omnia pertingent vsque ad textum 36. Et quamuis quędam testetur ex propria sententia, vt cum de diuisione, ac id genus alijs quærit, quod abunde fit notum, dum veritatem explanat; tamen quia illa, quibus maior diffi cultas subest, tantum disputando attingit, rite licet asserere vsque ad 36. solum dubitanter incedere; at deinceps rem totam terminare. Hoc autem libentius credimus, quo loco adhuc tradito, nobis distincte testatur, nisi vim textui inferimus. Atque hæc de connexione satis sit attigisse. Contextus in quinque partes diuiditur. Et quidem in prima quod intendit proponit. In altera aliqua supponit. In tertia conclusiones infert. In quarta vnum modum refellit quid est ostendendi. In quinta alium refellit. Quod attinet ad primam partem denuo est considerandum vtrum ipsum quid quoquo pacto Ostensio, vel nullo modo attingat, *vt nunc ratio supposuit:* quam particulam exponimus, vt rationem indicet, quæ textu 15. habetur; siquidem aiebat, tantum abesse, vt quid est Ostensio detegat, vt magis quasi] notum supponat. Ac licet datæ rationes, plurimum momenti præferant, & frustra omnis labor queat susceptus videri ad contrarium tentandum, tamen etiam viç remanent, quibus aliquis credet quid est Ostensione inferri. Antequam vero proferantur, sunt tria supponenda, ex quibus maxime pendent, quæ inferius dicemus. Primum exitit, Syllogismum sic esse, vt aliquid de aliquo per medium Ostendat. Nam vt ex ijs renidet, quæ in Prioribus adduxit, nequit perfectus Syllogismus fingi, ni tres termini concurrant, ex quibus ille consistat. Alterum vero, ipsum quid eius proprium esse, cuius est quid, *ac in eo quod quid*, prædicari. Ex quibus apparet rei substantiam, & naturam duplici conditioni inniti; nam si nequit cum subiecto uerti, quantumuis in quid dicitur, nunquam esentiā condet, sed tantum eius partem. Decet id in genere, videre, tanquam illo, quod licet prædicemus esentialiter de specie, tamen quia latius patet, nec potest conuersim dici, nequit plenam esentiam reddere

Propria sententia. *Connexio.* *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.* *Prima hypothesis.* *Secunda hypothesis.* *Rei essentia binas conditiones poscit.*

Pari

Pari etiam modo nisi in quid de re,cuius est quid dicitur quantum uis reciproce se habet,nunquam substantiam præstabit. Sic de specierum affectionibus,ac differentijs fit notum,quorum vnum simpliciter in quale, alterum in quale quid dicimus. At cum vtraque conditio adest,tunc perfectum quid est constat,quod Philosophus hic signat. Postremum existit, & a superioribus ducitur, omnes Ostensionis terminos, ex quibus quid infertur, inuicem necessario conuerti; quam hypothesim indicat, *hæc autem conuerti necesse est*. Ac licet Interpretes vacillent, an sint hæc verba ad essentiæ conditiones, quas adhuc expressimus,& prima fronte videtur; vel certe ad illa referenda, quæ consequuntur, tamen si in ordine ad primum sumimus, vix occurrit quo pacto loquendi modus perstet, quem inferius adaptat, in quo sic procedit, quasi velit suppositum efferre. Etenim ait, *si A. proprium sit ipsius C.* id est, si quid maius extremum, sic proprie subiecto, ac minori debetur, vt cum illo conuersim habeat, quam quid est conditionem diximus, satis comprehenditur, simul proprie deberi, & cum B. medio verti, ipsum vero B. cum C. Nam si B. minus quam extrema se extendat, non posset vniuerse de C. dici; quod si magis, non posset A. de B. Ex quo succedit vt nec vniuersalis sit conclusio,quæ ab hoc medio pendet. Cuius rei ratio se effert,quia cum nihil queat esse in conclusione, quod prius in positionibus non occulerit, dum damus conclusionis extrema conuerti vniuerse, idem simul in positionibus damus; quare si debet quid est monstrari,cum conuersim de subiecto dicatur, debent omnes termini conuersim dici,ex quibus Ostensio consistit. Et hoc pacto illam haud in quouis modo, sed tantum in primo primæ figuræ formamus. His in hunc modum prænotis, Prima via occurrit ad quid est Ostensione inferendum, si in ambabus positionibus fiat duplicatio; nec aliud significat, nisi in vtrisque ad maius extremum quid est ponere. Decet hanc viam munire, quia dum sic discurrimus, *A. in eo quod quid omni B. inest*, B. vero in eo quod quid omni C. etiam necessario cadit, A. in eo quod quid omni C. inesse. Quod si non sic inceditur, nunquam necessario infertur, *A. de C. in eo quod quid prædicari*. Ac quamuis in maiori positione exprimimus quid est,nempe, *A. de B.* aientes, *in eo quod quid*, tamen si, *B. non in eo quod quid*, dicitur, quæ minor existit, certe haud apparet, quo pacto hæc conclusio sequatur. Ergo asserendum, in vtraque positione debere ipsum quid sumi, modo adhuc attacto, &, *B. de C. in eo*

Tertia hypothesis.

Prima ratio quid est demonstrandi.

quod

Eversio. *quod quid*, affirmari. Verum hic progressus quantum rectam viam linquat, extra quam nihil licet legere, inde potest deprehendi, quia si vtraque positio actu quid contineat, illud emerget, quod, *in medio termino erit prius quid erat esse*, & hoc modo minor positio petet in principio, quod fuit olim damnatum. Vt autem plene pateat sit quid est de homine monstrandum; & quidem, *sit C. homo, A. vero ipsum quid*, quod vel animal bipes, vel aliud ponatur, nunquam poterit præstari, nisi, *huius erit alia media ratio*, id est ni medium bis sumamus, tanquam aliud quid ab A. signet, at id non perfecte cadet. Nam cum ipsum B. prorsus nihil denotet, præter hominis quid est, quod simul A. significat, & vnius rei sit vnum quid, etiam refulget, idem accipi in minori positione, quod erat in conclusione monstrandum. Neque sane quis contendat se scopulum vitare, dum Ostensio vel ex vna positione, quo pacto videtur eludi principij petitio, quam minor includit, vel saltem ex non primis, ac immediatis constet, quod tunc succedit, cum sic aliud quid est componit, vt ex proprijs, & affectionibus confletur, ex quo postea quasi medio, verum quid demonstret; nam vt ex prima hypothesi fit notum, cum omnis perfectus Syllogismus aliquid ostendat de alio per medium, ipsa vero Ostensio primatum gerat, minus se effert, qua in vna positione seruetur, sed debent duo coire. Nam quod pertinet ad affectiones, cum vere quid non componant, nec etiam vere ostendent. Atque hinc comprehenditur quam Philosophus petitionem innuat, de qua aliqui dubitant vtrum liceat secundum speciem, vel secundum numerum sumere. Ac sane cum prima idem quid non capiat, sed aliud quid vsurpet in medio, aliud vero detegat, ob quam rem quendam præbet Ostensionis gradum; at vltima, plane idem adhibeat, videtur dicendum, tantum hanc denotare. Huius rei ratio occurrit, quia in nostro textu petitioni, quam tractat, eandem conditionem delegat, quam illi secundum numerum. Si quidem ait id accipere, *quod oportet monstrare*, ac ob id nil ad Scientias facit. Et hæc de quarta parte sufficiant. Remanet quinta pars textus, in qua alterum modum refellit quid est ostendendi. Ac licet posset ex dictis cerni quam a vero discedat, tamen ob virorum auctoritatem, quibus insidebat, & præsertim qui Platonis fouebant dogmata, ex quo poterat in Mentes illabi, minus decet inane credere, si distinctim oppugnetur, non quidem nouas rationes præbendo, sed declarando eas, quas solum prius attigimus. Nam

cum

cum duo sint dicta in prioris viæ sanctione, quorum vnum existit, quod si vtraque positio duplatur, necessario quid est monstramus; alterum vero, nunquam posse quid monstrari, nisi talis duplatio fiat; prima parte omissa, tanquam illa, quę satis fuit illustrata, sic alia patefiat, dum ex ea innotet, quam incaute se gerant, qui præsens iter incedunt. Ergo qui, *per conuersionem quid est anima, vel quid est homo ostendunt*, vel certe aliquid tale, non solum nihil ostendunt, sed etiam idem venit quod paulo ante improbatis, qui principium petebant. At ne nominis ignoratio retardet, & in errores deducat, sæpe a Philosopho notatos, est obseruandum, prorsus nihil hic conuersionem, præter ipsum quid signare, eo pacto constructum, vt ex prædicatis constet, plane illi æqualibus, cuius sunt prædicata; ac siue essentiales differentiæ, siue sint affectiones, modo simul iunctæ componant aliquid, quod cum illo conuersim habeat, de quo ipsæ affirmantur, sic volunt quid est conflare, vt simul tute conferat pro alio quid de eodem monstrando. Hac ratione Xenocrates Platonis vestigijs insistens, quia anima est sibi met causa viuendi, credebat posse plene ostendere illam, *esse numerum se ipsum mouentem*, vt quid. Sic autem discursum nectebat, Quod est sibi causa viuendi est numerus se ipsum mouens, sed anima est sibi causa viuendi, Igitur anima est numerus se ipsum mouens vt quid. Qui progressus quantas vires teneat, quamue infirme penetret, potest nobis deprehendi, quia licet A. de B. & B. de C. dicatur, tamen dedecet inferre A. de C. velut ipsum quid dici, *sed solum erit verum dicere*; id est tantum valemus deducere A. de C. prædicari. Et sane si ex sola prædicatione in positionibus, recte in conclusione legitur prædicatio vt quid, pariter succedit, vt vel tantum queant in quid prædicata concludi per Syllogismum, vel omnia, quæ de quoque concludimus debeant in quid prædicari, hoc autem quam sit falsum, satis ex se apparet. Potest etiam addi, *nec si A. sit quod quid est, ac de omni B. dicatur*, nos vt quid prædicatum cernere. Quæ verba missis varijs expositionibus, quæ forte parum cohærent, ideo putamus addidisse, vt rem magis confirmet. Nam si illa, quæ in quid dicuntur, nisi id exprimitur in vtrisque positionibus, nunquam licet inferre dici in quid, sed tantum simpliciter infertur dici, ergo mul to minus inferetur dum in quid non dicuntur. Decet in animali videre, cuius substantia cum hominis substantiam condat, *verum nanque est omne homini esse, esse animali esse*, id est hominis essentiã

Alia ratio quid est demonstrandi.

Euersio.

ex animalis essentia strui; ob quā rem de ea affirmatur, etenim, *dicimus omnē hominē esse animal*, tamen quia minus sic dicitur, *sicut vnum est esse*, id est quia in positionibus haud vt quid exprimitur, quippe nihil aliud est dici secundum vnum esse, nisi ut quod quid dici, eo nec potest deduci in cōclusione. At si ipsum quid exprimimus, tunc in positionibus supponet, quod debet in conclusione inferre. *Quare non monstratum est, sed quod erat in principio accepit.*

Cont.23. *VERVM enim vero nec per diuisiones via ratiocinatur, sicut in resolutione, quæ est circa figuras, dictum est; nusquam enim necessarium fit rem illam esse his existentibus, sed quemadmodum neque inducens demonstrat, non enim oportet conclusionem interrogare, neque eo, quod detur esse, sed necesse est esse illis existentibus, etiam si respondens non dicat: est ne homo animal, an inanimatum? postea accepit animal, non est ratiocinatus; rursus omne animal aut pedestre, aut aquatile, accepit pedestre, & hominem esse hoc totum, animal pedestre, non est necessarium ex dictis, sed accipit & hoc: differt autem nihil in multis, vel in paucis ita facere, idem enim est. Igitur non syllogisticus etiam vsus fit sic progredientibus, & eorum, quæ contingit ratiocinari. Quid enim probibet hoc verum quidem totum esse de homine, non tamen ipsum quid est, neque quod quid erat esse significans? Amplius quid probibet vel addere aliquid, vel auferre, vel præter gredi a substantia? Hæc igitur ne-*
Cont.24. *gliguntur quidem. Contingit autem soluere si quis accipiat ea, quæ sunt in eo quod quid est omnia, & quod deinceps diuisione faciat, petens id, quod primum est, & nihil prætermittat: hoc autem necessarium est, si omne in diuisionem cadit, & nihil deficit, hoc autem ne-*
Cont.25. *cessarium est, indiuiduum enim specie oportet esse. Sed Syllogismus tamen non inest, sed alio fortasse modo cognoscere facit, & hoc quidem nihil absurdum, neque enim inducens fortasse demonstrat, sed tamen declarat aliquid. Syllogismum autem non dicit, qui ex diuisione elicit definitionem, quemadmodum enim in conclusionibus, quæ sunt sine mediis, si quis dicat quod his existentibus necesse est hoc esse, contingit interrogare propter quid, ita & in diuisiuis definitionibus, quid est homo? animal mortale, pedes habens, bipes, sine pennis, propter quid iuxta vnamquamque appositionem? dicet enim, & monstrabit diuisione, sicut opinatur, quod omne aut mortale, aut immortale est; talis autem oratio tota non est definitio; quare si demonstratum est diuisione, at saltem definitio non fit Syllogismus.*

PRAE-

PRAELECTIO IV.

NVM DIVISIO QVID EST concludat quærens.

SED iam prodeat in medium diuiſio, quam *Connexio.* vt certam viam Plato putauit, ſic illam valde illuſtrem reddidit. Nam aperte dicebat, tunc firmiſſime quid eſt teneri, cum per diuiſionem teneretur. Hanc Philoſo- *Institutum.* phus tertio loco impugnat, nihil, vt ſolet, Auctorem memorans, ob debitam in Præceptorem obſeruantiam. Contextus in *Diuiſio.* tres partes diuiditur. Et quidem in prima ſuam ſententiam profert. In altera confirmat. In tertia nodum ſoluit, qui videtur diuiſioni fauere. Vt autem diſtincte incedamus eſt obſeruandum, *Expoſitio.* dupliciter diuiſionem ſumi; vno modo ſecundum ſe; alio vero Syllogiſmo iunctam; in præſentia haud primam, vt quidam praue contendunt ſed poſtremam intelligit. Decet ex noſtro textu probare, dum monet itidem in Prioribus fuiſſe damnatam at in ijs ſic diuiſionem capit, vt nunquam a ratiocinio diuidat. Et certe ſummo artificio; nam ſi diuiſio quantumuis Syllogiſmi ſubſidium habet, tamen nequit ipſum quid monſtrare, ſane multo minus ex ſe nequibit, & ab eis auxilijs deſerta, quibus firmior redditur. Hiſce in hunc modum prænotis aſſerimus diuiſione haud poſſe quid eſt oſtendi. Licet tribus rationibus munire. Prima ex Syllogiſmi finitione pendet, tanquam illa, quæ nunquam poteſt aptari diuiſioni. Etenim diuiſionem præſtando, minus nos gerimus, quaſi *Prima ratio.* neceſſario concluſio ſequatur ex poſitionibus, ſed verius vt inducens ſe habet, qui vt omnem diligentiam ponat in ſingularium collectione, tamen ob eorum infinitum numerum, quæ comprehendi recuſant, & expreſſam inſtabilitatem minus valet procedere, vt explete ratiocinetur. At perfectus Syllogiſmus, ſic concluſionem infert, vt nos ad determinatam notitiam ducat. Poteſt vero hic diſcurſus ad formam transferri, Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quid per ea, quæ poſita ſunt, neceſſario infertur; ſed diuiſio non eſt talis igitur non eſt Syllogiſmus; ac proinde ipſum quid non ratiocinatur. Maiorem poſi-

tionem designat, *sed necesse est illis existentibus esse*. Minorem dum ait, *nequàquam enim necessarium fit eam rem esse bis existentibus*. Nam si aliquis optat quid est hominis tenere per diuisionem, tali pacto disponet, vt ante omnia quid notum sumat, sub quo tanquam sub genere consistat, sit autem id corpus; tum sic interrogando procedet, non ne corpus vel est animatum, vel inanimum? cum vero fuerit concessum, statim minorem addet, sed homo est corpus, igitur homo vel est animatus, vel inanimus. At quia id haud satis creditur, sed adhuc conclusio restat indeterminata, denuo eius partem interrogabit; non ne homo est animatus? qua differentia admissa, illam corpori adnectet, ac vtrumque de homine dicet, homo est corpus animatum. Quo facto eandem viam adhibens, iterum exquiret, nunquid corpus animatum vel est sentiens, vel non sentiens? sed homo, vt diximus, est corpus animatum, igitur homo vel est sentiens, vel non sentiens; postea sic, non ne homo est sentiens? dum vero fuerit receptum, etiam corpori animato iunget, ac de homine cum reliquis dicet, homo est corpus animatum sentiens. Neque sane his quiescet, sed tertio instabit, an num corpus animatum sentiens vel est gressile, vel aquatile, &c.? sed homo est corpus animatum sentiens, igitur homo vel est gressilis, vel aquatilis, &c. non ne homo est gressilis? si respondens concedit, simul omnia nectens, tali pacto affirmabit, homo est corpus animatum, sentiens, gressile, quod debet hominis quid est censeri. At dum parũ notamus in hoc progressu nulla fuit pars sic determinata conclusa, vt necessario sequatur, sed omnes a respondẽte donatæ. Libet quoque addere, quamuis detur has partes fuisse necessario deductas, tamen haud necessario cadit, *hominem id totum esse*, nimirum corpus, animatum, sentiens, gressile, &c. cuius rei ratio se offert, quia nequit semper a diuisis ad coniuncta discurri, nec si Cæsar est bonus, & etiam Poeta, eo decet inferre, Cæsarem bonum poetam esse. Quæ autem de homine diximus, debent de alijs intelligi, vt vt plures differentiæ addantur; etenim, *nihil differt in multis, vel in paucis sic facere*. Igitur concludendum, tantũ abesse vt diuisio ipsum quid acquirat per Syllogismum, tanquam id, in quo magna difficultas viget, vt nec queat in ijs prębere, *de quibus contingit ratiocinari*, id est quæ facile Syllogismo patent. Quæ omnia ex præcedentibus sunt nota. Atque hæc de prima ratione satis sit attigisse. Alia ratio occurrit aduersus diuisionem, quia licet demus, tum omnes partes quid disiunctim diui-

Secunda ratio.

sione,

ſione, tum, *hoc verum omne de homine eſſe*, nempe ex genere, ac differentijs aggregatum,& totam eſſentiam concludi, tamen cum non oſtendat hominis eſſentiam eſſe, minus decet inferre, ipſum quid monſtrare, ſed tunc vere monſtramus,dum propriam conditionem pandimus; quare tantum quid eſt monſtrabitur,cum quid eſt eſſe pandetur. Tertia ratio pendet ex triplici errore,qui poteſt circa diuiſionem dari. Nam quid in diuidendo prohibet, *vel aliquid ponere*, quod debet auferri? vt cum hominis ſubſtantiam quærentes, animal per album, & non album partimur, quæ vt eius eſſentiam non conflant, ſic ſunt ab illa pellenda. *Vel certe auferre*, quod debet apponi? In hunc modum ſe habet, ſi quædam negligitur ex vltimis differentijs, quæ rei ſubſtantiam formant. Sic ab homine greſsile, vel aliquid tale arcemus,quæ hominis eſſentiam abſoluunt. *Vel ſubſtantiam ſupergredi?* Tali pacto ſuccedit dum intermedias prætcrimus differentias eſſentiales, vt ſi ab homine ſentiens tollitur, quod inter ſupremum genus, & vltimas differentias ſe ponit. Ex quibus elucet quam infirme diuiſio ſe gerat pro quid eſt oſtendendo, cum tot periculis ſit propoſita. Nam nec redundans ipſum quid, neque diminutum, nec interpolatum debet eſſe. Cuius rei ratio occurrit,quia teſte Philoſopho, vt vnitatis ablatio, vel additio totam diruit numeri eſſentiam, ſic vnica eſſentialis pars totam ſubſtantiam mutat. Sed poſſet quis cenſere, non ægre tertiam rationem vitari,ſi affirmet quod quamuis illa tria, de quibus peregimus, haud raro, *dimittuntur*, id eſt diuidendo non notantur, tamen nunquam decet in diuiſionem, ſed in diuidentem referre, qui vel ob negligentiam, vel ob ignorantiam, in errores impingit, a quibus facile abſtinebit, dum omnia præcepta exercet, quæ rectam diuiſionem præſtant. Et quidem primum creditur, vt illa vſurpet, *quæ in eo quod quid omnia*, id eſt vt nullæ ex accidentalibus differentijs,ſed ſolum ſubſtantiales ſumantur; quo pacto primum errorem vitamus, qui in eo conſiſtit, quod ea in quid eſt ponuntur,quæ plane debent deſeri. Alterum vero vt id vſurpans, *quod primum exiſtit*, nempe primum notum genus, ſic diuidendo ſe gerat, vt ſemper, *deinceps*, pergat. Tunc autem ſuccedet, cum genus per proximas differentias ſecabit. Et hac via tertio errore elabimur, nec quid eſt interpolatum erit. At cum poſſit dari, vt quamuis diuiſio deinceps fiat, & per immediatas differentias eſſentiales, tamen quædam omittatur; eo poſtremum creditur, vt nullam ex his differentijs linquat. Nam

Vltima ratio.

cum debeat ipsum quid, illi, cuius est quid æquale esse, nec queat per alias secari substantiales, sed prorsus sit indiuiduum, alioquin aliquid haberet, quod minus in re esset, sic debet omne cadere in diuisionem, vt nihil plane desit. Et ex hoc apparet quanto nixu tuentur viam diuisiuam a tertia ratione. Respondet Philosophus, licet ijs nauiter seruatis, quæ adhuc tetigimus, illi tres errores possint, ac tertia ratio eludi, *tamen haud Syllogismus inest*, id est reliquæ rationes non possunt. Sed cum hæc defensio non detegat quo modo diuidens, determinate inferat, quod perfectus Syllogismus poscit, quem primæ duę rationes arcent a diuisione, illud contingit, vt in suo robore perdurent. Neque sane id testamur, quasi nullam diuidens notitiam ferat, qui vt inducenti comparatur, sic aliquid declarat; sed tantum asseritur eum, qui diuisione quid est elicit, haud perfecte ratiocinari. Ac velut in conclusiones cadit, *quæ sunt sine mediis*, nimirum quas ex propria causa non monstrant, de quarum notitia non quiescimus, sed adhuc propter quid quærimus, sic in ipsis finitionibus, quas sola diuisio largitur. In hunc modum renidet, dum quis diuidens inferat hominis substantiam esse, animal, mortale, pedes habens, bipes, sine pennis; qui progressus tantum abest vt animum expleat, vt de quauis parte propter quid quærat, nempe cur in hac essentia locauit. Ratio vero debet credi, quia licet per diuisionem monstretur omnem hominem mortalem, vel immortalem esse, ac maius extremum disiunctim, tamen hæc conclusio nunquam potest dici quid est, tanquam id, cuius termini oppositionem pellunt. Igitur concludendum aliquid diuisione ostendi, at essentiam non ostendi. Atque hinc comprehenditur, minus Philosophum negare diuidentem ratiocinari, vt Auerroes aiebat, sed tantum plene præstare. Decet id cum ex primo Priorum, Cap. de Diuisione, quo loco eam inter Syllogismos ponit, tum nostro textu munire, nam in illo diuisionem inductioni adæquat, sed hæc ex 2. Priorum ad Syllogismum transfertur. Præterea ait, *& si demonstratum est diuisione*, quibus verbis fit notum se concedere, quodammodo ratiocinari diuisionem. Potest exemplum tradi, quia si loco sumimus maioris positionis, omne animal mortale, vel immortale esse, & postea minorem addimus, hominem esse animal, statim illud erumpet, hominem mortalem, vel immortalem esse. Ex quo Syllogismo splendet, quamuis diuidens haud determinatam infert conclusionem, tamen illam inferre, quæ disiunctim prædicatum seruat.

Vnum quod deducitur.

SED est ne etiam demonstrare ipsum quid est secundum substantiam? ex suppositione autem accipientem ipsum, quod quid erat esse id esse, quod ex propriis, in eo quod quid est, hæc autem in eo, quod quid est sola, & totum est proprium, hoc enim est esse illi. An rursus in hoc quoque accepit, quod quid erat esse? necesse enim est per medium monstrare. Amplius quemadmodum neque in Syllogismo accipitur quid est ratiocinatum esse, semper enim tota, aut pars est ipsa propositio, ex quibus est Syllogismus, ita neque quod quid erat esse oportet inesse in Syllogismo, sed seorsum hoc a positis esse, & ad dubitantem an ratiocinatum sit hoc, nec ne, occurrere quod ita, hoc enim erat Syllogismus; & ad illum, qui asserat non esse ratiocinatum quod quid erat esse, quod ita, hoc enim nobis esse ponebatur quod quid erat esse: quare necesse est, & sine definitione Syllogismi, aut ipsius quod quid erat esse ratiocinatum esse aliquid. Et si ex suppositione monstret, vt si malo competit esse diuisibile, contrario autem competit esse contrarium, quibuscunque est aliquid contrarium, bonum autem malo contrarium est, & indiuisibile diuisibili: est igitur bono esse indiuisibile esse. Nam hic quoque accipiens quod quid erat esse monstrat, accipit autem ad monstrandum ipsum, quod quid erat esse, aliud tamen esto: in demonstrationibus nanque quod est hoc de hoc, sed non idem, neque cuius eadem est ratio, & conuertitur. Ad vtrosque autem, & ad monstrantem per diuisionem, & ad sic ratiocinantem, eadem est dubitatio, propter quid erit homo animal bipes pedestre; Sed non animal, & pedestre; ex iis enim, quæ accipiuntur, nulla est necessitas vnum fieri, quod prædicatur, sed quemadmodum idem homo esset, & musicus, & grammaticus.

Cont.26. Cont.27. Cont.28. Cont.29. Cont.30.

PRAE-

PRAELECTIO V.

PRO IPSO QVID MONSTRANDO alios modos ponderans.

Connexio. PERGIT Philosophus aliam viam expendere ipsum quid ostendendi, quæ haud minorem probabilitatem, quam prius notatæ *Institutum.* præfert. Nam posset quis in eam sententiam labi, vt quid est facile monstretur, si illas conditiones sumimus ex hypothesi, quæ ipsum quid secundum substantiam *Diuisio.* condunt. Contextus in quatuor partes diuiditur. Et quidem in prima talem viam detegit. In altera refel *Expositio. Aliorum Opinio.* lit. In tertia aliam proponit. In postrema explodit. Quod attinet ad primam partem omnes fere Interpretes dicunt, hic nullum alium modum, præter illum signari, cum loco medij finitionis sumentes finitionem, sic inceditur, vt monstremus aliquid rei finitionem esse. Potest valde probare, quia vix se effert quid nam aliud queat per, *quod quid erat esse*, nisi finitio intelligi; quod aperte firmatur dum ait, ipsum ex proprijs, & quæ in eo quod quid constare; quæ duæ conditiones sic sunt finitionis peculiares, vt alteri *Euersio.* non competant. Verum hanc opinionem, quamuis summi viri defendunt, tamen haud tutam existimamus. Nam si probe notatur, ratio cur nequeat hanc viam amplecti, ea maxime creditur, quia, vt inferius patebit, in principio petit, nempe id pro medio vsurpans, quod debet in conclusione inferri: at quo pacto fiat secundum traditam sententiam, forte non recte exponunt. Sic autem declarant; sit monstrandum corpus animatum gressile, vel aliquid tale, hominis finitionem esse, in hunc modum agitur, Oratio ex proprijs, & hominis quidditatiuis constans est definitio, sed corpus animatum gressile est oratio ex proprijs, & hominis quidditatiuis constans, igitur corpus animatum gressile est hominis finitio. At in hoc progressu haud apparet in quo hæc petitio consistat. Non in maiori positione, quando, vt primo Physic. textu 5. finitio, & finitum se habent, vt inuicem ratione distinguantur, & vnum ex alio clareat, quare cum in hac positione dictio, *finitio*, & respectu suæ finitionis, locum finiti gerat, nusquam occurrit quomodo prin

cipium

cipium petamus. Neque vero in minori ob eandem rationem: etenim corpus animatum greſſile, quod per ſe eſt finitio, in ordine ad propriam finitionem, finitum euadit. Illud certe miramur hanc ſententiam ab ijs defendi, qui contendunt finitionem inter methodos locandam. Nam ſi finiti de finitione prædicatio, vel contra finitionis de finito, principium petit, prorſus illud erumpit, vt finitio nequeat eſſe inſtrumentum, quo finitum pateat. Quæ cum ita ſe habeant, nec liceat in aliorum dictis ſtare, eſt obſeruandum quod ſi proprie loquimur, aliud eſt ipſum quid, aliud finitionem quærere; primo pacto veſtigatur, quod finitio euoluit; altero vero id, quod euoluit ipſum quid, quæ omnia alias patebunt; dum Philoſophus hic nominat quid eſt], ſeu quod quid erat eſſe, minus debet accipi ac ſi poſtremum denotet, ſed primum. Sic autem noſtrum textum exponimus, An poteſt per aliam viam, *ipſum quid ſecundum ſubſtantiam*, oſtendi? id eſt illud quid, quod eſt eſſentiale, & a quo res proprium eſſe capit, nempe ſi loco medij ſumimus, *id eſse quod ex propriis conſtat, atque adeo iis, quæ in eo quod quid inſunt?* Quæ verba illas binas conditiones indicant, quas textu 20. dicebat ipſum quid conſtare. Quare nihil aliud per hanc viam, præter eam ſignabit, in qua conditiones ponuntur in medio, quibus ſubſtantia conſtat, nec ſane quouis modo accepta, ſed pro vt talis exiſtit. Inquit vero, *ex ſuppoſitione*, vt inſinuet has conditiones non poſſe a nobis oſtendi, ſed tantum ſupponi oportere. Sic autem Oſtenſionem formamus, Quod ex proprijs, & ijs componitur, quæ inſunt homini in quid, eſt hominis quid eſt, ſed corpus animatum greſſile ex proprijs, & ijs componitur, quæ inſunt homini in quid, igitur corpus animatum greſſile eſt hominis quid eſt. Maiorem poſitionem denotat, *ex ſuppoſitione autem accipientem quod quid erat eſſe.* Minorem cum ait, *hæc vero in eo quod quid eſt ſola, & proprium eſt omne*; nam cum id, cuius eſſe conſiſtit, vt ex proprijs ſit, ac hominis ſubſtantialibus, debeat ex illis conſtare, quæ per ſe ſunt talia, ſic autem ſit corpus animatum greſſile, etiam ſuccedit ipſum ex proprijs componi, atque adeo ijs, quæ in quid homini inſunt. Addit vero in minori, vt credimus, *& proprium eſt omne*, vt magis poſitionem declarando, ſimul omnis ambiguitas ceſſet, ac maiorem vim ratio præferat. Siquidem poſſet quis negare, corpus animatum greſſile, ſoli homini deberi, ſed alia ſe dare, quibus hæc prædicata competunt. Quare hanc particulam ponens innuit, quod vt hæ differentiæ ſeorſim ſumptæ, ſæpe in pluribus adſunt, tamen omnes

Propria ſententia.

Ratio.

nes simul sic hominem sectantur, vt nulli alteri insidant. Quod autem dictum fuit de homine, pariter ad alia spectat, & decet ad illa transferre. At non tanta est vis falsitatis, vt ad seuerum examen vocata queat constans durare, quod in præsentia cernimus. Nam quamuis probabile videtur dicere ipsum quid per conditiones patere, quæ constituunt quid est, tamen nunquam posse dari, duplici ratione splendet. Prima eadem cum illa censetur, qua cæteras vias damnauit, ac vt in reliquis modis petebant in principio, sic, *etiam in hoc sumpsit quod quid erat esse*, nimirum pro medio vsurpans, quod debet in conclusione legi; at id est improbandum. Cuius rei ratio occurrit, quia ipsum quid haud per se ipsum, sed, *necesse est per medium monstrare*, minus quidem omne, sed tale, vt a quid est distinguatur. Vbi vero fiat principij petitio, an tantum in maiori positione, vt aliqui contendunt, vel tantum in minori, sicuti alij, aut certe in vtrisque, valde ex Syllogismo patet, quem antea attulimus, ex quo deprehenditur, in ambabus præstari; nam non solum in maioris subiecto quid est, sed etiam exprimitur in minoris prædicato, quorum ambo erant cauenda, vt petitio cessaret. Etenim idem est dicere, quod ex proprijs, & ijs componitur, quæ insunt homini in quid, esse hominis quid est, quæ maior erat propositio, ac ipsum hominis quid est, esse hominis quid est. Sic decet idem credere, sed corpus animatum gressile ex proprijs, & ijs componitur, quæ insunt homini in quid, quæ minor existit, ac corpus animatum gressile hominis quid est esse, quod in conclusione ducebant. Alia ratio ad hanc viam delendam, ex similitudine pendet, ac vt dum aliquid volumus noscere Syllogismo, haud in positionibus sumimus Syllogismi essentiam, sed semper propositio vel est, *tota*, id est maior, vel, *pars*, id est minor, quorum neutrum valet esse ipsum quid, tanquam id, quod nec affirmat, neque negat, sic dum volumus quid est monstrare, minus licet in positionibus, *quod quid erat esse*, accipere, nempe conditiones adhibendo in Syllogismo, quæ substantiam formant. Quanquam est aduertendum non sic sumere, quasi omnis vsus dematur, sed illo modo, vt tunc solum debeant efferri, cum post quandam Syllogismi, & quid est constructionem, adhuc quispiam titubet an vere sint constructa, quo casu Syllogismi opponitur essentia, & omnes conditiones, quæ ipsum quid concinnant. Igitur concludendum si fuerit aliquid ratiocinatum, non aliter cessisse, nisi absque eo vt in medio, *quid est Syllogismus*, vel

Prima ratio.

In qua nã propositione repetitio consistat.

Secunda ratio.

vel quod quid erat esse, ipsum quid ponamus, Atque hæc de altera parte sufficiant. Adhuc de tertia videamus, in qua alium modum refellit quid est Ostendendi. Nam posset quis putare optimam viam esse, in qua contrarij quid supponentes, ex eo vt medio venamur alterius contrarij quid est. Hac ratione apparet quod si mali est substantia, *diuisibile esse*, ergo etiam boni erit, *esse indiuisibile*. Consequentia elucet, quia in rebus contrarium habentibus, ipsis contrarijs contraria essentia conuenit, bonum vero malo est contrarium, & indiuiduum diuiduo. At hæc etiam via suas difficultates patitur. Et quidem primum illo vitio laborat, quo adhuc reliquæ detectæ, nempe in positionibus sumens, quod debet in conclusione erui. Neque sane quis contendat se angustiam tollere, si respondet conclusionis quid, aliud ab eo esse, quod in Principijs se effert, ob quam rem probe Ostensionem fingi; nam vt 2. Priorum monemur, Cap. 18. non solum principij petitio datur, dum sic idem per semet promere, vt eodem modo tentemus, sed itidem dum ignotum per ignotum; quare, vt perfecte stet Ostensio, nullum potest horum includi; at præsens modus, cum inter contraria versetur, illud medium accipit, *cuius eadem est ratio*, id est æque est ignotum, ac conclusio monstranda. Sic in mali substantia videmus, quæ cum nihil magis notitiam gerat, quam illa boni, haud hæc per eam claret, vel contra, sed si id tentatur, eadem ignorantia vigebit, quæ initio ligabat. Ideo vero addit, *& conuertitur*, vt designet quamuis maius extremum ac medium sint disposita, vt conuersim se habeant, tamen ni conditio accedat, ex qua medius terminus in notitia excedit maius extremum, plane nihil proderit, nec aliud ratiocinium, præter illud præstabit, quod petitionem committit, & imperfectam Ostensionem. Alia ratio ad eundem modum tollendum viæ diuisiuæ est communis: nam vt fuit indicatum cum diuisio tractabatur, licet demus essentiæ partes, ex diuisione disiunctim concludi, tamen non omnes simul concluduntur; sic etiam contingit in contrarij quid est, tanquam illo, ex quo, vt in gratiam eorum, cum quibus res est, demus, posse de homine Ostendi ipsum esse animal, & pedestre, &c. tamen nunquam fiet nos posse monstrare hominem esse animal pedestre bipes. Cuius rei ratio occurrit, quia primo pacto hæc prædicata, vt distincta procedunt; at postremo sic pendent, quasi vnum per se condant. Nihil autem adigit vt, *ex acceptis*, positionibus, quæ pro medio habent contrarij

Prima ratio.

Euasio.

Secunda ratio.

substantiam, talis conclusio feratur, quæ promat hæc prædicata vnum per se conflare, quod hominis sit substantia; sed, velut Musicus, & Grammaticus eo modo se habent, vt in ordine ad hominem, vnum per accidens struant, sic licet de his credere, vnum per accidens præbere. Quod si aliquis opponat aduersus Philosophi rationes, quasi fuerit antea positum nos in medio, contrarij quid est sumere, ex quo videtur inferri alterius contrarij ipsum quid; id omnem repugnantiam tollit, quia haud concedit quid est, quod loco medij fertur pro altero quid monstrando cognitum vt quid esse, quo pacto ratio polleret, sed tantum illud supponit, nihil amplius addens de notitia: qualis autem hæc fuerit, non solum in prima ratione explicat, dum ait, *neque cuius eadem est ratio*, sed etiam in alia, iis verbis, *propter quid erit homo animal pedestre bipes*. Nam si contraria sunt disposita vt neutrum alterum superet in notitia, sed potius vnius substantia per illam alterius mensuretur, quo modo æque notæ, vel ignotę existunt, pariter succedit ipsum quid, quod in medio vsurpant, prorsus incognitum esse, vti aliud quid, quod censent ostendere. Quare præsens via quid est demonstrandi supponens perfectam medii notitiam, falsum supponit: ex quo falsa conclusio, & quæ sibi aduersatur. Ex dictis quidam colligunt, nunquam posse in Ostensione id medium sumi, quod maioris extremi sit quidditatiua finitio: ob quam rem plurimos reprehendunt, qui hanc veritatem non noscunt. Illo vero confirmant, quia vt non decet monstrare finitionis finitione hanc esse huius finitionem, sic itidem non decet hominis finitione monstrare hanc rem hominem esse, sed cum idem sit censendum finitio, ac finitum, tali pacto incedentes, clare principium petunt, nec aliquid euoluunt. Præterea ex Philosopho hic, textu 42. & 43. elucet Ostensionis medium non causam internam, sed externam esse, quod etiam alibi testatur. Postremo finitio, ac finitum inter locos topicos ponuntur, quare vix apparet quo modo in Ostensionibus constent. Verum hanc opinionem haud valde tutam existimamus, nec Philosopho consonam, qui talem Ostensionem condidit. Et quidem plures affirmant primo Physicor. 42. fingi, quo loco ex eo quod prima contraria nec ex se inuicem, nec ex alijs fiunt, sed ex ipsis omnia, deducit illa principia esse, at hæ tres conditiones constituunt principia, ac proinde sunt priores, & causæ putandæ. Sed si probe notamus, hic textus minus conuincit. Nam cum primæ duæ negationem gerant, sane

Dubitatio. *Solutio.* *Opinio quorundam.* *Damnatur.* *Quid nam aliquos impellat.* *Describitur.*

ne haud se effert quo pacto interne principium conflent, quod positiuum existit. Potest etiam addi nec ad principium qua tale,sed vt est primum spectare;at principio accidit primum esse, plane illo modo,quo generi differentiæ,quibus ipsum ligatur. Idem dicendum apparet de tertia conditione,nempe vt ex ijs omnia fiant, tanquam ea,quæ nequit alijs principijs,nisi eis aptari, quæ priora non noscunt, sed prorsus sunt prima. Quæ cum ita se habeant censemus talem Ostensionem primo Poster. proponi textu 36. sic autem incedit,Quæ sunt de omni,per se,& quatenus ipsum, necessario insunt,sed vniuersalia prædicata sunt talia, igitur necessario insunt. At hæ conditiones summam necessitatem præbent. Quod vero spectat ad rationes, quibus contrarium tentabant, sic credimus respondendum. Et quidem prima,dum parum obseruantur, quæ fuerunt pro Philosopho dicta, non est cur valde conturbet. Nec Philosophus inquit principium peti,quia finitio, ac finitum sint idem, sed cum illo pacto habeant contraria,vt eandem constitutionem seruent, & vnius essentia per illam alterius mensuretur, certe illud erumpit,vt intantum vnum quo ad quid est,inquantum aliud patebit;ergo cum supponatur alterum, quod debet ostendi, quo ad ipsum quid ignotum, pariter erit alterum, quod in medio vsurpant, & repetitionem incident,nec aliquid monstrabunt,Cum autem addunt, sæpe hic testari Ostensionis medium haud causam internam,sed externam esse, credimus tantum intelligi de potissima Ostensione,quæ vt solum conflatur de affectionibus, sic solum externam causam adhibet. Nam quod a finitione ad finitũ inter locos topicos reflet,ac id ratiocinium spectet ad Dialectica: finitio dupliciter sumitur,vel vt rei declarationẽ notat,quouis pacto contingat,vel qua essentiam euoluit:quamuis haud sit negandum primo modo competere Dialectico, tanquam illi, qui in eo quiescit, si vulgarem vsum sectetur, tamen vltimo, cum distincte naturam proponat,plane negamus. Ac vt omnis difficultas tollatur,est obseruandum minus recte concludi, eo Ostensione principium peti, quia medium sit idem cum maiori extremo, sed satis Ostensio vigebit,si notitiæ,ad quas respicit sint diuersæ, nimirum vt hac via ex vna aliam ostendat. Ergo cum finitum rem confuse proponat, at finitio essentialis distincte, nihil se effert cur quidditatiua finitio spernat in medio sumi ad finitum monstrandum. Quanquam id non afferimus,quasi semper possit præstari, sed in eum sensum, vt tantum ad ea noscenda,quæ haud sunt affectiones:Nam in osten-

Propria confirmatio.

Rationes aduersæ eluuntur.

Finitionis duplex notio.

Ostensioni sufficit dũ ex vna ad aliam notitiam pergat.

In quibus decet monstrare per essẽtialem finitionem definitũ & in quibus non decet.

dendis affectionibus, clare petitio daretur. Et quidem si monstrandum sit hominem risiuum esse, & id fiat per substantialem risiui finitionem, tali pacto formabimus, Aptum ad risum in homine est risiuum, sed in homine est aptum ad risum in homine, igitur in homine est risiuum. In quo progressu, licet aliter D. Thomas, cum repetitio in maiori, tum quoque in minori patratur.

Cont. 31. *QVOMODO igitur definiens monstrabit essentiam, seu quod quid est? neque enim sicut demonstrans ex iis, quæ esse conceduntur, manifestum faciet quod necesse est illis existentibus aliud quiddam esse, Demonstratio nanque est hoc; neque sicut inducens per singularia, cum manifesta sint, quod omne ita se habet, eo quod nullum aliter, non enim quid est monstrat, sed quod aut est, aut non est. Quis igitur alius modus reliquus est? non*
Cont. 32. *enim monstrabit vtique sensu, aut digito. Præterea quomodo monstrabit quid est homo? necesse est enim cognoscentem quid est homo, vel aliud quodcunque, nosse etiam quod est, id enim quod non est, nemo nouit quid est, sed quid significet quidem oratio, aut nomen, cum dixero bircoceruus, quid autem sit bircoceruus est impossibile cognoscere. Verum enim vero si monstrabit quid est, & quod est, & quomodo eadem ratione monstrabit? nam & difinitio vnum quid declarat, & demonstratio, quid autem est homo, & esse hominem aliud*
Cont. 33. *est. Postea & per Demonstrationem dicimus necessarium esse monstrari omne quod est, nisi substantia esset; ipsum vero esse nulli est substantia, non enim genus est ipsum ens: Demonstratio igitur erit quod est, quod etiam nunc Scientiæ faciunt; quid enim significet triangulum Geometra accepit, quod autem sit monstrat. Quid igitur monstrabit definiens quid est, aut triangulum? sciens igitur aliquis defini-*
Cont. 34. *tione quid est, an sit non cognoscet, at impossibile est. Manifestum autem & secundum modos definitionum, qui nunc sunt, quod qui definiunt non monstrant quod est; nam etsi est ex medio æquale, sed propter quid est id, quod definitum est, & propter quid hoc est circulus quæritur: esset enim etiam orichalci dicere ipsum esse; neque enim quod possibile sit esse id, quod dicitur, commostrant definitiones, neque quod illud est, cuius dicunt esse definitionem, sed semper licet dicere propter*
Cont. 35. *quid. Si igitur definiens monstrat vel quid est, vel quid significat nomen, si nullo modo est ipsius quid est, esset vtique definitio oratio idem quod nomen significans, sed absurdum est; primum enim esset & non substantiarum, & non entium, possunt enim etiam non entia significari.*

cari. Praterea omnes orationes essent definitiones, liceret enim nomen imponere cuilibet orationi; quare cuncti definitiones colloqueremur, & Ilias desinitio vtique esset. Praterea nulla Scientia vtique demonstraret quod hoc nomen hoc significat, neque igitur ipsa definitiones hoc commonstrant. Ex his igitur videtur neque idem esse Syllogismum, ac definitionem, neque eiusdem esse Syllogismum, & definitionem. Ad hac autem definitionem nec demonstrare aliquid, nec monstrare, & ipsum quid est neque definitione, neque Syllogismo cognosci posse.

PRAELECTIO VI.

AD IPSVM QVID MONSTRANDVM vltimam viam lustrans.

RESTAT vnum modum videre, qui vt ordine postremum locum, sic principem obtinet in probabilitate; est vero ipsa definitio, quam aliquis facile crederet optimam viam esse ad quid est ostendendum. Contextus in quatuor partes diuiditur. Et quidem in prima talem viam proponit. In altera illam destruit. In tertia quandam refellit conclusionem. In vltima omnia epilogat, quæ hactenus disseruit. Vt autem distincte incedamus, est obseruandum binas notitias dari, vna ad Intellectum, alia ad sensum spectat. Quanquam minus accipimus, quasi possit aliquid in Mente esse, quod prius in sensu non steterit, sed quia saltem quædam eo pacto, quo per Intellectum, nequeant per sensum nosci. Hoc posito, sic contra finitionem agitur. Si definiens inter finiendum, quid est osten det, vel id tanquam demonstrans, vel tanquam inducens, vel tanquam sensu noscens præstabit, sed nullum decet ex his credere, igitur definiens, ipsum quid non ostendet. Maior propositio tum 2. Priorum, Cap. de Inductione, & hic Cap. vltimo nitet, tum quoque Sexto Ethic. Cap. 3. quibus locis sic loquitur, vt insinuet omnem notitiam, quæ in affirmatione, aut negatione constat, vel ex ratiocinio, vel ex Inductione pendere, at si definiens monstraret quid est, illam notitiam daret, quæ affirmationem, aut negationem continet. Minor cum tres partes habeat, licet sic stabilire.

Connexio. *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.* *Prima ratio.*

bilire. Et Sane quoad primam partem, cum Ostensio inter Syllogismi species sit princeps, vt hic ex quibusdam concessis positionibus, infert aliquid positionibus diuersum, sic debet Ostensio inferre, *quod necesse est illis existentibus aliud quidpiam esse*, at id nequid præstari in finiendo. Huius rei ratio occurrit, quia finitio diuersam habet naturam ab Ostensione. Nam quod pertinet ad aliam partem, etiam facile patet, si Inductionis naturam notemus, velut eam, quæ in eo consistit, vt sit progressus a singularibus ad vniuersale; sed hoc modo haud valet, *quid est, sed quod, aut est aut non est*, monstrare. Quam particulam minus exponimus vt Ioannes Grammaticus, & Auerroes affirmant, nimirum vt designet, Inductione detegi aliquid alicui inesse, vel certe non inesse, quando imperfecte exprimeret Inductionis munus; sed illo pacto, vt non solum esse complexum, sed vna incomplexum comprehendat. Et ex his fit notum quę nam requirantur, vt perfecta sit Inductio. Et quidem primum censetur, vt omnia singularia sint plana, nec sane eodem modo, sed si complexum rimamur, quo ad esse complexum, si vero incomplexum, quo ad incomplexum. Quod requisitum illa verba indicant, *cum manifesta sint*. Alterum vero, vt in ordine ad id, quod tentamus, singularia eodem pacto habeant, id est vt ipsum omnibus competat, & significat dum inquit, *eo quod nullum aliter*. quæ duo Inductionem præcedunt. Postremum putatur, vt ab omnibus singularibus ad vniuersale pergamus, atque ibi proponit, *omne ita se habet, eo quod nullum aliter*, & in hoc consistit Inductionis substantia, quam etiam primo Topic. expressit, Cap. 10. Quod ad tertiam partem attinet, prorsus nihil est timendum. Nam cum ipsum quid sit vniuersale, sensus autem obiectum, tantum singulare, illud succedit, vt definiens in finiendi actu nequeat quid monstrare, quasi per sensum noscat, sed solum ad Mentem spectabit. Atque hæc de prima ratione. Alia ratio aduersus finitionem sic habet. Quicunque cognoscit quid est, debet necessario cognoscere quod est, sed definiens in definiendo non ostendit quod est, igitur nec etiam quid est. Maiorem propositionem denotat, *necesse enim cognoscentem quid est homo &c.* quam itidem expressit Sexto Metaphysicæ textu primo. Ac vt omnia distincte pateant est aduertendum, id posse dupliciter sumi, primo ex parte confusæ notitiæ, postea in ordine ad distinctam, cum Philosophus docet, ad notitiam ipsius quid, necessario quod est nosci, minus sic vsurpat, vt confusam cognitionem,

Philoponus. *Auerroes.* *Propria expositio.* *Quid completa Inductio poscat.* *Secunda ratio.*

sed

ſed diſtinctam deſignet, quam præſertim quid eſt tradit, quo pacto ſic termini concordant, vt etiam inuicem vertantur, & ad diſtinctam quod cognitionem, ſimul quid cognitio ſequatur. Quanquam inter ſe diſſident, quia ex notitia ipſius quid, veluti ex cauſa, & priori, quod notitia dependet; at ex hac quaſi ex poſteriori, & effectu, notitia ipſius quid. Et hæc omnia non ſolum in accidentibus, quorum gratia traduntur, & de quibus quid venamur, ſed pariter ſunt vera in ſubſtantijs. Hinc licet inferre, quod, *id quod non eſt, nullus nouit quid eſt*. Ac quamuis nominis accedat ſignificatio, abſque eo vt quidquam ſit in natura, vt de Hircoceruo patet, tamen haud quid eſſentiale accedit, ni etiam res exiſtat. Poteſt autem ratio dici, quia cum ad quid cognitionem, itidem noſcatur rem eſſe, illud contingeret, vt quid eſt de eo, quod non eſt noſcentes, ſimul ipſum eſſe noſceremus, quod quam ſit inconueniens, ſatis ex ſe refulget. Atque hæc de maiori poſitione. Quod attinet ad minorem, quam deſignat, *at vero ſi monſtrabit quid eſt, & quod eſt, & quo modo, &c.* tribus rationibus firmatur. Prima ratio occurrit, quia vt Oſtenſione vnum aliquid monſtratur, ſic etiam monſtrabitur finitione, quare cum, *quid eſt homo, & eſſe hominem*, inter ſe diſſideant, vix apparet quo modo ſi finitio oſtendit quid eſt, vna poſſit quod eſt oſtendere. Ex quo illud erumpit, vt nec queat ipſum quid oſtendere. Nam vt fuit in maioris notatum declaratione, hæc nequeunt inuicem diſiungi, ſed mutuo ſectantur. Alia ratio cenſetur, quia ſi fuerit quod eſt ignotum, dicimus neceſſario noſcendum per demonſtrationem, quare cum finitio diuerſam naturam ſeruet, quam oſtenſio, nunquam poterit præſtare. Quanquam non intelligitur, quaſi nullum eſſe ſe dedat, quod illuſtris oſtenſio non tangat, ſed cum poſſit vel pro rei ſubſtantia ſumi, vel certe pro exiſtentia, dum aſſeritur ex hac oſtenſione monſtrari, id eſſe indicamus, quod rei ſubſtantia haud ſit, ac proinde exiſtentiam; etenim hæc, *nulli eſt ſubſtantia*. Hoc autem renidet, quia nemo loco generis adhibet. Nam quod pertinet ad differentias, cum adeo late pateat, vt nihil ſit in natura, ad quod ipſa non permeet, at differentiæ ens coarctent, minus eſt dubitandum an debet in diifferentijs poni; ſed cum rei eſſentia ſe gerat, vt tantum ex genere, ac differentijs conſtet, potius erit dicendum exiſtentiam, nunquam ad ſubſtantiam ſpectare. Sic cernimus diſciplinas facere, ſic etiam Geometram, *quid triangulum ſignificet*, capere, *quod autem ſit*, monſtrare. Quæ cum ita ſe habeant,

beant, *quid igitur finiens ostendet quid est vt Triangulum?* quibus verbis nihil aliud fertur, nisi quid nam dicemus a finiente ipsum quid ostendi, vt a finiente quid sit Triangulum? num dicemus ostendi quid est? at id nunquam valet stare; sed cum fuerit expressum, sic quod est ostensione monstrari, vt id nequeat per finitionem, plane succedet vt, *quis sciens finitione quid est, an sit non cognoscet*; hoc autem antea explosimus,& inter absurda reiecimus. Igitur concludendum quod si finiens haud valet quod est monstrare, nec etiam valebit ipsum quid. Tertia ratio ad eandem minorem firmandam, tali pacto se habet; nam si per, *finitionum modos, qui nunc sunt*, discurrimus, abunde splendescet, tantum abesse, vt finientes, quod est ostendant, vt nec etiam ostendant quid est. Potest exemplum esse in circulo; *qui est ex medio æquale*, id est quem finiunt esse figuram planam vna linea comprehensam, a cuius medio ad peripheriam omnes ductæ lineæ sunt æquales. At ex hac finitione minus se effert quod circulus existat. Licet id videre, quia is, qui audit, adhuc valet scrutari, *propter quid est quod finitur*, hoc autem non fieret si plene quod pateret, sed dum quidquam esse distincte scimus, statim a propter quid cessamus, & huius indaginem linquimus. Quod vero nec itidem quid est pateat, ob eandem causam fulget. Nam quis denuo quæret, *propter quid est hoc circulus?* Quæ verba prorsus idem denotant, ac propter quid tale est circuli ipsum quid? Et sane optima ratione, quando haud magis dicta finitio monstrat hanc essentiam ad circulum, quam ad orichalcum, vel leonem spectare; at si finiens in definiendo ostendit quid, non amplius propter quid quæremus; sed tanquam in re nota Mens stabit. Libet etiam addere ad maius robur, sic a finitione distare, vt quiddam esse ostendat, vt nec itidem ostendat *quod possibile sit esse*; nam pariter in hoc, *semper licet propter quid dicere*. Et hæc de altera textus parte sufficiant. Quod

Auerrois opinio. pertinet ad tertiam partem sic Auerroes exponit, vt existimet Philosophi consilium esse, post quam probauit haud posse per finitionem ostendi quid est, denuo contrariam partem sumere, & probare ipsum quid finitione ostendi. Neque decet mirum credere, si hunc modum hic seruet, sed in rebus, quæ disputando quæruntur, tunc viam placidiorem sternimus, ac tutius ad verum nitimur;

Deseritur. dum vtrinque argumentis gerimus. Verum hanc connexionem haud valde solidam reputamus. Et quidem missis varijs, quæ possunt adduci, & eam infirmam pandunt, illud satis conuincit, quod

in no-

In nostri textus fine tradit, quo loco epilogans, de quibus disseruit, ait ex dictis patere ipsum quid non posse finitione dignosci, sed si simul contrarium monstrasset, nulla ratio se daret, cur magis de vno, quam de altero meminisset, sed vel vtrumque exprimendum erat, vel vtrumque silendum. Quare missis omnibus, quæ Græci Interpretes, & alij indicant, vti parum forte dispositis; censemus proponi conclusionem, ac refelli, quæ breui ex superioribus legitur; nempe vt etiam per hoc traditæ rationes firmentur. Nam cum debeat finiens inter finiendum præstare aliquid, alioquin nullum esset finitionis munus, *vel definiens, quid est monstrabit, vel quid nomen significat, sed nullo modo est ipsius quid est*, vt fuit ante munitum, ergo illud succedet, vt saltem quid nominis ostendat. Hoc autem magis probatur, quia, vt textu 32. diximus, nominis declaratio non optat, vt quid est cognoscamus, sed probe obtinetur, quamuis lateat rem esse. Talis vero conclusio tribus rationibus ruit. Prima apparet, quia si finitio, tantum quid nominis pandit, statim illud erumpet, vt tum substantiarum, ac entium, tum, *non substantiarum, ac non entium esset*; Cuius rei causa occurrit, quia etiam non entia valent propria habere nomina, vt de Chimera, & id genus alijs, quæ finitione innotent; at id est inconueniens, cum vera finitio, solum liceat de ijs tradi, quæ in natura constant, & cum entibus ponuntur. Præterea si finitio nihil aliud in finiendo, præter quid nominis ostendit, plane continget, vt, *omnes orationes essent finitiones*; nam cum liceat cuiuis orationi quouis genere sumptæ, proprium nomen indere, nulla causa se effert, cur talis oratio, tanquam id nomen exprimens, haud sit finitio vocanda. Sic Homeri Poæma Ilias inscriptum nihil contineret, nisi inscriptionis finitionem. Sic etiam nos siue loquimur, siue certe disserimus, *cuncti terminos loquemur*. Etenim quid ex ore cadit, potest nomine notari. Quæ omnia adeo sunt inepta, vt nulla confutatione dignentur, sed statim ac aures tangunt, infirmitatem ostentant. Eo vero finitionem terminum vocat, tum quia est primum principium ab Ostensione liberum, & in quod finiendum soluitur, tum quia sic essentiam ambit, vt nec alienum claudat, nec proprium excludat. Postremo si finitio, solum quid nominis ostendit, simul idem Scientiæ monstrabunt, velut æe, ad quas finitiones collimant at, *nulla Scientia ostendit id nomen hoc significare*, nec in nominibus declarandis, quæ ex nostra voluntate pendent, sed in contemplandis rebus versantur; quare itidem cadit,

Propria sententia.

Cur definitio terminus dicatur.

quod, *nec finitiones id monstrant*. Atque hinc refulget quam infirma sit finitio pro quid est ostendendo, cum nec ipsum quid nominis detegat. Igitur concludendum, *nec idem Syllogismum, ac finitionem, nec eiusdem esse. Insuper finitionem nec demonstrare aliquid, nec monstrare*. Ideo vero addit, *nec monstrare*, vt magis finitionis leuitatem promat, quæ non solum nequit quidquam edere tanquam vera Ostensio, sed nec pariter vt alia ratio, per dictionem, *monstrare*, signata. *Et ipsum quid est nec posse finitione, nec Syllogismo cognosci*. Quæ verba haud exponimus, quasi tantum quosdam modos indicet, ipsum quid ostendendi, quod videntur passim velle, sed in eum sensum, ut omnes intelligat, quos adhuc tractauit. Nam cum omnes expensas uias, nunquam seorsum attendat, præter finitionem, quam modo discussit, sed semper Syllogismo iunctas, minus licet negare, Syllogismi nomine claudi. Quare dum ait, *ipsum quid nec definitione, nec Syllogismo cognosci*, prorsus idem denotat, ac nec finitionem, nec vllum ratiocinium dari, quouis modo, & forma constructum, quod possit quid est monstrare. Et hoc pacto omnes uiæ delentur.

Cont. 36. *ITERVM autem considerandum est quid horum dicitur bene, & quid non bene; & quid nam est definitio; & ipsius quid est an modo aliquo sit demonstratio, & definitio, an nullo modo.*
Cont. 37. *Quoniam autem idem est, vt diximus cognoscere quid est, & cognoscere causam ipsius an sit; ratio autem huius quod est aliqua causa, & hæc aut eadem, aut alia, & si sit alia aut demonstrabilis, aut indemonstrabilis: si igitur est alia, & contingit demonstrare, necesse est ipsam causam esse medium, & in prima figura monstrari; vniuersale nanque est, & prædicatiuum quod monstratur. Vnus itaque modus esset, qui nunc exquisitus est, per aliud ipsum quid est monstrari; & ipsorum enim quid est necesse est medium esse quid est, & propriorum proprium: quare hoc quidem monstrabit, hoc autem*
Cont. 38. *non monstrabit ipsorum quid erat esse eiusdem rei. Hic igitur modus quod non possit esse Demonstratio dictum est prius, sed est logicus Syllogismus ipsius quid est. Quo autem modo contingat dicamus, aggredientes rursus a principio.*

PRAE-

PRAELECTIO VII.

AD REM DETERMINANDAM *accedens.*

AT quamuis plurimum confert ad plenam notitiam tenendam si vndique argumentis vexemus, tamen nisi tandem ad verum appellitur, id pro viribus pandentes, tantum abest, vt quicquam disputationes iuuent, vt Mentem pluribus nodis detineant. Hoc Philosophus obseruans, post quam varios modos expendit Quid est ostendendi, sic omnia comparat detegere, vt nec prorsus aliquid negligat, nec possit quidquam distinctius agi. Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima illa proponit, de quibus vsque ad textum 47. In altera vnam viam determinat quid est cognoscendi. Quod attinet ad primam partem, *denuo est considerandum quid horum dicitur bene, & quid non bene.* Quo loco dictionem, *horum*, minus exponimus, tanquam solum ad Ostensionem, ac finitionem spectet; sed tali pacto, vt omnes vias comprehendat quid est demonstrandi, de quibus fuit ante discussum. Quanquam haud accipimus, quasi iterum velit omnes modos, sed tantum eos tractare, qui maiorem difficultatem seruant, & videntur magis pro re facere. Sunt autem ipsa Ostensio, quæ in medio quid est arripit, & etiam definitio: cæteros vero cum silentio inuoluat, satis infirmitatem præferunt, & rite fuisse euersi. Ergo est recolendum quod initio dicebatur, vere idem esse, *cognoscere quid est, & causam ipsius an sit*; cuius rei ratio apparet, quando omne quod est, quandam causam obtinet, ex qua proprium esse elicit. Et sane hæc, *aut eadem, aut alia existit.* Quæ verba missis pluribus, quæ Græci Interpretes, & alij adducunt, vti forte parum dispositis, sic exponimus, vt idem significent, ac siue eadem, siue sit alia causa. Nam cum velit proferre, quo modo Ostensio in medio quid est sumens, possit quo quo pacto seruire ad aliud quid monstrandum, nihil refert sancire, siue eadem, siue sit ab eo diuersa, cuius ipsa est causa; ob quam rem subdit, *& si sit alia*, quam partem altera omissa, statim secandam suscepit. In quo viri ingenium suspi-

Connexio. *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.* *Propria expositio.* *Aristotelis artificium*

quod, *nec finitiones id monstrant*. Atque hinc refulget quam infirma sit finitio pro quid est ostendendo, cum nec ipsum quid nominis detegat. Igitur concludendum, *nec idem Syllogismum, ac finitionem, nec eiusdem esse. Insuper finitionem nec demonstrare aliquid, nec monstrare*. Ideo vero addit, *nec monstrare*, vt magis finitionis leuitatem promat, quæ non solum nequit quidquam edere tanquam vera Ostensio, sed nec pariter vt alia ratio, per dictionem, *monstrare*, signata. *Et ipsum quid est nec posse finitione, nec Syllogismo cognosci*. Quæ verba haud exponimus, quasi tantum quosdam modos indicet, ipsum quid ostendendi, quod videntur passim velle, sed in eum sensum, ut omnes intelligat, quos adhuc tractauit. Nam cum omnes expensas uias, nunquam seorsum attendat, præter finitionem, quam modo discussit, sed semper Syllogismo iunctas, minus licet negare, Syllogismi nomine claudi. Quare dum ait, *ipsum quid nec definitione, nec Syllogismo cognosci*, prorsus idem denotat, ac nec finitionem, nec vllum ratiocinium dari, quouis modo, & forma constructum, quod possit quid est monstrare. Et hoc pacto omnes uiæ delentur.

Cont. 36. *ITERVM autem considerandum est quid horum dicitur bene, & quid non bene; & quid nam est definitio; & ipsius quid est an modo aliquo sit demonstratio, & definitio, an nullo modo.*
Cont. 37. *Quoniam autem idem est, vt diximus cognoscere quid est, & cognoscere causam ipsius an sit; ratio autem huius quod est aliqua causa, & hæc aut eadem, aut alia, & si sit alia aut demonstrabilis, aut indemonstrabilis: si igitur est alia, & contingit demonstrare, necesse est ipsam causam esse medium, & in prima figura monstrari; vniuersale nanque est, & prædicatiuum quod monstratur. Vnus itaque modus esset, qui nunc exquisitus est, per aliud ipsum quid est monstrari; & ipsorum enim quid est necesse est medium esse quid est, & propriorum proprium: quare hoc quidem monstrabit, hoc autem*
Cont. 38. *non monstrabit ipsorum quid erat esse eiusdem rei. Hic igitur modus quod non possit esse Demonstratio dictum est prius, sed est logicus Syllogismus ipsius quid est. Quo autem modo contingat dicamus, aggredientes rursus a principio.*

PRAE-

PRAELECTIO VII.

AD REM DETERMINANDAM accedens.

AT quamuis plurimum confert ad plenam notitiam tenendam si vndique argumentis vexemus, tamen nisi tandem ad verum appellitur, id pro viribus pandentes, tantum abest, vt quicquam disputationes iuuent, vt Mentem pluribus nodis detineant. Hoc Philosophus obseruans, post quam varios modos expendit Quid est ostendendi, sic omnia comparat detegere, vt nec prorsus aliquid negligat, nec possit quidquam distinctius agi. Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima illa proponit, de quibus vsque ad textum 47. In altera vnam viam determinat quid est cognoscendi. Quod attinet ad primam partem, *denuo est considerandum quid horum dicitur bene, & quid non bene*. Quo loco dictionem, *horum*, minus exponimus, tanquam solum ad Ostensionem, ac finitionem spectet; sed tali pacto, vt omnes vias comprehendat quid est demonstrandi, de quibus fuit ante discussum. Quanquam haud accipimus, quasi iterum velit omnes modos, sed tantum eos tractare, qui maiorem difficultatem seruant, & videntur magis pro re facere. Sunt autem ipsa Ostensio, quæ in medio quid est arripit, & etiam definitio: cæteros vero cum silentio inuoluat, satis infirmitatem præferunt, & rite fuisse euersi. Ergo est recolendum quod initio dicebatur, vere idem esse, *cognoscere quid est, & causam ipsius an sit*; cuius rei ratio apparet, quando omne quod est, quandam causam obtinet, ex qua proprium esse elicit. Et sane hæc, *aut eadem, aut alia existit*. Quæ verba missis pluribus, quæ Græci Interpretes, & alij adducunt, vti forte parum dispositis, sic exponimus, vt idem significent, ac siue eadem, siue sit alia causa. Nam cum velit proferre, quo modo Ostensio in medio quid est sumens, possit quo quo pacto seruire ad aliud quid monstrandum, nihil refert sancire, siue eadem, siue sit ab eo diuersa, cuius ipsa est causa; ob quam rem subdit, *& si sit alia*, quam partem altera omissa, statim secandam suscepit. In quo viri ingenium suspi-

Connexio. *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.* *Propria expositio.* *Aristotelis artificium*

quod, *nec finitiones id monstrant*. Atque hinc refulget quam infirma sit finitio pro quid est ostendendo, cum nec ipsum quid nominis detegat. Igitur concludendum, *nec idem Syllogismum, ac finitionem, nec eiusdem esse. Insuper finitionem nec demonstrare aliquid, nec monstrare*. Ideo vero addit, *nec monstrare*, vt magis finitionis leuitatem promat, quæ non solum nequit quidquam edere tanquam vera Ostensio, sed nec pariter vt alia ratio, per dictionem, *monstrare*, signata. *Et ipsum quid est nec posse finitione, nec Syllogismo cognosci*. Quæ verba haud exponimus, quasi tantum quosdam modos indicet, ipsum quid ostendendi, quod videntur passim velle, sed in eum sensum, ut omnes intelligat, quos adhuc tractauit. Nam cum omnes expensas uias, nunquam seorsum attendat, præter finitionem, quam modo discussit, sed semper Syllogismo iunctas, minus licet negare, Syllogismi nomine claudi. Quare dum ait, *ipsum quid nec definitione, nec Syllogismo cognosci*, prorsus idem denotat, ac nec finitionem, nec vllum ratiocinium dari, quouis modo, & forma constructum, quod possit quid est monstrare. Et hoc pacto omnes uiæ delentur.

Cont. 36. *ITERVM autem considerandum est quid horum dicitur bene, & quid non bene; & quid nam est definitio; & ipsius quid est an modo aliquo sit demonstratio, & definitio, an nullo modo.*
Cont. 37. *Quoniam autem idem est, vt diximus cognoscere quid est, & cognoscere causam ipsius an sit; ratio autem huius quod est aliqua causa, & hæc aut eadem, aut alia, & si sit alia aut demonstrabilis, aut indemonstrabilis: si igitur est alia, & contingit demonstrare, necesse est ipsam causam esse medium, & in prima figura monstrari; vniuersale nanque est, & prædicatiuum quod monstratur. Vnus itaque modus esset, qui nunc exquisitus est, per aliud ipsum quid est monstrari; & ipsorum enim quid est necesse est medium esse quid est, & propriorum proprium: quare hoc quidem monstrabit, hoc autem*
Cont. 38. *non monstrabit ipsorum quid erat esse eiusdem rei. Hic igitur modus quod non posit esse Demonstratio dictum est prius, sed est logicus Syllogismus ipsius quid est. Quo autem modo contingat dicamus, aggredientes rursus a principio.*

PRAE-

PRAELECTIO VII.

AD REM DETERMINANDAM accedens.

AT quamuis plurimum confert ad plenam notitiam tenendam si vndique argumentis vexemus, tamen nisi tandem ad verum appellitur, id pro viribus pandentes, tantum abest, vt quicquam disputationes iuuent, vt Mentem pluribus nodis detineant. Hoc Philosophus obseruans, post quam varios modos expendit Quid est ostendendi, sic omnia comparat detegere, vt nec prorsus aliquid negligat, nec possit quidquam distinctius agi. Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima illa proponit, de quibus vsque ad textum 47. In altera vnam viam determinat quid est cognoscendi. Quod attinet ad primam partem, *denuo est considerandum quid horum dicitur bene, & quid non bene.* Quo loco dictionem, *horum*, minus exponimus, tanquam solum ad Ostensionem, ac finitionem spectet; sed tali pacto, vt omnes vias comprehendat quid est demonstrandi, de quibus fuit ante discussum. Quanquam haud accipimus, quasi iterum velit omnes modos, sed tantum eos tractare, qui maiorem difficultatem seruant, & videntur magis pro re facere. Sunt autem ipsa Ostensio, quæ in medio quid est arripit, & etiam definitio: cæteros vero cum silentio inuoluat, satis infirmitatem præferunt, & rite fuisse euersi. Ergo est recolendum quod initio dicebatur, vere idem esse, *cognoscere quid est, & causam ipsius an sit*; cuius rei ratio apparet, quando omne quod est, quandam causam obtinet, ex qua proprium esse elicit. Et sane hæc, *aut eadem, aut alia existit.* Quæ verba missis pluribus, quæ Græci Interpretes, & alij adducunt, vti forte parum dispositis, sic exponimus, vt idem significent, ac siue eadem, siue sit alia causa. Nam cum velit proferre, quo modo Ostensio in medio quid est sumens, possit quo quo pacto seruire ad aliud quid monstrandum, nihil refert sancire, siue eadem, siue sit ab eo diuersa, cuius ipsa est causa; ob quam rem subdit, *& si sit alia*, quam partem altera omissa, statim secandam suscepit. In quo viri ingenium

Connexio. *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.* *Propria expositio.* *Aristotelis artificium*

PRAELECTIO VII.

AD REM DETERMINANDAM accedens.

AT quamuis plurimum confert ad plenam notitiam tenendam si vndique argumentis vexemus, tamen nisi tandem ad verum appellitur, id pro viribus pandentes, tantum abest, vt quicquam disputationes iuuent, vt Mentem pluribus nodis detineant. Hoc *Connexio.* Philosophus obseruans, post quam varios modos expendit Quid est ostendendi, sic *Institutum.* omnia comparat detegere, vt nec prorsus aliquid negligat, nec possit quidquam distinctius agi. Contextus in duas partes diuiditur. *Diuisio.* Et quidem in prima illa proponit, de quibus vsque ad textum 47. In altera vnam viam determinat quid est cognoscendi. Quod attinet ad primam partem, *denuo est considerandum quid* *Expositio.* *horum dicitur bene, & quid non bene.* Quo loco dictionem, *horum,* minus exponimus, tanquam solum ad Ostensionem, ac finitionem spectet; sed tali pacto, vt omnes vias comprehendat quid est demonstrandi, de quibus fuit ante discussum. Quanquam haud accipimus, quasi iterum velit omnes modos, sed tantum eos tractare, qui maiorem difficultatem seruant, & videntur magis pro re facere. Sunt autem ipsa Ostensio, quæ in medio quid est arripit, & etiam definitio: cæteros vero cum silentio inuoluat, satis infirmitatem præferunt, & rite fuisse euersi. Ergo est recolendum quod initio dicebatur, vere idem esse, *cognoscere quid est, & causam ipsius an sit*; cuius rei ratio apparet, quando omne quod est, quandam causam obtinet, ex qua proprium esse elicit. Et sane hæc, *aut eadem, aut alia existit.* Quæ verba missis pluribus, quæ Græci Interpretes, & alij adducunt, vti forte parum dispositis, sic exponimus, vt idem significent, ac siue eadem, siue sit alia *Propria expositio.* causa. Nam cum velit proferre, quo modo Ostensio in medio quid est sumens, possit quo quo pacto seruire ad aliud quid monstrandum, nihil refert sancire, siue eadem, siue sit ab eo diuersa, cuius ipsa est causa; ob quam rem subdit, *& si sit alia,* quam partem altera omissa, statim secandam suscepit. In quo viri ingenium *Aristotelis artificium*

Ii 2 suspi-

Metaphys. prope finem, siquidem ibi asserit nullam causam dari, ob quam aliquid sit id, quod est, vti ob quam homo sit animal rationale, sed eo est animal rationale, quia est homo; quare cum Ostensio sic pergat, vt causam in medio vsurpet, quam ipsum quid non habet, certe illud emergit, vt nec queat de eo Ostensio edi. Verum est cur aliquid timeamus, quasi obuiam occurrat, quod hanc opinionem perturbet. Nam, vt fuit alias traditum, haud plene perfecta ostensio, plene interdum se habet, si notitiæ, ad quas respicit sint diuersæ, & ex causa confletur, quæ per accidens excludat, nimirum vt hoc modo de vna, ad aliam notitiam ducat. Ergo cum minus extremum rem confuse proponat, quod ipsa nomina agunt, maius vero distincte, quod essentia, ac definitio præbent, qua via inuicem distant, & ratione distinguuntur, sane non apparet cur si vnum de altero monstratur ex propria causa, nequeat hic progressus Ostensionis gradum, nec certe perfectum, sed aliquem tueri. *Non probatur.*

Nam quod attinet ad rationes, nunquam illis tantum damus, ut nos in contrarium trahant. Et quidem noster textus, dum probe notantur, quæ adhuc conclusimus, vere nihil includit, quod horum sententiam confirmet. Ac sane cum Philosophus monet rationem, in qua ipsum quid de re, cuius est quid monstratur, solum in dialecticis ponendam, dicimus sic accipere, vt in ordine ad quid est prout tale intelligat, quo pacto, vt prius fuit expensum, nullus Syllogismus cogit; at respectu ipsius quid, qua est prædicata gestans, quæ per se de subiecto monstrantur, nec in præsentia indicat, tanquam id, quod nihil ad rem ducebat, nec licet verum putare, vt adhuc tetigimus. Ad illam autoritatem ex Octauo Metaphysices promptam, quamuis sic posset exponi, vt simpliciter negaretur de causa, quam contendunt, asseri, nullam causam dari, ob quam aliquid sit id, quod est; tamen hoc adhuc donantes, dicimus posse dupliciter sumi, vno modo, vt omne quod est designet, alio uero ut solum substantiam, atque adeo id omne, quod non est propter aliud; primo pacto negamus, at ultimo concedimus. Nam cum affectiones externam causam noscant id est aliam a quiditate, ut ea est causa inhærentiæ affectionis in subiecto, sic etiam uix apparet cur nequit eiusdem causa poni, sed cum affectionum essentia sit inesse, ut hoc ab alio habent, sic una propriam substantiam. In hunc modum censemus terrę oppositum, non solum causam Eclipsis esse, sed etiam *Rationes aduersæ delentur.*

luminis

Lunæ conuersio, an extinctio luminis, hoc autem est ratio alterius extremi, vt in his ipsius A. est enim eclipsis obstructio terræ; quid est tonitrus? ignis extinctio in nube, propter quid tonat? eo quod extinguitur ignis in nube: sit nubes C. tonitrus A. extinctio ignis B. ipsi vtique C. nubi inest B. extinguitur enim in ipsa ignis, huic autem ipsum A. sonus, & est B. ratio ipsius A primi extremi. Si vero rursus huius aliud medium esset, ex reliquis erit rationibus. Quomodo igitur sumitur ipsum quid est, & fit notum, dictum est. Quare Syllogismus quidem ipsius quid est non fit, neque Demonstratio, manifestum tamen fit per Syllogismum, & Demonstrationem; quare neque sine Demonstratione est cognoscere ipsum quid est, quorum est causa alia, neque est Demonstratio ipsius, quemadmodum & in dubitationibus diximus. Est autem horum quidem alia quædam causa, horum autem non est; quare manifestum est quod & ipsorum quid est alia quidem immediata, & principia sunt, quæ & esse, & quid sint supponere oportet, vel alio modo manifesta facere, quod Arithmeticus facit, vnitatem enim supponit & quid est, & quod est. Habentium autem medium, & quorum est alia quædam causa substantiæ, est per Demonstrationem, quemadmodum diximus, manifestare, non ipsum quid est demonstrantes. **Cont.42.** **Cont.43.**

PRAELECTIO VIII.

QVID EST COGNOSCENDI VERVM modum instituens.

POST quam Philosophus constituit ratiocinium in medio quid est sumens, haud tantas vires habere, vt queat ipsum quid monstrare, sed si quidquam sit cedendum, illud tantum esse, vt quasi probabilis Syllogismus præstet; modo aliam viam aggreditur, quam vti primus inuenit, ac comprobauit, sic ingeniosum iudicium exprimit. *Connexio,* *Institutum.*

Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima talem modum orditur. In altera eorum facit epilogum, quæ nobis discussit. Quod attinet ad primam partem, vt res distincte pateat, tanquam id, cuius gratia omnia tractauit, prius debent duo supponi, quæ maxime viam præmonstrant. Primum autem occurrit, eundem ordinem habere inuicem quæstiones simplices, quem compositæ *Diuisio.* *Expositio.* *Prima hypothesis.*

sitæ habent, quod etiam alias dictum fuit. Nam sic licet interdum quærere de compositis, vt postquam quod innotuit, statim propter quid quæramus. Huius rei ratio putatur, quia cum ipsum quod tali pacto se gerat, vt non solum possit per causam, & perfecte, sed etiam sine causa, & imperfecte nosci; dum postremum contingit, tunc quod notitia illam propter quid præcedit. Licet pariter interdum sic quærere, vt simul ambo pandantur; & succedit cum vtrumque ignorantes, ac ipsum quod scrutamur, statim causa se effert, ac vtrumque obtinemus. *At non prius ipsum propter quid possibile est noscere, quam ipsum quod*. Potest ratio adduci, quia ipsum quod, vere in propter quid hæret, ob quam rem vix apparet qua via queat propter quid diuelli, & ab illo recedat. Hæc tria etiam videntur competere simplicibus quæstionibus; etenim interdum postquam extabit rem esse, statim ipsum quid venamur; interdum vero simul ambo promuntur. Sed, *ipsum quid erat esse non absque ipso quod est*. Quæ omnia haud sane noua ratione, sed eisdem ex causis fiunt, quibus fuit de complexis traditum. Nam si eadem est proportio inter simplices quæstiones inter se, quæ etiam inter compositas, prorsus nequit præstari nisi ob easdem causas. Alterum vero occurrit, posse aliquid esse, dupliciter comprehendi, vno modo secundum accidens, alio vero, *aliquid rei habentes*, ac per se. Sic noscimus, *tonitrum quod est sonus quidam nubium, et eclipsim quod est priuatio quædam luminis, et hominem quod est animal quoddam, et animam quod est ipsum se ipsum mouens*, Quę exempla quid in præsentia notent, adeo Interpretes vacillant, vt simul de hypothesi dubitent, nempe quo pacto sit vsurpanda. Ac certe quidam contendunt nihil aliud signare, præter eam duplicem uiã, qua per ratiocinium, & medium rem esse tenetur. Vna existit cum absque causæ cognitione, sed per posterius accidens habemus rem esse; altera vero dum ex causæ cognitione, a qua ut res proprium esse sumit, sic debet per illam nosci. Primam dicunt notare, *ipsum vero an sit quandoque quidem habemus per accidens:* at postremam dum inquit, *quandoque autem aliquid rei habentes*. Nam quod pertinet ad exempla, alij Auerroi subscribunt aienti, solum ut eius uiæ tradi, quę per quendam effectum ostendit: alij uero tanquam illius quę per aliquid prius, & per causam. Verum hanc expositionem haud satis tutam existimamus. Illud uero maxime inuitat, quia si exempla notantur, quę Philosophus affert, tanquam ea, quibus decet ueram sententiam rimari, certe nihil emergit, cur debeant uiæ intel-

Secunda hypothesis.

Quorundam expositio.

Reijcitur.

ligi,quæ ex medio,ac ratiocinio detegunt. Sed cum, *ſonus quidam nubium*, vere tonitrus ſubſtantia, &, *quadam luminis priuatio*, ſit ſubſtantia eclipſis,minus licet cernere, quomodo queant in medio poni ad id oſtendendum,cuius iſthæc ſunt eſſentia. Nam vt alibi concluſimus, & etiam concedunt, in monſtrandis affectionibus, ſi illarum quidditas ſtet in medio, tantum abeſt vt quicquam conficiat,vt clare principium petat.Nam ſcopulum vitare,dicendo hęc prædicata non quaſi rebus quiditatiua, vt Auerroes putabat, ſed tanquam accidentia capi, eſt apertam vim inferre. Quanquam haud eſt negandum quartum exemplum,quo teſtatur animam eſſe, *ipſum ſe ipſum mouens*,nec animæ ſubſtantiam eſſe,nec qua tale proponi,ſed potius velut accidens, & alterius viæ exemplum, quæ per aliquid poſterius explicat. Neque ſane negocium præbet,quia hanc viam,tantum vnico exemplo, at alteram tribus illuſtret;nam etiam inferius in compoſitis quæſtionibus tractandis eundem ritum ſeruabit. Quæ cum ita ſe habeant miſſis varijs, quæ Interpretes adducunt, tanquam illis, quæ vel forte parum quadrant,vel ſaltem haud plene rem exprimunt, cenſemus eodem modo de ſecunda hypotheſi,quo de prima habere, quare cum in prima tum complexas quæſtiones,tum incomplexas claudat, illud ſuccedit, vt ſimul debeant in ſecunda claudi. Et hæc ratio exiſtit cur illa quatuor exempla dederit, quæ nos adhuc tetigimus,nimirum vt ſolum ſpectantia ad ſimplicis quæſtionis notitiam; quod ex eo refulget, quia tantum genus, ac differentias expreſſit, quæ ad ſimplices quæſtiones prout tales ſufficiunt. Et quidem ſi verum genus, ac differentiæ ſumantur, quaſi per aliquid rei noſcendas; ſi vero genus,& differentiæ non veræ, vt per quoddam externum. At cum hæ quæſtiones non ſolum in accidentibus, ſed etiam in ſubſtantijs conſtent,ideo prima duo exempla in accidentibus,reliqua in ſubſtantijs finxit. Quę autem deinceps feret,vt ſolum ad complexas quæſtiones ſpectabunt, & ad illam duplicem viam,quę ratiocinio,& medio oſtendit rem eſſe, ſic ſolum in accidentibus proponet, quibus tantum proprie competunt. His in hunc modum notatis,prorſus eſt dicendum quod, *quæcumque per accidens nouimus quod ſunt, neceſſe eſt nos nullo modo habere ad ipſum quid eſt*. Decet id deprehendere,quia, *nec quod eſt noſcimus*. Nam cum queat rem eſſe, dupliciter teneri, vno modo ſimpliciter ac perfecte,alio vero ſecundum quid,& imperfecte, quamuis haud ſit negandum intermedijs accidentibus poſſe altero pacto noſci,ta

Propria expoſitio.

Kk men

men eo velut potius ignorantia hic habito, primo pacto, quod Philosophus indicat, minus potest. Cuius rei ratio censetur, quia tunc uere aliquid noscitur esse, dum per propriam causam gerimus. Ex quo pariter cadit, *quod quærere quid est non habentes quod est, nihil est quærere*. Quę uerba prorsus idem signant, ac ipsum quod in quid est includi. At licet ea, quę diximus sint verissima cum per quoddam accidens renidet rem esse, tamen de quibus rei, *aliquid habemus*, & ex propria causa, ac quiditatiuis patent, tunc breui in quid est notitiam uenimus. Quod si aliquis opponit primo de Anima textu 11. contrarium haberi, quo loco affirmat accidentia, ualde ad quid noscendum facere: & sane optima ratione, nam ut accidens, & affectio, maxime ex essentia pendent, sic etiam illam exprimunt, & in eius notitiam ducunt; est obseruandum posse uarijs modis Scientiam gigni, quibus missis, tanquam nihil ad rem spectantibus, id dupliciter contingit, uno pacto *formaliter*; alio uero quasi per instrumentum, ac dispositiones; dum primo de Anima testatur accidentia pro quid est noscendo iuuare, tantum hoc postremum notat, qua uia dubitatio conuincit; ac vt accidentia eius sapiunt quid est, a quo ipsa dimanant, sic perquam decens creditur, vt illud queant referre; at id formaliter non succedit, quo modo hic indicat. Huius rei ratio occurrit, quia talis cognitio, solum ex ijs pendet, quæ ipsum quid componunt, accidentia vero nunquam componunt quid est, cui sunt accidentia. Quare est statuendum, tantam inter quod, & quid copulam esse, & vnum per alterum expendi, quod, *sicut habemus ipsum quod, sic nos ad quid est habemus*, Ac vt omnia distincte pateant, sit nobis quod noscendum, vti Eclipsim esse, & id, *per aliquid ipsius quid est*, nempe per aliquid rei fiat, tali pacto disponemus, vt Eclipsis maior extremitas ponatur, *in quo A. Luna vero minor, in quo C.* at Terræ obiectio medium, & causa, *in quo B.* sane cum omnis quæstio sit quęstio causę, nihil aliud erit scrutari vtrum Luna deficiat, an non quam, *ipsum B. an sit, nec ne quærere*, haud quidem absolute, & per se, sed quasi causam, & in ordine ad effectum. Hoc autem apparet, quia ad perfectam notitiam, minus satis putatur rei causam noscere, ni etiam vt causam noscamus; quo pacto num sit B. nec ne quærere, *nihil differt ac quærere num sit ratio ipsius*, A. ac proinde Terræ scrutari interpositum, idem est censendum, ac nunquid quædam sit causa eclipsis, quæ cum patuerit esse, statim, *illud quoque dicimus esse*, nimirum eclipsim, & defectum. Hoc idem contingit dum quærimus

Dubitatio.

Solutio.

rimus an Triangulum habeat tres æquales duobus rectis nec ne; etenim nihil quærimus, nisi, *vtrius partis contradictionis est ipsa ratio*, id est vtrum sit causa ponenda, per quam hæc affectio competat Triangulo, vel certe nulla se dedat. Cum autem nouimus affectionem esse, pariter, *simul quod, & propter quid nouimus*. Quanquam non debet sumi quasi possit semper præstari, sed eo modo, *si per media sit*, affectio cognita, nempe ex propria, & adæquata causa, tanquam illa, a qua vt res simpliciter pendet in esse, sic in præsentia accipitur. Nisi vero sic tenemus, sed tantum per aliquem effectum, & accidens, solum, *ipsum quod sed non propter quid*, patebit. Decet hoc videre si monstrandum sit eclipsim esse, nec id amplius per quidquam rei, ac prius; sed tantum per accidens, & posterius fiat, sic autem recte habebit. Et quidem Luna sit minus extremum C. eclipsis vero maius A. *at in plenilunio, nullo inter nos medio existente manifesto vmbram non posse facere*, medius terminus B. tum sic, B. est A. sed C. est B. Igitur C. est A. Maiorem positionem insinuat, *huic autem ipsum A.* Nam cum Luna Solis radijs illustrata, & ad corpora pertingens, vmbram illorum faciat, modo nullum sit impediens, ex quo nequit lumen ad nos venire, si in plenilunio, in quo debet lumen vigere; tale prohibens non adest, nec tamen corporum vmbram reddit, licet tute dicere eam defecisse, ac Solis radijs deseri. Minorem dum ait, *igitur si ipsi C. inest B.* at per id ratiocinium vere solum quod, haud propter quid patuit, ac proinde, *quod eclipsis est nouimus, quid autẽ est non nouimus*. Quæ verba summo artificio addidit. Nam cum perfectum quid accidentis, quod adhuc pertractatur, totum in propter quid consistat, id volens innuere, postquam dixit ex hac Ostensione haud propter quid patere, ideo statim adiunxit, nec etiam patere quid est; nempe vt cerneretur quanta esset inter hæc coniunctio, quorum vnum per alterum metitur, nec vnum extra aliud quærendum. Quod vero nihil ex his pateat, amplum indicium adest, quia dum per hanc Ostensionem nouerit A. in C. inesse, plane minus quiescimus, sed vlterius scrutamur, *propter quid inest*; at hoc nihil aliud videtur, nisi B. & causam quærere, scilicet num obstructio vt aliqui, an vt quidam Lunæ conuersio, vel certe vt alij sit luminis extinctio; quæuis autem ponatur, itidem, *est ratio*, id est ipsum quid, *alterius extremi*, vt in nostro exemplo ratio, *ipsius A. etenim Eclipsis est Terræ obstructio*. Hoc idem licet in tonitru cernere, de quo si aliquis quærat, *quid est tonitrus?* probe responde-

mus quod, *ignis extinctio in nube*. Rursus si denuo, *propter quid tonat?* etiam recte dicimus, *quia ignis in nube extinguitur*. Potest uero sic ostensio disponi; et quidem nubes sit minus extremum C. tonitrus vero maius extremum A. at ignis extinctio medius terminus, & causa B. tum in hunc modum formatur, B. est A. sed C. est B. igitur C. est A. Maior propositio relucet, *huic autem ipsum A. sonus*. Minor dum ait, *vtique ipsi C, nubi inest* B. at in hoc Syllogismo idem B. in medio sumptum non solum debet causa censeri, sed etiam, *ratio*, & quid est, *ipsius A. primi extremi*. Quibus verbis haud Philosophus asserit causam esse quid est, quasi totum quid existat, sed tantum de ea meminit, ac tali nomine vocat, vt de qua magis anceps videtur, num ad assentiam spectet, quamuis huius primaria sit pars, tanquam illa, a qua cæteræ partes pendent substantiæ accidentis. *Quod si rursus huius esset aliud medium ex reliquis erit rationibus.* Quæ particula vt valde difficultatem gerit, sic valde Interpretes disiungit. Nos missis pluribus, quæ a Græcis, & alijs traduntur, quorum forte infirmitas cum fuit per aliquos detecta, tum potest ex ijs deprehendi, quæ alibi afferimus, dum illustris venamur Ostensionis

Albertus. medium; credimus sic Alberti expositionem stare, vt inter vulgatas primatum seruet, licet quidam ex Neotericis, omnium pessimam vocent; nimirum vt designet, quod si, *huius*, maioris extremi A. aliud medium sumitur, præter B. haud erit amplius cum necessariis, & adæquatis, sed solum in probabilibus locandum; ac velut affectio sub insignem Ostensionem cadens, vnam propriam causam habet, & ab illa dependet, sic tantum potest per eam componi. Nisi vero sic testemur, quæuis alia media, vel causæ ponantur, nunquam tantas vires gerent, vt queant Ostensionem conflare. Ex quo succedit, vt cum medium, & quid est, idem vere inter se sint, tale debeat ipsum quid, quale medium censeri; quare si id non ex necessariis, & per se, nec itidem illud dicetur, sed vt medium ex probabilibus, ac dialecticis, sic pariter ipsum quid, *ex reliquis erit rationibus*: nempe ex probabilibus,

Propria expositio. & dialecticis. Libet etiam addere cum ait, *si vero rursus huius aliud medium, &c.* nihil aliud notari, nisi quod licet talis affectio plura media, & causas obtineat tamen omnes erunt quid est putandæ, quamuis disiunctim acceptæ. Et hæc explicatio valde nobis arridet. Potest ratio afferri, quia dum magis summam copulam pandit, quæ inter nostræ Ostensionis medium,

&

& quid est consistit, vna horum verborum nexum detegit cum superioribus, quem sic ægre cernimus in Alberti expositione, vt possint frustra apposita credi. Igitur concludendum ex adhuc dictis patere, *quo modo accipitur quid est, & sit notum*. Et quidem, vt fuit ante conclusum, licet nequeat ipsum quid inferri per Ostensionem, tamen cum Ostensio, quæ ex vera causa monstrat rem esse, etiam simul quid est inuoluat, ideo fit, *per Syllogismum, & Demonstrationem*, id est ope ostensiui Sillogismi clarum. *Quare nec absque Ostensione est ipsum quid noscere, quorum est alia causa, nec ipsius est Ostensio*. Addit vero, *quorum est alia causa*, vt sit notum, haud simpliciter essentiam hac Ostensione egere, sed respectu effectuum, qui ab ipsa dependent; nec sane omnem causam, sed eam, quæ fuit olim tradita, dum expressimus insignis Ostensionis medium. Ergo cum inquit, *quorum est alia causa*, plane idem indicat, ac quorum est illa causa, qua præstans sit Ostensio. Licet vero id dictum, pariter in ijs valeat, quæ hanc causam non obtinent tot conditionibus illustrem, sed satis putatur si causam sic agnoscunt, vt extra propriam essen tiam habeant, tamen cum hic signet potissimam Ostensionem, certe minus videtur nisi causam notare, ex qua talis stat Ostensio. Ac vt omnia pateant, est obseruandum cum inquit, *est autem horum quidem alia quædam causa, horum autem non est*, nunquam sic intelligi, vt communiter declarant, aientes ipsum ens partiri, sed cum primaria Ostensio, tantum in paucis detur, eo pacto sumuntur, vt solum illa attendant, in quibus sit hæc Ostensio. Et hac via, prorsus nihil indicabit, præter affectionem, & subiectum, quæ præcellens Ostensio poscit. Et sane primum designat dum ait, *est autem horum quidem alia quædam causa*. at postremum ibi, *horum autem non est*. Ac quamuis subiectum sit dispositum, vt extra propriam substantiam, forte causam teneat, ex qua possit, a priori, & in quadam Scientia nosci, tamen satis censetur si in propria disciplina nequit, quod in præsentia insinuat, affirmans nullam causam habere; nam vt in ea est ratio cæterorum, sic nihil superius respicit. Quare etiam elucet, *quod & ipsorum quid est quædam nullum medium admittunt, sed vere in Principiis ponuntur, quæ & esse, & quid sint oportet supponere*; vel si plane non sint nota, debent alio modo, quam per causam patere. Sed in ijs, quæ medium obtinent, *& quorum est alia quædam causa substantiæ, est per Ostensionem, vt diximus, manifestare, haud ipsum quid est monstran-*

strantes; quod minus accipimus tanquam binas diuersas essentias notet, sed tali pacto, vt solum eandem diuerso respectu distinctam; quasi dicat, ex adhuc dictis patere, quod si quoddam genus quid est per se sumimus, vere medio vacabit, ob quam rem tantum decet in Principijs ponere; si vero in ordine ad effectiones, nempe qua illarum causa censetur, & propter quid Ostensionem intrat, certe sic hanc respicit, vt aliquo modo dependeat.

Cont.44. *DEFINITIO autem quoniam esse dicitur oratio ipsius quid est, manifestum est quod aliqua quidem est oratio quid significat nomen, vel oratio alia nominalis, vt quid significat quid est quatenus Triangulum, quod habentes quod est, quærimus propter quid est: difficile autem est ita accipere, quæ non nouimus quod sunt; causa vero dicta est prius difficultatis, quoniam*
Cont.45. *neque an sint, necne, nouimus, nisi secundum accidens. Vna quidem definitio definitionis est quæ dicta est; alia vero est definitio, oratio declarans propter quid est: quare prior significat quidem, at non monstrat, posterior vero manifestum est quod erit tanquam Demonstratio ipsius quid est positione differens a Demonstratione; differt enim dicere, propter quid tonat? & quid est tonitrus? nam sic quidem dicet, quoniam extinguitur ignis in nubibus; quid autem est tonitrus? sonus ignis, qui extinguitur in nubibus; quare eadem oratio alio modo dicitur, & sic quidem Demonstratio continua, sic autem definitio. Oratio autem vna est dupliciter, hæc quidem coniunctione vt Ilias,*
Cont.46. *illa vero eo quod vnum de vno significat non per accidens. Præterea definitio tonitrus est, sonus in nubibus, hæc autem est eius, quæ est ipsius quid est, Demonstrationis conclusio; immediatorum autem definitio est ipsius quid est positio indemonstrabilis. Est igitur definitio, vna quidem oratio ipsius quid est indemonstrabilis; vna vero Syllogismus ipsius quid est, casu differens a Demonstratione; tertia autem*
Cont.47. *Demonstrationis ipsius quid est conclusio. Manifestum est igitur ex dictis & quo modo est Demonstratio ipsius quid est, & quo modo non est, & quorum est, & quorum non est. Præterea vero definitio & quot modis dicitur, & quo modo ipsum quid est monstratur, & quo modo non, & quorum est, & quorum non est. Præterea vero ad Demonstrationem quo modo se habet, & quo modo contingit eiusdem esse, & quo modo non contingit.*

PRAE-

PRAELECTIO IX.

EVNDEM MODVM PROSEQVENS & reliqua absoluens.

QVO pacto hic textus ad superiora iungatur, quoue maxime Philosophus tendat, nec satis Interpretes concordant, & magnam difficultatem continet. Nos missis omnibus, quæ non solum longum esset, sed etiam inane expendere; cum præsertim ex tradendis possit quantas vires teneant patere, nostram sententiam prodemus, haud sane ad inanem ostentationem, a qua longissime viuimus, nec studio summis ingenijs contradicendi, quorum Sapientiam suspicimus, sed vt illud pateat, quod ex mente Philosophi censemus. Ergo si probe notatur, quod adhuc fuit a textu 39. a quo incipit verum modum edere, quo perfectum quid accidentis Ostensione se effert, vsque ad 43. expressum, certe nihil occurrit, ex quo liceat testari, id stabilitum fuisse; nam postquam illa duo firmauit fundamenta, quæ ad talem viam pandendam optantur, tantum textu 40. & 41. ait affectionis externam causam, etiam ipsum quid esse. Potest illo muniri, quia textu 42. in quo tractata recenset, monet se declarasse, *quo modo accipitur ipsum quid*; quo loco attendimus dictionem, *accipitur*, haud nobis debere, nisi ad quid referri, quod idem cum medio, & causa existit. Nam si vel ad totam Ostensionem, vel ad conclusionem refertur, tanquam illa, quæ, vt infra patebit, itidem sunt ipsum quid, cum Ostensio non accipiatur, conclusio vero monstretur, sane vix occurrit quo modo queat exponi, nisi apertam vim inferimus. At si tantum ad illud quid, quod idem est cum externa causa, vt hęc vere solum accipitur, haud monstratur, sic pariter illud quid, quod cum tali causa coincidit. Atque hinc renidet cur illo 42. inter ea secandum, quæ concurrunt ad internam Ostensionis fabricam, vbi dixit ipsorum quid alia immediata, & Principia putanda, *quæ & esse, & quid sint opportet supponere*, amplius non addidit, alia autem mediata, quod necessarium videtur ad diuisionem, sed huius loco, *habentium autem medium, & quorum est quædam alia substantiæ*

tiæ causa, est per Ostensionem, vt diximus, manifestare, non ipsum quid est demonstrantes; nimirum vt denotet, se idem subiecti quid intelligere, quod vna est quid affectionis; ac vt ante Ostensionem tanquam quid subiecti sumitur, sic etiam post Ostensionem, quasi affectionis quid effertur. Libet quoque addere, quod licet ponamus, adhuc fuisse detectum quo pacto plenum quid accidentis sit notum, tamen cum id non prout quid est sumpserit, sed quatenus idem est cum Ostensione, eo perperam infertur, adhuc distincte patere, qua via in quid notitiam venimus. Cuius rei ratio apparet, quia Ostensio, & perfectum quid affectionis ratione inter se

Connexio. distant. Quæ cum ita se habeant credimus, adhuc solum fuisse præmonstratam quandam partem ipsius quid, nempe quatenus dixit, causam esse quid est. Et quidem optima ratione; nam cum posset magis de ea ambigi, num ad essentiam pertineat, quamuis eiusdem primaria pars esset, tanquam illa, a qua cæteræ essentiæ partes pendent, valde erat conueniens si primo quodam modo in-

Institutum. dicasset. In nostris vero textibus sic omnia stabiliet, quæ ad affectionis spectabunt completum quid, vt nil sit iure optandum. At-

Diuisio. que hæc de connexione, & instituto satis sit attigisse. Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima finitionum finitio-

Expositio. nes tradit. In altera illa epilogat, quæ fuerunt tractata. Quod attinet ad primam partem nonnihil de Philosophi consilio, &

Communis opinio. quid maxime intendat diffident; nam satis est vulgatum, primo descriptionem ferri non solum quid rei, sed simul quid nominis comprehendentem finitionem, & sane cum fuerit vltimam declaratus, statim eam quid rei partiri in species, & illas diligenter explanare. Potest maxime probari, quia in prima finitione finienda verbum, *dicitur*, adhibet, quod vt denotat hanc finitionem ex communi loquendi vsu, haud ex rei natura sumptam esse, sic videtur innuere, definitum, non exacte accipi, sed vt ad vulgarem

Euertitur captum se extendit. Verum hanc opinionem haud valde firmam existimamus. Illud vero nos impellit, quia vix apparet quo pacto de propria agens quid nominis descriptione, asserat postquam fuerit cognitum quid nomen significet, propter quid exquiri; nam, vt olim notauimus, ad quid nominis notitiam, minus propter quid, sed quod, & quid est succedit. Nam cum quibusdam dicere, nihil

Ratio aduersa tollitur. aliud hic propter quid, nisi quod importare, tantum abest vt textum exponat, vt prorsus illum euertat; qua via haud difficile esset quæ negocium præbent vitare. Quod autem pertinet ad rationem,

nem, si aliquid polleret, etiam inferret Scientiæ finitionem, quam initio primi libri dedit, minus exactam esse, nec quid res sit exponi; quod ex eo refulget, quia pariter ibi vocem, *arbitramur*, sumit, tan quam illam, quę secundum istos communem captum respicit. Addimus vero, secundum istos, quando nos secus censemus, vt loco allato patet; at id nemo sanæ Mentis credet, & inter Scientiæ finitiones pluribus locis notatas, nulla potior habetur. Nam interdum afferre, quæ vulgarem vsum redolent, tantum abest vt quidquam infringat, vt potius rem confirmet. Auerroes dicebat primam finitionem, de qua hic Philosophus, non sic de illa quid nominis tradi, vt simul queat quartam speciem præbere, a tribus descriptionibus distinctam, quas de quid rei finitionibus ponit, sed tantum ad eam spectare finitionem, quæ in textu appellatur, Ostensionis quid est conclusio. At hæc etiam opinio quamuis magis verum tangat, tamen haud forte totam rem exprimit, quod ex nostra sententia patebit. Igitur asserimus in prima parte textus illud primo contendi, vt ea finitio tradatur, quæ solum impropriam quid nominis, propriam vero quid rei continet, nec aliud designat, nisi essentialem describi finitionem. Quanquam minus capimus quasi tantum illam substantialem, quæ Ostensionis quid est dicitur, sed tali pacto, vt simul eam denotet, quæ vt subiecti formam insinuat, sic est immediatum principium, a quo hæc Ostensio pendet; deinceps vero, etiam aliam quid rei deteget, vna nobis euoluens quem omnes habent ordinem ad Ostensionem. Decet illo firmare, quia hic in tantum finitiones tractat, qua eius quid plenam notitiam edunt, quod in Ostensione constat. Quare cum vere nominalis nullam internam conflet partem Ostensionis, nec quidquam tale explicet, sane nihil impellit cur dicamus, pariter hanc declarandam esse. Et ex his refulget quam ob causam textu 46. finitiones epilogans, de quibus fuerat actum, nihil de ea meminit, quæ ad quid nominis spectat, sed tantum illas tres recenser, quæ quid rei proponunt. Neque sane quis opponat, quia in prima explananda dicat, cum de Triangulo quid est notuit, nobis propter quid inquiri, ex quo videtur legendum sub tali finitione haud illam comprehendi, quæ est immediatum principium ipsius quid, nec propter quid vnquam de hac finitione quæritur, alioquin non esset principium ipsius quid, sed tantum de ea, quę Ostensionis conclusio vocatur; nam asserimus Triangulum non sumi tan quam subiectum, vel prædicatum indicet, atque adeo Ostensionis

Auerrois opinio.

Desertur.

Propria sententia.

Dubitatio

Solutio.

partem, sed solum de illo meminisse, vt in eo declaret, quid hic quid nominis finitio notet, nimirum illam ad quam propter quid succedit; at hæc improprium quid nominis, proprium vero quid rei continet. His in hunc modum notatis, breui facto elucet quo pacto sit explicanda primæ finitionis descriptio. Et quidem cum ait, *definitio autem quia dicitur esse oratio ipsius quid*, prorsus idem importat, ac quia satis est receptum finitionem, quid est orationem esse, ideo, *est manifestum quod quadam quidem est oratio quid nomen significat*. Quæ verba haud exponimus, vt aliam finitionis speciem signent, a prima quodam modo distinctam, sed in eum

Progressio sensum, vt omnino eandem. Sic autem videtur progressus habere, cum finitio communiter putetur oratio ipsius quid, id vero idem insinuet, ac oratio nomen explicans, ideo apparet, nihil per quandam finitionem notari, præter quid nomen significat orationem. Quo loco aduertimus, non simpliciter concludi finitionem esse nominis significatricem, quod videbatur præstandum propter illa verba, *definitio autem quia dicitur esse oratio ipsius quid*, a quibus tota illatio pendet, sed tantum quandam finitionem esse, quid nomen significat orationem; scilicet vt sit notum, haud solum vnam finitionem, vt ij putabant, qui solum vnam definiebant, sed simul aliam dari, quam Philosophus inuenit. Et hæc de primæ finitionis descriptione. Altera finitio describitur esse, *oratio propter quid declarans*. Ac licet perfecta sit finitio, tamen vt nullus prius cogitauit, sic nec quiuit definire. Diffidet vero hæc a prima, quia, vt diximus, illa tantum quid significat, at hæc, *erit tanquam Ostensio ipsius quid, positione ab Ostensione differens*. Ideo autem dicitur, positione differre ab Ostensione, vt finitionis forma pateat; etenim valde refert quo pacto hęc finitio accipitur. Et quidem si sic, vt causa qua causa sumatur, & in ordine ad effectum, tunc minus est finitio, sed ostensio censenda; quod si eo modo, vt causa tanquam interna pars, ex qua oratio perficitur, per quam affectio claret, tali casu minus est ostensio, sed finitio putanda. Licet id deprehendere si aliquis exquirit, *propter quid tonat? & quid est tonitrus?* nam cum primo pacto causam qua talem quæramus, nequit secus responderi, nisi, *quia ignis in nubibus extinguitur*, qua via ostensio emergit; at alio quia causam vt internam partem, rite asserimus, *sonus ignis, qui in nubibus extinguitur*, quo modo finitio constat. Quare vna, & eadem oratio, *sic quidem continua ostensio, sic autem finitio creditur*. Quę particula difficul-

ficultatem gerit, quando Ostensionem continuam vocat; etenim si Ostensio, ac finitio inuicem comparantur, continuitas magis finitionem, quam Ostensionem decet. Huius rei ratio se effert, quia in finitione is partium nexus nitet, quem in Ostensione non cernimus. Nos missis varijs, quæ Interpretes adducunt, satis firmam sententiam putamus, quæ huius nodi solutionem ex continui natura sumit, & in eo consistit, vt sit id, cuius partes ad communem terminum iunguntur, at hæc prædicata haud recte finitioni, sed magis Ostensioni competunt, hoc autem apparet, quia Ostensio cum tres terminos, & partes habet, scilicet medium, ac maius, & minus extremum, tum quoque communem terminum, cui se coniungunt. Ac licet medius terminus prout illud existit, quod positiones conflat, sit inter partes locandus, tamen prout ipsi maius, & minus extremum nectuntur, probe communem terminum dicimus. Id vero nequit de finione credi, tanquam illa, quę cum de vno alterum non inferat, sed rei substantiam proponat, vt hęc haud est continua, sed indiuidua, sic pariter finitio constabit. At quamuis in hoc diffident, tamen cum oratio sit dupliciter vna, primo coniunctione, vt Ilias Homeri Poema, quod ex eo vnum vocant, quia omnes partes iunctas gerit; alio vero, significatu, illo etiam concordant, quod recte ambo vnum dicuntur; quanquam Ostensio, *coniunctione*, vnum, at definitio, *eo quod vnum de vno haud per accidens significat*. Quare satis refulget tres gradus finitionum esse, quas adhuc attigimus. Et certe si primæ sumitur finitionis descriptio, cum non solum ad eam penetret, quæ Ostensionis quid est conclusio, sed itidem ad illam, quæ immediatum principium talis Ostensionis, duæ finitionum species notantur; quod si alteram addimus, quam ait quasi quid Ostensionem esse, tunc tertia erumpit. *Ergo est definitio vna quidem oratio ipsius quid indemonstrabilis*; *vna vero Syllogismus ipsius quid, casu ab Ostensione differens*; *tertia autem Ostensionis quid est conclusio*. Neque sane quis vacillet, tanquam vix appareat qua via dum haud affectionis finitionem, sed nomen de subiecto monstramus, queat finitio conclusio dici; nam vt non est negandum illustrem Ostensionem, de qua in præsentia, cum ex quidditatiua affectionis finitione, velut maiori extremo, tum ex nomine affectionis fingi, sic decet asserere, etiam hoc casu essentialem affectionis finitionem, Ostensionis conclusionem esse. Potest ratio adduci, quando præter affectionis nomen, in quo genus consistit, pariter subie-

Ostēsio cur magis continua, quā finitio.

Tres definitionum species.

Dubitatio

Solutio.

Potissima Ostensio non modo ex substantiali affe-

ctionis fini tione, sed etiā ex nomine affectionis velut maiori extremo eōponitur. biectum exprimitur, quod differentiæ locum tenet; at id non in quadam fit ex positionibus, sed quævis illarum sumitur, tantum horum vnum seruat. Atque hinc deprehenditur quo modo perfectum quid affectionis, perfecte inclareat, quod fuit prius quęsitum, ac tanta cura discussum, nimirum ea finitione, quæ vt ex reliquis finitionibus constat, sic est tanquam ipsius quid Ostensio, terminorum situ ab Ostensione distans. Nam licet Ostensio, & finitio materia, & re conueniant, tamen forma, & ratione dissident. Quę cum ita se habeant valde apparet omnia fuisse detecta, quę textu 8. proposuit, & 36. iterauit. Et quidem primo fuit detectum, *quo modo est Ostensio ipsius quid, & quo modo non est, & quorum est, & quorum non est*, Ostensio. *Præterea & quot modis finitio dicitur, & quo modo ipsum quid*, finitione, *monstratur, & quo modo non, & quorum est, & quorum non est*, finitio. Rursus hæc, *quo modo ad Ostensionem se habet*, nempe terminorum situ discrepans. Ex quibus succedit, simul fuisse detectum, *quo modo eiusdem contingit*, Ostensionem, ac finitionem esse, *& quo modo haud contingit*.

Cont. 48. *QVONIAM autem scire putamus quando noscamus causam, causæ autem quatuor sunt, vna quidem quod quid erat esse, vna vero quibusdam existentibus necesse est hoc esse; alia vero quæ aliquid primum mouit; quarta autem id, cuius gratia, hæ omnes per medium monstrant. Nam & id, quo existente necesse est hoc esse, vna quidem accepta propositione non est, duabus autem ad minimum, hoc autem est quando vnum medium habeant, hoc igitur vno accepto necesse est conclusionem*

Cont. 49. *esse. Manifestum autem & sic, propter quid is, qui est in semicirculo, rectus est? vel quo existente rectus est? sit vtique rectus A. dimidium duorum rectorum sit B. & is, qui est in semicirculo sit C. quod igitur A. rectus insit ipsi C. illi, qui est in semicirculo, causa est ipsum B. hoc enim ipsi A. æquale est, C. autem ipsi B. duorum nanque rectorum dimidium est: existente igitur ipso B. dimidio duorum rectorum, ipsum A. ipsi C. inest, hoc autem erat, eum; qui est in semicirculo, rectum esse, hoc autem idem est ipsi quod quid erat esse, eo quod hoc significat ratio, verum enim vero*

Cont. 50. *& ipsius quid erat esse causa monstratum est ipsum medium. Propter quid autem Medorum bellum factum est Atheniensibus, quæ fuit causa inferendi Atheniensibus bellum? quoniam in Sardes cum*

Ere-

Eretriensibus irruerunt, hoc enim primum mouit; sit bellum A. priores irruisse sit B. Athenienses sint C. inest itaque B. ipsi C. quod est prius irruisse Atheniensibus, A. vero ipsi B. nam bellum inferunt iis, qui prius iniuria affecerunt; inest igitur ipsi B. ipsum A. quod est bellum inferre iis, qui prius incæperunt, ipsum autem B. ipsi C. nempe Atheniensibus, prius enim cæpere, medium igitur, & hic est causa, quæ primum mouit. Quorum autem causa est id, cuius gratia, Cont.51.
vt propter quid deambulat? vt sanus sit, propter quid domus est? vt conseruetur suppellex, illud quidem sanitatis gratia, hoc vero gratia conseruandi; propter quid autem a cæna oportet deambulare, & cuius gratia oportet, nihil differt; deambulatio autem a cæna sit C. & non supernatare cibos sit B. & sanum esse sit A. insit itaque illi, quod est a cæna deambulare, id, quod est facere ne cibi supernatent ad os ventriculi, & hoc salubre, videtur enim deambulationi, quæ est C. inesse ipsum B. quod est cibos non supernatare, huic autem ipsum A. quod est salubre; quænam igitur est causa ipsi C. vt ipsum A. insit, quod est id, cuius gratia? ipsum B. quod est non supernatare, hoc autem est, velut illius ratio, ipsum enim A. ita assignabitur. Propter quid autem Cont.52.
ipsum B. ipsi C. inest? quoniam hoc est sanum esse, ita se habere; oportet autem transponere rationes, & ita singula magis apparebunt. Generationes autem e conuerso hic sunt, & in causis, quæ secundum motum: ibi nanque medium oportet primum factum esse, hic vero ipsum C. extremum, vltimum vero id, cuius gratia.

PRAE-

examen, sed quandam notitiam optat, nimirum si sciat prima Principia ope sensus patere, nec ex alijs cognitionis Principijs, sed alia ex ipsis pendere. Nam altius repetere, velut hic præstabit, potius Metaphysici, vel Naturalis, quam Logici munus censemus. Et hæc ratio existit, cur hanc tractationem haud cum ageret de Principijs sed ad finem libri, ac extra Epilogum seruauit. Quod si hic quædam traduntur, quæ magis videntur præstanti Ostensioni, quam alijs cōpetere, vt Methodus præhendendi quiditatiua prędicata, & id genus alia; tamen, si probe notamus, tantum abest vt id fiat, vt contrarium, succedat: quæ omnia suis locis patebunt. Et hæc quo ad connexionem, & institutum sufficiant. Contextus in duas partes diuiditur. Et quidem in prima docet omnia causarum genera inter Ostendendum sumi. In altera id declarat. Quod attinet ad primam partem, sic ex Scire finitione agitur, tunc Scientiam habemus, dum rei causam tenemus, sed causarum genera sunt quatuor, scilicet forma, materia, efficiens, ac finis, Igitur omnes debent in monstrando adduci. Maiorem propositionem indicat, *quoniam autem scire putamus quando causam noscimus.* Quo loco est obseruandum, non hic eandem Scientiam, quam primo libro finiri, ac proinde nec eandem finitionem esse: nam ibi testatur, minus quamuis Scientiam, sed simpliciter notare; at in pręsentia, tantum Scientiam innuit, nihil amplius adiungens. Præterea ibi plures conditiones numerat, per quas in esse consistit, at hic, tantum vnicam, nempe si causam habemus. Ex quibus apparet non eandem notitiam signari, sed minus perfectam ea, quæ primo libro finitur. Minorem insinuat, *causæ autem quatuor sunt, &c.* quarum nomina haud recenset sed illorum loco proprias tradit finitiones, quas etiam alibi adduxit, cum magis ex professo tractaret causas. Neque sane hic præstat, quasi nos doceat sic gerere, vt acriter earum naturam scrutemur, sed vt hac via quædam fiat de ijs notitia, sine qua infirme inceditur. Ergo prima causa occurrit, *quod quid erat esse*; quæ verba prorsus nihil aliud, præter formam important, nam hæc rei substantiam præbet. Altera vero, *quibusdam existentibus necesse est hoc esse*, & materiam notat. Ac quamuis id possit alijs competere, tamen maxime materiæ quadrat, tanquam illi, cui maxime quadrat supponi. Tertia, *quæ aliquid primum mouit*, quod efficiens existit, a quo primo motus pendet. Postrema, *id, cuius gratia*, & finem insinuat, qui vt est prima ratio cur agens operetur, sic decet in hunc modum finire. Conclusionem exprimit, *hæ omnes per medium monstrant,*

Diuisio.

Expositio,

Ratio.

Alia Scientia hic, alia in primo libro finitur.

quod pertinet ad materiam; nulla ratio impellit cur tali modo sumamus, quod inferius patebit dum rationes soluentur. Ergo ad primam, ex qua volunt non posse veram formam notare, alioquin esset petitio, dicimus formam dupliciter sumi, vno modo respectu illius, quod ex ipsa vt parte constat; alio in ordine ad affectiones, quæ ab ea necessario pendent; quamuis minus sit cedendum Ostensionem rei formam sumentem, semper principium petere, sed valet interdum esse, vt aliquid ex forma monstretur, ex qua simul consistit, cum satis sit Ostensioni si ab vna, in aliam notitiam ducat; tamen hic admittentes, addimus ad noscendas affectiones, quæ a forma dimanant, tum probe in medio poni, tum quoque ab omnibus concedi. Neque vero negocium præbet, quasi pandendum proponens quo pacto omnes causæ faciunt Ostensionis medium, id tantum in tribus præstat, nihil seorsum de forma addens, ex quo videtur colligi, per formam, eandem cum ijs signare; nam credimus fieri, quia cum omnes causæ queant minus nobili iungi Ostensioni, erat necessarium a principio repetere; alioquin semper anceps maneret, an vt præstans Ostensio vnum causæ genus, sic non adeo nobilis quasdam determinate adhibet. Eo autem nullum addit exemplum de forma, quia prius satis dederat, cum illustrem Ostensionem tractabat. Ad aliam rationem ex textu 53. in quo significat progressum in medio poros sumentem ad monstrandum luminis per laternam egressum, ex materiali causa esse: dicimus, quamuis debet porositas, magis accidens, quam materia censeri, tamen cum ex vitri materia, haud forma se teneat, iure ad materiam transfertur. Ex quo succedit Ostensionem, quæ pro medio poros adhibet, causam materialem habere. Hoc idem videtur de lapide testandum, quem textu 54. monebit ex materiæ necessitate ferri; etenim grauitas vti ex materia dirigitur, sic materialis causa vocatur. Altera opinio affirmat non solum finem, ac efficiens, sed etiam formam, & materiam proprie accipi. Licet solide munire, quia vt verum efficiens, & finis suas affectiones obtinent, quæ ab eis necessario pendent, sic propria forma, & materia suas, quæ illam necessario sectantur. Tali pacto censemus risiuum ad rationale, tanquam ad formam sequi, sic generari, & corrumpi ad elementa, quasi ad materiam. Ergo si finem, ac efficiens maxime denotat, quia possunt in medio poni pro suis monstrandis affectionibus, pariter debent forma, & materia notari, quæ itidem pro suis possunt, nec discrimen elucet. Et hæc de prima nostri textus parte. Adhuc de altera videamus,

In contrarium allatis occurritur.

Propria sententia.

mus,in qua illa, quæ fuerunt de causis tradita, exemplis illustrat. Et quidem prima duo ad materiam,cætera autem ad finem,& efficiens spectant.Primum ex medio accipitur in ordine ad conclusionem;nam si parum attendimus,medium sic Syllogismum vt materia componit,vt duabus positionibus iunctum,*conclusionem necesse sit esse*;quare cum idem conclusionis sit causa,valde apparet conclusionem a materiali causa pendere. Hoc etiam deprehenditur si sit monstrandum propter quid angulus, *qui est in semicirculo est rectus?*vel quod idem importat,*quo existente rectus est?* nec alio medio geremus,nisi per duorum rectorum medietatem. Sed vt facile clareat,est obseruandum quod si a semicirculi centro ad circunferentiam perpendicularis ducitur,postea vero etiam aliæ duæ lineę a diametri tendant extremitatibus ad signum, quo perpendicularis cadit in circunferentiam, tunc duo Trigona fient æquicrura rectangula,quæ binos angulos gerent ad basim æquales.Quare cum hi anguli sint semirecti, & in eo conueniant circumferentiæ puncto, in quo illam perpendicularis tangit, ex ipsis integer angulus consurgit, qui ex duabus medietatibus pendet vtriusque recti, quos ad centrum perpendicularis descripsit. Atque hinc apparet dum asseritur, ideo angulum in semicirculo esse rectum, quia est duorum rectorum dimidium,prorsus idem signare,ac quia ex duabus erumpit medietatibus duorum rectorum, modo adhuc attacto, qua via materia exprimitur. His tali pacto notatis possunt breui deprehendi,quæ Philosophus adducit. Sic autem Ostensio conflettur;nam rectus sit maius extremum A. duorum vero rectorum dimidium medius terminus, & causa B. at angulus in semicirculo minus extremum C. tum sic,B.est A.sed C.est B.igitur C. est A. Maiorem positionem insinuat,*hoc enim ipsi A.est æquale.* Minorem cum ait,*C.autem ipsi B.*Nam si B.cum A.conuersim dicitur, C.vero conuersim cum B.recte prædicatio habet, quæ non solum A.de B.sed etiam B. de C.affirmat. Quare simul, *ipsum A. ipsi C. inest*,quo conclusio notatur. At quamuis hæc Ostensio affert materialem causam, tamen haud est negandum eandem causam, *ipsi*, maiori extremo,vt quid erat esse competere. Licet autem videre, quia cum,*hoc ratio significat*,id est quid maioris extremi,etenim vt antea diximus, ratio, & quid est causam indicat,tum quia, *ipsius quid erat esse causa ipsum medium est monstratum*, quæ verba debent exponi,vt medium sit essentiæ causa.Nam cum propter quid Ostensionis medium, causa sit affectionis, pariter est ipsius quid

causa

causa affectionis credenda;ex quo succedit,etiam ipsum quid esse. Quanquam est attendendum haud eodem modo hic quod quid accipi,sed cum ait medium , & causam rite quid est putari , illud quid designat,quod proprie loquendo,magis causa ipsius quid dicitur,tamen in ordine ad finitionem, illam per se componit, quam Ostensionis principium vocant ; dum autem addit , a medio vt a causa quid est pendere,prorsus nihil aliud,præter rei substantiam , quam essentialis finitio pandit, & Ostensionis conclusio dicitur. Tertium exemplum ad efficiens pertinet;nam si volumus monstrare, *propter quid Medorum bellum Atheniensibus est factum?* vel quod in idem cadit, *quæ fuit causa inferendi Atheniensibus bellum?* debet medium adduci,quia Athenienses cum Eretriensibus iuncti, prius in Sardos,Medorum amicos arma sumpserunt . Sit autem bellum, maius extremnm A . priores Athenienses irruisse , medius terminus B. at Athenienses , minus extremum C. tum sic incedemus, B.est A.sed C.est B.igitur C.est A.Maior propositio notatur, *Itaque inest B. ipsum A*. Minor illis verbis , *ipsum autem B. ipsi C.* Ex quibus refulget Syllogismum sic gerere , vt causam in medio ponat,*quæ primum mouit*.Reliqua exempla,quæ finem comprehendunt,tali pacto se habent . Sit monstrandum propter quid oportet post cœnam vadere? vel quam ob causam fuit domus constructa? certe primum eo medio agemus, vt sanitas conseruetur ; at postremum vt supellex in tuto maneat. Nos vt primo insistamus,ex quo reliquum patebit,est obseruandum aliter primum exemplum proponi,aliter disponi Ostensiones.Nam cum illud proponit , ait *propter quid deambulat? vt sanus sit*. Quæ verba nihil aliud innuunt, nisi rationem,ob quam homo ambulet,sanitatem esse . In quo apparet sanitatem,quasi medium accipi,& Ostensionem notari, quæ finem in medio ponit;at dum in ratiocinio disponitur,sic terminos permutat,vt bines progressus constituat;& sane in primo haud amplius sanitas in medio,sed ad maius extremum aptatur,loco autem medij sumitur,cibos non supernatare, de quo nihil prius meminerat;qua via Ostensionis genus surgit,quæ efficiens adhibet . Contra vero in altero sanitas in medio , at cibos non supernatare , ad maius extremum versatur;scilicet volens monere finem,&efficiens inuicem causas esse,& vnum per alterum ostendi. Quanquam minus sumimus, quasi finis, primi agentis sit causa , quod plane esset absurdum,vt inducenti apparet,vel eodem causæ genere fiat,sed illo modo,vt diuerso,& in ordine ad intermedia,quæ a primo agen-

Quonam pacto finis causa sit Agentis.

te pendent,ac per se in finem tendunt.Sic cernimus Philosophum 2.Physic.tex.29.& 30.& Quinto Metaphys.2.se ipsum exponere, nam hæc finem progignunt tanquam minus prima efficientia, suum esse ab eo ducendo.Prçterea est obseruandum,sic rem primo proponere,vt,*ambulare*,quasi maius extremum sumat,at in ratiocinio,semper vt minus extremum ; nimirum vt eluceat haud præstantem Ostensionem tradi,sed cum ambulare sit causa vt cibi non supernatent,non supernatare vero causa sanitatis, voluit monere, adhuc nihil referre seu causa magis effectui iuncta,seu ab eo auulsa ponatur.His in hunc modum prænotis,sic ratiocinium constat. Et quidem a cœna deambulatio,sit minus extremum C. cibos vero non supernatare,medius terminus B.at sanum esse,maius extremum A.tum sic prima progressio,B.est A.sed C.est B. igitur C. est A.Maior propositio refulget,*huic autem ipsum A. quod est salubre.* Minor illis verbis, *videtur enim deambulationi, quæ est C.ipsum B. inesse, quod est cibos non supernatare*. In quo progressu patet medium terminum,quasi efficiens adduci, qui etiam, *est velut eius ratio*,& quid est.Potest vero indicium ferri,quia, *ipsum A.sic assignabitur:* quæ verba prorsus idem signant, ac ad plene sanitatem noscendam,non supernatare cibos requiri. Altera est progressio,*propter quid autem ipsum B.ipsi C.inest?* siue quam ob causam post coenam ambulanti haud cibi supernatant ? ad quod respondemus, *quia hoc est sanum esse sic habere*. quo pacto comprehenditur, pro medio finalem causam accipi. Et ex his renidet simplici terminorum transpositu, vtrumque progressum patere.Illud est aduertendum,quod quamuis hæ Ostensiones sic adhibent medium, vt ambo tanquam primum considerent,tamen,*generationes e conuerso hic sunt*,nempe in ea Ostensione,quæ ex finali causa fingitur,& in causis,*quæ secundum motum*;quibus verbis illam indicat,quæ efficiens vsurpat. Nam cum ipsum efficiens prius stet in natura quam effectus,hæc vero Ostensio hanc causam proponat,satis apparet quod *ibi medium oportet primum esse factum*. At in ea ex finali causa primum locum respectu generationis C. minus extremum, *vltimum autem id,cuius gratia*,& medium deuincit.

EVE-

EVENIT autem vt idem & alicuius gratia sit, & ex necessitate, vt propter quid per lucernam transit lumen? nam & ex necessitate permeat per maiores poros id, quod minores partes habet, siquidem lumen fit propterea quod pertransit, & alicuius gratia, ne offendamus. Cont.53. *Nunquid igitur si esse contingit, etiam fieri contingit? quemadmodum si tonat, dum ignis extinguitur necesse est stridere, & strepere, & vt Pythagorei dicunt, minarum gratia iis, qui sunt in Tartaro, vt timeant. Huiusmodi autem plurima sunt, & maxime in iis, quæ secundum naturam constituuntur, & consistunt; hæc enim natura alicuius gratia facit, hæc vero ex necessitate: necesitas autem duplex est, alia nanque secundum naturam, & propensionem, alia vero violenta, quæ præter propensionem est, vt lapis ex necesitate & sursum, & deorsum fertur, sed non propter eandem necesitatem.* Cont.54. *In iis vero, quæ a cogitatione fiunt, alia quidem nunquam a casu sunt, vt domus, aut statua, neque ex necesitate, sed alicuius gratia; alia vero etiam a fortuna, vt sanitas, & salus, maxime vero in quibuscunque contingit & sic, & aliter, quando non a fortuna generatio sit. Quare finis bonus alicuius gratia fit, & vel natura, vel arte; a fortuna vero nihil alicuius gratia fit.* Cont.55.

PRAELECTIO XI.

NVNQVID IDEM EFFECTVS ex distinctis pandatur genere causis quærens.

RECTVS tractationis ordo requirit, vt postquam nouimus omnes causas inter monstrandum afferri, & diuersos effectus per causas diuersas ostendi, etiam simul noscamus an idem effectus queat ex distinctis genere causis detegi, quod in præsenti agetur. Contextus in tres partes diuiditur. Et quidem in prima vnam conclusionem proponit. In altera exemplis illustrat. In tertia declarat in quibus locum obtinet. Quod attinet ad primam partem, *euenit autem vt idem, & alicuius gratia sit, & ex necesitate.* Potest nobis depre-

Connexio. *Institutum.* *Diuisio.* *Expositio.*

deprehendi, si aliquis exquirat, *propter quid per lucernam lumen transit?* nam ad hanc quæstionem cum licet per materiam adire, quam necessitatem vocat, nimirum si dicatur, ideo succedere, quia laternæ pori maiores sint luminis partibus, tum quoque per finalem causam, *ne offendamus*. Neque sane credendum est, id tantum in quibusdam adesse, sed cum omnis effectus constet ex duplici genere; primum est illorum, qui naturam manentem habent, vt in tradito exemplo; alterum vero eorum, qui in fluxu positam, quouis modo accipitur, illos effectus continent, quibus per distinctas, causas fit satis. Et hæc ratio censetur cur vbi exemplum dedit de luminis transmissu per laternam, continuo subdit, *igitur nunquid si esse contingit, etiam fieri contingit, &c.* vt ex hoc appareat itidem effectus sub tali conclusione claudi, qui fluxilem substantiam gerunt. Nihil vero aliud hæc verba indicant, nisi quid nam prohibet, quod vt quidam effectus, qui ob consistentiam, quam retinent, vocantur esse, diuersas causas agnoscunt, a quibus possunt monstrari, sic etiam alij haud consistentes, sed lubrici, ob quam rem dicuntur fieri, diuersas recognoscant, a quibus simul monstrentur? In hunc modum succedit si aliquis perquirat, propter quid tonat? nam non solum decet respondere ideo fieri, quia, *dum ignis extinguitur necesse est stridere, ac strepere*, quo pacto materiam exprimimus, sed etiam, *minarum gratia iis, qui sunt in Tartaro, vt timeant*, qua via ipsum finem. Quanquam est obseruandum non hęc exempla proponi, velut hi effectus ab his causis manent, sed cum in rebus pandendis sit hominum opinio fouenda, iure interdum sumuntur pro veris, quæ tantum quandam apparentiam, nullam veritatem seruant. At quamuis hæc ita se habent, *in illis, quæ secundum naturam constituuntur*, nempe vt plures effectus se dedant, siue fluxilem naturam, siue consistentem gestant, qui materiam, & finem vt causas attendunt, tamen, *in iis, quæ a cogitatione*, pendent, est aliter censendum, etenim solum ex finali causa, nunquam ex materiæ procedunt necessitate. Licet in omnibus Artibus cernere, sic domus, vel statua haud tali necessitati subiacent. Potest ratio adduci, quia cum huius necessitate posita, statim effectus prodeat, illud continget vt positis marmoribus, & lapidibus, licet statuarius, vel ædificator desit, domus, ac statua emergent. Illo autem inter se distant, quod quædam ex his nunquam a casu, & fortuna fiunt, sed semper a ratione ad finem dirigente, vt in statua, & domo comprehenditur, tan-

quam

quam ea, quę sic hominis voluntatem, vt nullam fortunam respiciant; quædam vero non solum a ratione, sed etiam a fortuna pendent, vt sanitas, & salus, nam hæc haud sic cum ratione congruunt, vt nequeant ab alio produci, sed sæpe fortunam sequuntur. Tali pacto Medicus quasi ratio operans sanitatem præstat. Sic etiam interdum frigidæ potatio ad restinguendum sitim, vti fortuna. Hoc idem licet notare dum aliquis consultans, inimicorum impetum vitat, quem simul valet vitare ex casu, si pluuiam effugiens domum ingreditur, & illorum vires declinat. Neque sane putandum est id tantum in quibusdam esse, sed, *in quibuscunque, & sic, & aliter contingit, quando non a fortuna fit generatio*. Quæ verba idem insinuant, ac tunc fortunam pollere, dum ex ratione agens, sic potest finem nancisci, vt vna prorsus queat decipi. Et ex his se effert binam conditionem optare, vt effectus a fortuna prodeat. Prima censetur, vt agens sit tale, vt ex consilio operetur, quod Philosophus denotat, *quando non a fortuna fit generatio*. At postrema, vt id, quod intendit, etiam queat non obtinere, & significat, *in quibuscunque & sic, & aliter contingit*. Atque hinc deducimus, tantum in illis finem dari, in quibus, *alicuius gratia fit*, aliquid, *vel Natura, vel Arte*; *etenim a fortuna nihil fit alicuius gratia*. Addit autem dictionem, *bonus*, haud quasi differentiam a fine non bono secernentem, cum omnis finis sub boni ratione se offerat, sed vt proprietatem, siue conditionem, per se fini debitam, a qua probe excluditur, quod fortuna producit, vt nihil, qua tale, boni præferens. At quamuis ea, quæ diximus, satis videntur tradere, eundem effectum a distinctis pendere genere causis, tamen minus desunt, qui contendant, haud nostrum textum sumendum, vt simul queat per illas ostendi, sed eo pacto, vt ex talibus causis, tantum altera principalis, & adęquata, altera sit secundaria, & non adæquata, qua via vna in medio ponetur. Licet id ex varijs munire, sed præsertim quia 1. Poster. in definiendo Scientiam inquit, esse causam noscere, at si plures possent satis propter quid quæstioni facere, causas dixisset. Idem nostri libri initio splendet, quo loco sic loquitur, vt appareat, solum vnam causam dare vnius effectus notitiam. Sic etiam textu 51. hic, & a textu 56. ac 90. affirmat, adeo cum effectu coire, vt nequeat vnum ab alio diuidi, sed semper inuicem sectentur; si vero plures causæ præbebunt effectus notitiam, necessarium non videtur. Neque sane ratio deest ad idem firmandum; nam si vnius effectus plu

Opinio quorundam.

res

res sunt causæ,quę disiunctim acceptæ propter quid notitiam tradunt, plane illud continget, vt earum nulla possit habere; ac proinde essent, ac non essent causæ, quibus satis propter quid fiat. Sed vt clare pateat ponamus A. & B. causas esse, quæ eundem effectum C. præstent, tunc si vtraque per sę sumpta valet propter quid detegere ipsius C. pariter emerget, id a neutra præstari. Consequens renidet, quia si ad positionem A. statim, & necessario C. ponitur, igitur vere C. erit, licet nihil B. concurrat; quare nec essentialiter a B. pendebit, ac proinde ipsum B. nequibit credi causa, ob quam C. sit in natura. Ergo asserentes plures causas diuisim acceptas, eundem effectum monstrare, pariter asserimus, nullam causam monstrare. Verum hanc opinionem haud plene tutam existimamus; nam cum effectus, sic plures causas sequatur, vt nequeant absque illo esse, sed semper ijs positis constet, certe minus occurrit cur deceat negare, etiam posse in medio sumi ad eundem effectum monstrandum. Præterea Philosophus hic, intantum de causis negocium suscipit, qua ostensionem respiciunt, & licet pro medio afferre; quare cum asserat vnum effectum ex diuersis causis pendere, simul videtur asserere, ex diuersis causis ostendi. Nisi vero sic dicatur, tantum abest vt proposito conferat, vt magis plurimum officiat; quod illo deprehenditur, quia quis posset ab effectus pendentia ad Ostensionem discurrere, ac vt effectus distinctas causas geret, a quibus dependet, sic etiam deducet per illas ostendi. Neque sane rationes conuincunt, quibus diuersum confirmant. Nam ad primam dum aiunt, primo Poster. sic Scientiam finire, vt affirmet esse causam noscere, at si plures in medio sumuntur, plurali numero loqueretur; dicimus non quamuis Scientiam, sed nobilissimam signare, quo pacto fuit olim conclusum per vnum medium attingi. Idem nostri libri initio notat, etenim essentiam rimatur, quam præstans Ostensio continet, Quod vero ad textum 51. spectat, qui videtur testari, solum vnam causam esse propter quid declarantem, censemus recludi quo modo per distinctas genere causas distincti effectus monstrentur; ideo inquit, *quorum autem causa est id cuius gratia*, nimirum vt indicet nec quemlibet effectum ex hac causa ostendi, & vnam propter quid notitiæ facere. Quid vero a textu 56. ac 90. contendat de causæ, quæ in Ostensionis sumitur propter quid medio, cum effectu conuenientia, vtrum sic loquatur, vt nequeat vnum ab alio diuidi, sed inuicem sectentur, vel certe perenne non putet, satis ex

Non probatur.

Rationes aduersę eluuntur.

ijs

ijs patebit, quæ allatis textibus trademus. Nam quod pertinet ad rationem, ex qua videtur legi, tantum abesse vt plures causæ ad sint, quæ disiunctim acceptæ propter quid notitiam dedant, vt si hoc asseritur, earum nulla possit habere, ac proinde sint, & non sint cauæ, quibus satis propter quid fiat: dicimus cauendum esse, ne fallacia in progressu subsit; nam quamuis ad positionem A. statim, & necessario C. ponitur, tamen haud recte inferunt, nihil B. præstare, nec essentialiter a B. pendere; sed cum aliquis effectus, sic interdum plures causas noscat, vt ab eis etiam seorsum sumptis, nunquam possit diuelli, vel saltem ijs positis, semper ponatur, dedecet putare, tantum vnam causam esse, qua effectus sit in natura, atque adeo monstretur, sed solum vel in vno causæ genere, vel in ordine ad diuersa, & secundum accidens, vt alias tradetur. Nisi vero sic dicamus, illud vitium se effert, quod a secundum quid ad simpliciter vocant. Quæ cum ita se habeant, concludendum vnius effectus plures causas dari, quæ disiunctim acceptæ, probe in medio locantur, & propter quid notitiam exhibent. *Idem effectus potest pluribus causis ostendi.*

EADEM autem causa est iis, quæ fiunt, & factis, & futuris, quæ & iis, quæ sunt, medium enim est causa, præterquam quod iis, quæ sunt, quæ est, iis autem quæ fiunt, quæ fit, factis vero facta, futuris autem futura; vt propter quid facta est eclipsis? quoniam facta est terra in medio; fit autem, quia fit erit autem, quoniam erit in medio, & est autem, quoniam est. Quid est glacies? sumatur quod sit aqua congelata, aqua sit C. congelatum sit A. causa vero media sit B. defectus calidi omnino, inest vtique ipsi C. ipsum B. huic autem congelatum esse, quod est A. fit autem glacies cum B. fit, facta autem est, cum factum est, erit autem futuro. Quæ igitur sic causa est, & id, cuius est causa, simul fiunt, quando fiunt, & sunt quando sunt, & in præterito autem, & in futuro similiter. In iis vero, quæ non simul sunt, suntne in continuo tempore? quemadmodũ nobis videtur alias aliorum causas esse, vt quod factum sit aliam factam, & quod futurum sit aliam futuram, & quod fiat, si quid prius factum est. Est sane a posterius facto syllogismus, principium autem & horum ea, quæ facta sunt, quare & in ijs, quæ fiunt, similiter; a priori autem non est, vt propterea quod hoc factum est, quod hoc posterius factum est, & in futuro similiter; neque enim indefiniti temporis erit, neque definiti, adeo vt quoniam hoc verum sit dicere fa-

Cont. 56. Cont. 57. Cont. 58. Cont. 59.

ctum esse, hoc verum sit dicere factum esse posterius, in intermedio
Cont.60. *namque falsum hoc erit dicere, cum iam alterum factum sit. Eadem autem est ratio & in futuro, neque quoniam hoc factum est, hoc erit, medium enim congenitum esse oportet, factorum factum, futurorum futurum, eorum quæ fiunt quod fiat, existentium existens;*
Cont.61. *præteritum autem, & futurum non possunt esse congenita. Præterea neque indefinitum esse potest tempus intermedium, neque definitum,*
Cont.62. *falsum enim erit dicere in intermedio. Considerandum autem est quod nam sit continuans, vt post ipsum factum esse ipsum fieri sit in rebus: an manifestum est non esse contiguum facto id, quod fit, neque enim factum facto, termini enim sunt, & indiuidui; quemadmodum enim neque puncta sunt inuicem contigua, ita neque facta, ambo namque indiuidua sunt, neque vtique id, quod fit, illi, quod factum est, propter idem, id etenim, quod fit diuiduum est, factum autem indiduum; vt igitur linea ad punctum se habet, sic id, quod fit, ad factum, insunt enim infinita facta in eo, quod fit; manifestius autem*
Cont.63. *in vniuersalibus de motu dicendum est de his. De eo igitur, quod est quomodo, cum generatio consequenter fiat se habeat medium, quod est causa, in tantum acceptum sit, necesse est enim & in his primum, & medium immediata esse, vt A. factum fuit, quoniam C. factum fuit, posterius autem factum est C. prius autem A. principium autem est ipsum C. propterea quod propinquius est ipsi nunc, quod est principium temporis; C. autem factum est, si D. factum est, facto igitur D. necesse est A. factum esse, causa autem ipsum C. nam facto D. necesse est C. factum esse, facto autem C. necesse est prius A. factum esse. Sic autem accipienti medium stabitur ne alicubi ad immediatum, an semper intercidet propter infinitum? non est enim contiguum factum facto, quemadmodum dictum est, sed incipere tamen necesse est a me-*
Cont.64. *dio, & a primo nunc. Similiter autem & in futuro, si nanque verum est dicere quod D. erit, necesse est prius verum dicere quod A. erit, huius autem causa est ipsum C. si enim D. erit, prius C. erit, si vero C. erit, prius A. erit: similiter autem infinita in his quoque est sectio, nam futura non sunt inter se contigua, principium autem*
Cont.65. *etiam in his immediatum accipiendum est. Sic autem se se res habet in operibus, si facta est domus, necesse est incisos fuisse lapides; & factum fuisse hoc propter quid? quia necesse est facta esse fundamenta, si & domum factam esse, si vero fundamenta, lapides prius facta esse necesse est. Rursus si domus erit, similiter prius erunt lapides, monstratur autem & per medium similiter, erunt enim fundamēta prius.*

PRAE-

PRAELECTIO XII.

IDEM DISTINCTIVS EXPONENS, & occurrentes nodos perſoluens.

HACTENVS fuit expreſſum vnum, & eundem effectum interdum diſtinctas genere cauſas habere, & etiam per illas oſtendi; at quia adhuc poſſet quæri quo pacto ſit vſurpandum, nunquid ea ratione, vt ſecundum vnam temporis differentiam vna, ſecundum aliam diuerſa notetur, vel certe vt eadem omnes temporis admittat variationes, quas admittit effectus, iure hic aggreditur proferre, quæ circa id poterant turbare. Contextus in quatuor partes diuiditur. Et quidem in prima vnam concluſionem firmat. In altera difficultatem exorbet. In tertia quandam explicat concluſionem. In vltima aliam difficultatem ſoluit. Quod attinet ad primam partem, minus decet credere ad omnes temporis differentias, quibus effectus variatur, etiam omnes cauſas afferri, ſed, *eadem cauſa eſt iis, quæ fiunt, & factis, & futuris, quæ & iis, quæ ſunt.* Quæ verba nihil aliud indicant, niſi adeo cauſam, quæ in propter quid ſumitur Oſtenſionis medio, cum effectu coire, vt licet queant tradi plura cauſarum genera, quæ diſiunctim acceptæ eundem effectum oſtendent, tamen nunquam ſic erunt, vt pro temporis mutatione, ſimul genere mutentur; ac velut effectus valet plures temporis ſubire differentias, ſic ipſę ad temporis diuerſitatē diuerſę ſumantur; ſed tali pacto, vt ſicut idem effectus, interdum vni temporis differentiæ, interdum pluribus reſpondet, ſic cauſæ ab illo gubernentur, & effectus præſentis cauſa præſens, præteriti præterita, futuri, eadem ſit futura. Poteſt breui comprehendi ſi aliquis perquirat, *propter quid facta eſt eclipſis?* nam ad hanc quæſtionem reſpondemus, *quia facta eſt Terra in medio.* Si vero ob quam cauſam vel fit, vel erit, vel certe eſt eclipſis? ſtatim aſſerimus aut quia fit, aut erit, aut ſane eſt Terra in medio. Idem libet in glacie cernere, nec aliud denotar, præter congelatam aquam. Et quidem aqua ſit minus extremum C. congelatum vero maius extremum A. at prorſus calidi defectus, medius terminus, & cauſa B. tum ſic, B. eſt A.

Connexio.

Inſtitutum.

Diuiſio.

Expoſitio.

ſed C. eſt B. igitur C. eſt A. Minorem poſitionem inſinuat, *ineſt vtique ipſi C. ipſum B.* Maiorem dum ait, *huic autem congelatum eſſe, quod eſt A.* Et hoc modo in reliquis erit temporis differentijs; *etenim fit glacies cum B. fit; facta autem eſt cum factum eſt erit autem futuro.* Ex quibus refulget, ſemper eandem cauſam tradi, ſolum temporis differentijs mutatam, quibus etiam effectus. Et ex his comprehendimus quid ſit de cauſa putandum, quæ ſola valet eſſe propter quid Oſtenſionis medium; nam ſi ſic aliæ iunguntur effectui, a quibus ſeorſum ſumptis, in vno genere pendet, ac monſtratur, vt quamuis plures exiſtant, tamen quæuis omnes recipiat temporis differentias, quas recipit effectus, magis videtur de cauſa dicendum, quæ ſimpliciter effectum gignit, nec aliam requirit, ſed tantum ex ea effectus manat. Neque ſane cenſendum eſt, id Philoſophum teſtari, tanquam ſolum aliqua genera, ſed tali pacto, vt omnes cauſas deſignet, quæ valent propter quid eſſe Oſtenſionis medium, tales vero haud in vno genere, ſed in omnibus ſeruantur. Quanquam eſt obſeruandum, quæ adhuc tradidimus, minus ſic accipi, quaſi omnibus cauſis comperant, ſed, *quæ ſic cauſa eſt*, nempe vt propter quid dedant Oſtenſionis medium, *& id cuius eſt cauſa, ſimul fiunt quando fiunt, & ſunt quando ſunt.* Et hæc de prima noſtri textus parte ſufficiant. Quod pertinet ad aliam partem, cum adhuc fuerit dictum cauſam, quæ propter quid Oſtenſionis medium intrat, eam conditionem poſcere, vt eandem ſubeat cum effectu temporis rationem, poſſet quis inſtare, etiam quaſdam cauſas dari, quę licet non ſic nectantur effectui, vt ſimul cum ipſo conſtent, tamen cauſæ tempus, ſic tempori effectus hærebit, vt inuicem ſint continua. In hunc modum homines paſſim credunt, *alias aliorum cauſas eſſe, ſic, quod factum ſit aliam factam, quod futurum ſit, aliam futuram habet*; quo caſu erit fatendum, pariter has ingredi propter quid Oſtenſionem. Et quamuis cauſa tempore effectum præeat, tamen cum hic immediate ſequatur, nec quidquam interſit inter illorum tempora, minus ſe effert cur nobis ſit negandum, poſſe ex hac cauſa effectum oſtendi. Cernens Philoſophus difficultatem duobus contineri, primum exiſtit, nunquid cauſa, & effectus tempore ſunt continua; at poſtremum, quem locum hæ cauſæ in monſtrando tenent, ideo illa hic aggreditur: vetus autem inſtitutum ſeruans, ſumit initium ab vltimo, tanquam eo, quod præſertim intendebat, & cuius gratia primum explicat. Igitur dicimus cauſas,

quæ

quæ simul non sunt cum effectu haud posse propter quid esse Ostensionis medium, nec id ratiocinium condere, sed tantum illud, quod ab effectu, & posteriori pergit. Nam vt fuit alias notatum, cum rei Principia, ac cognitionis, sic interdum se habeant, vt queant inuicem disiungi, quamuis causa qua talis, semper sit rei Principium, quod ea verba signant, *principium autem & horum illa, quæ facta sunt*, tamen nihil impellit, vt sit etiam cognitionis. Neque vero censendum est de his causis proferri, quasi tantum in quibusdam temporis differentijs verum, sed tali pacto, vt in omnibus polleat; siquidem vt propter quid formetur Ostensio, *medium congenitum esse oportet*, nempe sic maiori extremo iunctum, vt omnes temporis differentias æquet; *ac proinde factorum factum futurorum futurum, eorum quæ fiunt, quod fit, existentium existens, præteritum autem, & futurum non valent esse congenita*; quare cum effectus futurus, at causa præterita ponatur, plane succedit causam, & effectum haud posse congenita esse, sed alias temporis subire differentias. Adest etiam altera ratio ad probandum causam, quę simul non est cum effectu, non propter quid Ostensionis medium dare. Ac vt plene inclareat, decet notare inter huius causę tempus, & effectus medium tempus esse, quod in pręsentia accipit, deinceps vero patebit. Tum sic ratiocinium habet, si ex causa, necessario effectus monstratur, illud emerget vt simul queat in medio fieri tempore, sed hoc est falsum, Igitur videtur dicendum haud talem causam a priori, & necessario monstrare. Antecedens apparet, quando si hæc causa tantas vires tenet, vt effectus necessario monstretur, vt summam indicat connexionem, sic etiam continget nullum tempus describi, in quo id causa non præstet. Assumptum significat *falsum enim erit in intermedio dicere*; nam vt infra patebit, inter huius causæ tempus, & effectus, medium tempus datur, in quo uere dicemus causam extare, at non uere extare effectum. Quanquam minus sumimus, quasi possit aliquo modo cadere, sed in eum sensum ut nullo modo; etenim, *nec indefinitum tempus intermedium, nec definitum potest esse*, Atque hęc de postremo, scilicet quem locum causæ, quæ una non sunt cum effectu, in Ostensione possident. Adhuc de altero videamus, & in eo consistit num ne causa, & effectus tempore sint continua, quod primo fuit propositum, & ex quo illorum plena pendet notitia, quæ antea tradidimus. Ac licet hæc contemplatio per se ad Physica spectet, velut ea, quibus omnia tractantur, quæ motum in vniuersum attendunt, tamen cum

vt

vt certum ſumpſerit inter huius cauſæ tempus, & effectus medium tempus eſſe, cernens haud progreſſum ſtare, niſi pariter firmetur, iure hic vult ſtabilire. Ergo adhuc, *conſiderandum quidnam ſit continuans, vt poſt ipſum factum eſſe, ipſum fieri ſit in rebus*. Quæ verba prorſus idem denotant, ac cum homines putent, licet cauſa tempore præeat effectum, nihil impedire, quin illorum tempora ſint continua, nos vt res valde pateat, modo quæramus quod continuans exiſtat; nam ſi nihil occurrit, ſatis abunde conſtabit, nunquam hæc inter ſe continuari. Quo loco viri artificium ſplendet, qui vbi hanc quæſtionem propoſuit, ſtatim alteram ſubdit aiens, *An manifeſtum eſt haud eſſe contiguum facto id, quod fit?* Nam cum ad propter quid Oſtenſionem queat ſatis videri, dum cauſa ſit effectui attigua, ideo etiam hanc proponit, tanquam illam, ex cuius notitia liquet quid ſit de prima cenſendum. Et hac via nihil deſerit, quod valet negocium præbere. Sed vt omnia clareant, eſt obſeruandum, eo inuicem mutari, & mutatum eſſe diſtare, quod primum non temporis momento, ſed per ſe tempore expenditur, ac proinde quoddam eſt continuum; at vltimum minus tempore, ſed temporis momento, quo pacto haud continuum, ſed eſt indiuiduum. Quare eodem modo mutatum eſſe ad mutari, quo punctum ad lineam habebit, & ſicut punctum terminus eſt lineæ, ſic mutatum eſſe ipſius mutari. Rurſus vt lineæ infinita puncta hærent potentia, quod ex eo fit notum, quia vbiuis lineam ſecemus, ſtatim punctum erumpit, ſic pariter in mutari, infinita mutata inſunt, nam qua generatio præciditur, ſtatim mutatum eſſe ſe effert, quod præcedentem generationem terminat. Hiſce ſic prænotis, vna ratio occurrit, qua firmatur illius cauſę tempus, quę ſimul cum effectu non conſtat, ſed ante ipſum gignitur, nunquam poſſe eſſe cum tempore effectus contiguũ ſed medium tempus dari. Sic autem procedit, etenim ſi id, quod fit ei quod eſt factum attiguum eſſet, ergo multo magis factum facto quod ex eo refulget, quia cum magis duo facta inter ſe, quam factum, & id quod fit concordent, etiam ſunt magis vnita cenſenda, at factum nullo modo facto eſt attiguum, *vti nanque nec puncta ſunt inuicem contigua, ſic nec facta inter ſe*. Poteſt ratio adduci, quia illa eſſe contigua finimus, quorum extrema ſunt ſimul, ergo vt quędam inter ſe ſint contigua debent partes habere quæ extrema, & ſuperficies ſimul ſeruent; punctis autem, ac factis, tantum abeſt, vt hæ partes competant, vt prorſus nullas agnoſcant; *nam ambo ſunt indiuidua*, ſed primũ ipſam lineam, vltimum id, quod fit determinat.

minat. Quæ cum ita se habeant, nec queat factum facto contiguũ esse, *certe nec id quod fit ei, quod est factum*, attiguum erit; nec aliam ob causam preter illam, quæ prohibet cur factum facto non sit contiguum. Ac quamuis id quod fit partes gestat, tamen factum esse nullas tenet, sed est indiuiduum. *Ergo vt linea ad punctum habet*, qui cum nequit contigua esse, *sic id quod fit ad factum*, cum quo nequit esse contiguum. Atque hinc deprehendimus quid sit de prima difficultate dicendum, nimirum vtrum causæ tempus haud vna cum effectu constantis, sed ante ipsum genitæ, possit cum tempore effectus esse continuum, vel medium tempus intersit. Et quidem si continua finimus, quorum extrema sunt vnum vt quædam inter se sint continua, tales partes habebunt, quæ communi termino, & extremo iungantur. Ac licet id quod fit partes gerat, tamen factum esse nullas seruat, sed est indiuiduum; quare haud queunt continuari, sed tantum consequenter se habent; quod contingit dum inter aliqua nil eiusdem generis ponitur. Nam vt inter huius causæ tempus, & effectus, medium tempus adsit, tamen cum nulla alia causa, vel ex ipsa effectus fiant, solum decet deinceps credere. *Igitur de eo quod est quo modo cum generatio consequenter fiat se habeat medium, quod est causa*, nimirum non rei, sed illationis, *intantum sit acceptum*. Atque hæc de altera textus parte. Sequitur tertia pars textus, in qua deducitur hanc causam, & effectum immediate prædicari. Etenim si deinceps dicuntur, inter quæ nihil eiusdem generis manet, vt vt alterius intercedat, sane illud succedet, vt causa, & effectus, quæ hoc pacto constabunt, debeant immediata credi; ac vt in propter quid Ostensione sic termini sunt annexi, vt inuicem sint immediati, sic pariter in his debent, *primum, & medium immediata esse*. Potest nobis comprehendi si in hunc modum pergamus. Et quidem A. sit maius extremum, ac causa ipsius C. C. vero medius terminus, & causa ipsius D. at D. sit minus extremum; quod non sic accipimus, tanquam causa quouis pacto sumatur, sed illo sensu, vt tantum æe notentur, quæ tempore effectus preeunt. Tum sic, C. est A. sed D. est C. igitur D. est A. Maiorem positionem significat, *A. factum fuit, quia C. factum fuit*, & licet A. prius tempore sit quam C. tamen nihil impedit, quin notitiæ principium fiat, & ipsum A. ostendat. Cuius rei ratio apparet, quando cum ad cognitionis principium quæratur vt nobis sit notum, licet natura ignotum, quæ vero ipsi nunc, & præsenti sunt magis proxima, etiam nobis sint notiora, quasi ea, quæ inter posteriora, & effectus ponuntur, sa-

Continuũ quid.

Consequenter quid.

tis eniteт C. rite principium dici. Minorem dum ait, *C. autem factum est si D. factum est*, nam D. a C. vt a causa pendet, a qua proprium esse accipit. Conclusionem ibi, *ergo facto D. necesse est A. factum esse*. Sed quamuis adhuc tradita valde omnibus credantur, tamen quis posset instare, quia vt prius diximus, si factum facto nequit contiguum esse, quia omnes partes arcent, quibus extremitatibus iungantur, & naturam indiuiduam seruant, ergo etiam continget inter illa continuum stare; hoc autem apparet, quando vt inter punctum & punctum, quibus maxime sunt similia, media linea comprehenditur, quæ infinita puncta continet, sic inter factum, & factum aliquid erit, cui infinita facta hærebunt; quare causa, quæ tempore effectum præcedit haud talem faciet cum illo prædicationem, quę ad immediatas spectet. Respondet Philosophus ad difficultatem, *Sed tamen necesse est a medio, & a primo nunc incipere*. quę verba nihil aliud indicant, nisi negandum non esse inter duo puncta, & nunc, alia innumera puncta includi, at in factis non sic accidere, sed post causæ generationem posse primum effectum signari, inter quem, & causam nullus alius detur. Et quamuis post vnum nunc, nunquam possit primum nunc admitti, tamen id potest primum nunc, in quo incipit effectus ab hac causa pendere. Igitur si, *a medio*, id est primo effectu ordimur, qui talis Ostensionis medium præbet, atque adeo, *a primo nunc*, in quo effectus a causa manat, minus est negandum causam, & effectum sic esse, vt immediatam positionem condant. Quæ autem de præteritis diximus, haud decet assumere, quasi nequeant ad futura transferri, sed in eum sensum, vt probe illis aptentur. Nam ad C. positionem, etiam prius ponetur A. & ad D. positionem, prius ponetur C. igitur ad D. positionem prius A. ponetur. Maior propositio renidet, *si vero C. erit, prius A. erit*. Minor illis verbis, *etenim si D. erit, prius C. erit*. Conclusio dum inquit, *si nanque verum est dicere quod D. erit, necesse est prius verum dicere quod A. erit*, & hac uia, *huius*, nempe conclusionis causa, minus rei, sed cognitionis est ipsum C. quod fuit in medio positum. Quod si etiam futura nullas partes tenent, nec valent contigua esse, tamen nihil impedit quin deinceps se habeant, & immediatum prædicatum præstent, ut de præteritis diximus. Ac ut nihil expetatur, id exemplo illustremus. Vt autem plene clareat est obseruandum, tria maxime in eo includi. Primum censetur incisos lapides; alterum vero fundamenta; postremum ipsa domus. Primum sic est causa secundi, vt tempore præcedat; secundum eodem

Dubitatio.

Solutio.

dem pacto causa tertij;at tertium,solum effectus. Modo sit conclusio monstranda, Si domus est erecta debent necessario lapides prius fuisse incisi, sic Ostensio disponetur; & quidem incisi lapides sit maius extremum,fundamenta medius terminus, at domus minus extremum;tum sic,si fundamenta sunt structa,debent necessario lapides prius fuisse incisi,sed si domus est erecta debent necessario fundamenta prius fuisse structa,Igitur si domus est erecta debent necessario lapides prius incisi fuisse.Maiorem propositionem denotat,*si vero fundamenta lapides prius factos esse necesse est*.Minorem illis verbis,*necesse est facta esse fundamenta si & domum factam esse*. Conclusionem ibi,*si facta est domus necesse est lapides fuisse incisos*.Addit autem, *& factum fuisse hoc propter quid?* haud sane rei causam notans,cum pateat medium effectum esse, sed tantum cognitionis, scilicet ob quam noscitur maius extremum minori iungi. Hoc idem licet futuris aptare, vt si erunt fundamenta structa, etiam erunt necessario lapides prius incisi,sed si domus erit erecta, erunt necessario fundamenta prius structa,quare si domus erit erecta,erunt necessario lapides prius incisi. Et ex his refulget quibus generibus hæ causæ resident; nam cum proprium efficiens sæpissime,materia vero haud respectu affectionum, sed in ordine ad res, quas componit,tempore effectum præeat, at cæteræ causæ, vna cum effectis constent, nobis videtur dicendum, solum his generibus manere.

QVONIAM autem videmus in iis, quæ fiunt, dari circularem quandam generationem, contingit hoc esse, si sequantur se mutuo medium, & extrema, in his nanque est reciprocatio monstratum autem est hoc in primis quod conclusiones reciprocantur,quod autem est circulo,est hoc. In operibus autem sic inspicitur,madefacta terra,necesse est vaporem fieri,hoc autem facto,nubem,hac autem facta, aquam,hac vero facta, necesse est terram madefieri, hoc autem erat id, quod a principio; quare circumiuit in orbem,vno enim ipsorum quolibet existente, aliud est, & illo aliud, & hoc existente ipsum primum. Sunt autem nonnulla, quæ fiunt vniuersaliter, & semper enim, & in omni aut ita se habent, aut fiunt; alia vero non quidem semper, sed vt plurimum, vt non omnis homo mas barbam emittit, sed vt plurimum. Talium itaque medium quoque necesse est esse vt plurimum, si enim A. de B. vniuersaliter prædicatur, & hoc de C. vniuersaliter,necesse est & A.

Cont.66. Cont.67. Cont.68.

de C semper, & omni prædicari, hoc enim est vniuersale, & in omni, & semper; at supponebatur vt plurimum, necesse est igitur & medium, quod est B. esse vt plurimum. Erunt igitur & eorum, quæ sunt vt plurimum, principia immediata, quæcunque vt plurimum ita sunt, vel fiunt.

PRAELECTIO XIII.

QVO MODO SE HABEANT AD Ostensionem, quæ in gyrum operantur; quoue modo debeant causæ sumi pandens.

QVID Philosophus in præsens contendat, quoue pacto hic textus ad superiora iungatur, nec satis Interpretes concordant, & aliquam difficultatem continet. Nos missis pluribus, quæ ad id possent adduci, tantum vnum attingemus, tum illud proponetur, quod credimus textui quadrare. Ergo cum sic causa, & effectus se habeant, vt quædam *Opinio quorundam.* tam effectis iungantur, vt nequeant ab illis diuidi, sed semper vna consistant; quædam tali modo sint dispositę, vt causa tempore effectum præeat; rursus hæc dupliciter sumant, vt vno modo secundum rectum, quo pacto vnum est causa alterius, minus contra; alio vero vt in gyrum moliuntur, qua sic causa effectum producit, vt etiam ab ipso producatur; dicunt adhuc tum fuisse detectum quo modo primæ accedunt ad conflandum Ostensionem, tum quoque plurima adnexa de secundis, nimirum ijs, quæ secundum rectum habent. At cum id non posset satis putari, nisi aliqua de causis, & effectis tradantur, quæ circulariter fiunt, cum præsertim id genus *Refellitur.* multa rerum Vniuersitas suggerat, iure id velle stabilire. Verum hæc connexio licet apparentiam præferat, tamen si parum cauemus, nunquam est nobis probanda; nam vt fuit antea traditum, dum causa tempore effectum præit, nequid propter quid Ostensio fingi; quod ex eo apparet, quia illo medio tempore, quod inter causam, & effectum adest, vere dicemus causam existere, sed non vere existere effectum; at si propter quid Ostensionem conflat, eam nunquam effectus deseret, quæ vero in gyrum gignuntur, talis Ostensionis

sionis medium fiunt, quod inferius patebit. Et hæc ratio non solū in causis viget, quæ secundum viam rectam, sed etiam in ijs, quæ in orbem efficiunt. Quare magis tutum est asserere, adhuc fuisse de- *Connexio.* tectum quo modo causæ, quæ in rectum operantur, Ostensionem *Propria* componant, quouis pacto sumamus, nempe siue vna stent cum eff- *sententia.* ectu, siue tempore præcedant, at in præsentia terminare quid sit de *Institutum.* illis dicendum, quæ sic sunt in circulum digesta, vt semper simul iungantur. Contextus in quatuor partes diuiditur. Et quidem in *Diuisio.* prima totam rem determinat. In altera illustrat exemplo. In tertia aliud Theorema explicat. In quarta conditionem significat. Quod *Expositio,* attinet ad primam partem, cum in rebus natura constantibus, *quandam circularem generationem*, cernamus, Ostensio vero natura diri gatur, minus est negandum circularem Ostensionem dari; ac velut in ijs perfectus gyrus non adest, qui est ab eodem ad plane idem reuersio, sed tantum imperfectus, scilicet ad idem solum specie, ob quam rem dictionem, *quandam*, posuit, vt insinuet minus recte cum simpliciter circulis stare, sic in Ostensionis terminis, *contingit hoc esse*, vt tantum imperfectum gyrum præstent. Quanquam est obseruandum nec id quouis modo procedere, sed dum sic medium & extrema coniungimus, vt nunquam vnum ponatur, quin mox alterum prodeat, & inuicem sequantur. Nam si ea est circularis Ostensionis conditio, quod primo libro tetigimus, & fuit 2. Priorum expressum, vt principium conclusio, & conclusio principium euadat, id nunquam succedet, nisi omnes termini vertantur, & pariles existant. In hunc modum cernitur circularem Ostensionem posse in illis erigi, quæ gyro quodam gignuntur. Sic *Terra madefacta necesse est vaporem fieri, hoc autem facto nubem, hac autem facta aquam, hac vero facta Terram necesse est madefieri*, quod initio sumpsimus. Ac vt talis est gyri dispositio, vt nulla prima pars signetur, sed omnes queant primæ, & vltimę vocari, quod ex eo apparet, quia æquales inter se putantur, & a quauis ordimur, probe gyrum conficimus: sic in circulari Ostensione, prorsus nihil refert vnde nam principium fiat, sed siue a Terra madefacta siue a vapore, seu potius ab aqua, *vno ipsorum quouis existente*, circulus renidet. Sed quamuis hæc ita se habent, tamen dubium remanet, quo pacto hic progressus sumatur, nunquid ea ratione vt vtraque Ostensio a causa ad effectum, vel hoc modo vnica tantum, alia vero ab effectu ad causam, vel certe utraque sit ab effectu. Et quidem aliqui conten- *Prima* dunt haud posse primis duobus modis, sed solum ab effectu ad cau *opinio.*

 sam

ſam præſtari. Decet illo munire, quia in cauſis materialibus datur tanquam ijs, quarum talis eſt conditio, ut tempore effectus præeant, quos ſimul ut pars componunt; at Philoſophus de his uniuerſale tulit præceptum, non poſſe a cauſa ad effectum, ſed tantum ab effectu ad cauſam progredi. Sic ex textu 63. patet, quo loco concludit determinaſſe, quà Oſtenſio in illis formetur, quę ſimul tempore non conſtant. Præterea ſi hic etiam Oſtenſionem ſignat, quæ per rei cauſam pergit, iam falſum videtur quod ex Terra madefacta, neceſſario vapor fiat; nam ad hanc madefactionem, non neceſſario vapor ſe effert, ſed poteſt vnum ab alio diuidi, hoc autem nunquam cadit ſi contrario ordimur. Quare cum ex pluuia vapor vel ex vapore pluuia monſtrantur, ſemper a poſteriori, & effectu ad cauſam, & prius aſcendimus. Verum hanc opinionem haud valde firmam exiſtimamus; ſed ſi parum notatur, in ferendo exemplo ſic loquitur, vt Terræ madefactionem vt præteritam, & cauſam, at vaporem quaſi præſentem, & effectum vſurpet; quod pariter eſt in alijs cernere: ſiquidem ait, *madefacta terra neceſse eſt vaporem fieri, hoc autem facto nubem, &c.* Neque vero aliquis credat ſe ſcrupulum vitare ſi affirmet, per hęc non Oſtenſionis progreſſum, ſed tantum ordinem tradi, quem hæ cauſæ obtineant; quia cum Oſtenſio ex natura dirigatur, tunc plene ſuum munus prębet, dum ſic terminos diſponit, vt naturam æmulentur. Quod ſi id ęgre contingit, vel hoc fit quia rerum cauſę latent, ob quam rem cogitur per effectus pergere, vel certe quia haud prorſus cohęrent effectui, ſed illum ambitu, vel tempore pręcedunt, quo pacto eas cogitur linquere; ac vt tentat concluſionem inferre, quę non poſſit mendacio argui, ſed ſemper vera exiſtat, ſic tandem ijs ſe adaptat, quibus id licet habere, & etiam ex effectis ad cauſas tendit. Tantum vero abeſt vt quidquam horum hic agat, vt non ſolum cauſę ſe dedant, ſed vna ſic effectui iunctæ, vt nihil impediat cur Oſtenſio ſit pollens, & plene ſuum munus tranſigat. Pręterea ſi traditum exemplum haud Oſtenſionis progreſſum, ſed tantum ordinem ponit, quem hę cauſę retinent, iam Logici munus exceditur, tanquam eius, qui omnia ad ſciendi rationem dirigit, at talis contemplatio, nunquam ad Scientiam faceret; nam vt iſti affirmant, ſic Oſtenſio ſe habet, vt contrarium ordinem ſeruet; quare fruſtra negocium ſuſcipit. Quod autem pertinet ad rationes, quibus ſententiam defendunt, forte non debent turbare. Et quidem ad primā cum aiunt, dum cauſa tempore effectū pręit, haud propter quid oſtenſio-

Damnatur.

Quorundam effugium.

In contrarium allatis occurritur.

ostensionē fingi, nos libenter concedimus, sed negamus has causas hic signari, sed tātum illas & effectus, quæ eo modo sunt disposita, vt semper simul iungantur, quod etiam isti, cum quibus res est, nescio quo pacto fatentur; etenim dicunt, sic præsentem exemplum sumendum, vt semper agentis actio supponatur. Hac ratione apparet ex Terra madefacta, necessario vaporem fieri, si nimirum Sol, vel aliquid aliud in Terram agat; hoc vero idem indicat, ac causas, & effectus accipi, qua nunquam inuicem se separant. Atque hinc deprehenditur alterius rationis solutio. Nam si in monstrando, medium aptamus, vt semper agentis actio ponatur, certe ex Terræ madefactione quasi ex causa, necessario vapor vt effectus monstratur. Altera Sententia affirmat, sic progressum sumendum, vt vna quidem Ostensio a priori, & causa, at alia a posteriori, & effectu procedat. Neque sane ratio deest, ad id firmandum, sed cum idem in ordine ad idem nequeat causa, & effectus esse, sed vnam notionem subeat, tantum vnum ratiocinium a priori, alterum a posteriori vigebit. Sed cauendum a nobis est, ne hic etiam nodus lateat. Nam si Ostensio ex natura dirigitur, in rebus vero natura constantibus, *quandam in gyrum generationem*, cernimus, nunquam decet negare talem Ostensionem dari, quæ naturam exprimat. Ergo dum aiunt idem respectu eiusdem causam, & effectum non esse, dicimus in ijs valere, quæ sunt idem numero, at in illis, quæ solum specie, prorsus negamus. Quare alij existimant vtrumque progressum a causa ad effectum tendere, hoc autem non vsurpant, quasi imperfectus gyrus fiat, sed eo pacto, vt cum simpliciter circulis restet. Et quidem ponentes vt ex dictis apertum, ambas Ostensiones a causa ad effectum progredi, illo probant plenum gyrum componi, quia cum Terræ madefactio, &c. in vniuersum accepta, & a qua pluuia pendet, haud possit diuersa credi a Terræ madefactione, pariter eodem modo sumpta, quæ dependet a pluuia, satis renidet progressionem notari, quæ ab eodem ad plane idem redit, & expletam conuersionem. Neque hanc sententiam prorsus tutam reputamus; nam quamuis recte quadret, sic vtrumque ratiocinium a causa ad effectum esse, vt eodem causæ genere fiat, quod exemplum declarat, tanquam id, in quo semper materia sumitur, tamen non credimus quadrare, vt simpliciter gyrum ponat. Decet nos suadere, quando quæ primo libro traduntur aduersus circulum, probe huic se adaptant. Neque vero negocium præbet, quod aliqui

Secunda opinio.

Reijcitur.

Ratio aduersa diluitur.

Tertia opinio.

Euertitur

Quorundā cuusio.

aliqui affirment, ibi de eo verba facere, qui secundum rectum habet, hic autem de illo; qui in gyrum operatur; etenim dum parum notantur, quæ ijs textibus effert, talem circulum exturbant.

Ratio aduersa deletur. Quod vero pertinet ad rationem, si Terræ madefactio sumeretur vti isti contendunt, certe aliquid inferret, sed cum debeat aliter accipi, nullam molestiam parit. Quæ cum ita se habeant sic censemus

Propria sententia. ambas Ostensiones a causa ad effectum progredi, vt cum ipsa causa, tum effectus indistincte sumantur. In hunc modum asserimus Terræ madefactionem, a qua pluuia dependet diuersam esse a Terræ madefactione, quæ dependet a pluuia; scilicet quia prima quamuis non hæc, vel illa, sed sit indeterminata, tamen tantum est ea putanda, quæ pluuiam componit, pariter interminatam; at vltima licet quoque ipsa interminata, tamen solum illa, quæ est ex interminata pluuia. Et hoc pacto haud perfectum gyrum, sed tantum imperfectum agitant. Atque hæc de altera textus parte sufficiant. Quod attinet ad tertiam partem est memoria tenendum nos initio cauisse illa, quæ hic traduntur dum inter se conferimus, vix connexionem præferre, at dum respectu primi instituti, probe conuenire. Hoc ex ijs splendescet, quæ infra proponentur, nam vix quidquam occurret, quod possit ad superiora iungi. Quare si quæ in præsens prodentur nequeunt illis hærere, quæ adhuc attulimus, sane nihil refert, nec Philosophus attendit, sed præcipuum scopum, ad quem omnia collimant. Hisce sic prænotis, modo est declarandum quo pacto licet causas sumere, quæ propter quid fiunt Ostensionis medium. Ac vt id perfecte cadat, ex accidentibus præstemus, quæ per hanc Ostensionem clarent. Nam tanta est inter hanc causam, & effectum coniunctio, vt vix queat vnum ab alio diuidi, sed ratione primi subiecti semper inuicem sequantur. Ergo est obseruandum horum accidentium duplex genus esse. Primum illorum existit, *quæ vniuersaliter fiunt*, quo pacto, *semper, & in omni, vel sic habent, vel fiunt*. quæ duplex conditio primo libro finiuit dictum de omni posterioristicum, & in eo consistit vt prædicatum non solum perpetuo, sed etiam omni subiecto insit. Ideo vero dicitur, *vel sic se habent, vel fiunt*, vt primum affectiones indicet, quæ naturam manentem gerunt; at postremum eas, quæ iugi fluxu perdurant. In hunc modum testamur homini risiuum esse velut id, quod haud motum, sed consistentiam seruat. Sic rebus occasuis subiectis ortum, & interitum, cum haud consistentiam, sed perennem motum. Alterum

terum genus est illorum, *quæ non quidem semper, sed vt plurimum*, se habent, vel fiunt. Decet id comprehendere, quia, *non omnis homo mas barbam, sed vt plurimum emittit*. Quę cum ita se habeant, tute licet ad causas pergere, quibus hæ affectiones pendent, & propter quid Ostensionem condunt. Nam quæ semper consistunt, vel fiunt, vt distinctę cognoscantur medium,& causam requirunt, quę sit eodem modo disposita; illa vero, quę vt plurimum, itidem medium,& causam, quod vt plurimum existat. Cuius rēi ratio se effert, quia vt res se habet ad esse, sic pariter ad dignosci; ergo cum hęc partim perpetua, partim vt plurimum cernantur, etiam decet causas proferre, quæ sic sunt dispositæ. Vt vero distinctę pateat, sit conclusio monstranda C. est A. quę haud vniuerse vera, sed vt plurimum ponatur, tum sic concinnemus, B. est A. in vniuersum, sed C. est B. in vniuersum, certe illud erumpit vt C. sit A. in vniuersum; quare conclusio vera vniuerse dicetur, qua ab his principijs pendet, dicetur simul non vniuerse vera, quia ipsam non vniuerse, sed vt plurimum veram capimus, ac proinde eadem vniuersum, & non vniuersum erit; at hoc contingit quia pro notitia vt plurimum verę conclusionis, id medium assertur, quod vniuerse verum habet. Ergo tutius erit credere ad monstrandam vt plurimum veram conclusionem, tantum medium, vt plurimum verum sumi. Maiorem positionem insinuat, *nam si A. de B. vniuersaliter prædicatur*. Minorem cum ait, *& hoc de C. vniuersaliter*. Conclusionem ibi, *necesse est A. de C. semper, & omni prædicari*. Et hæc omnia possunt aptari, vniuerse veræ conclusioni. Sed quamuis hæc satis certa videntur, tamen si parum notamus, adhuc dubium restat quid Philosophus per medium signet, numne solum vnicam, vel certe vtramque positionem. Aliqui contendunt ambas significare. Decet nos communire, quando primo libro hic, textu 50. dum edoceret ad non necessariam conclusionem, nunquam medium necessarinm, poni, medij nomine vtraque positio traditur, nihil autem occurrit cur hic aliter sumatur, cum tum nullum discrimen, tum quoque idem sit ratiocinium. Verum hanc opinionem minus solidam existimamus, siquidem tanta est inter causam, & effectum cognatio, quæ propter quid Ostensionem constant, vt vix vnum ab altero absit, sed inuicem sectentur. Ac sane si hæc causa, & effectus secus se haberent, vel id ex propria conditione,& per se, vel ob aliquod externum, & impediens esset; non primum quando ad pro-

Opinio quorundam.

Euersio.

pter

pter quid interrogatum, illa est causa ferenda, quæ vel simpliciter, vel in quodam genere explanet, hoc autem non fieret, sed adhuc Mens incerta staret, quæ firme debet causam tenere; at postremum licet facile cadat, tamen inter ea, quæ per accidens locatur, quo pacto nihil impedit, quin rei notitia accedat. Quod vero pertinet ad rationem, forte haud tantos neruos gerit, quantos aliqui volunt; nam illo textu 50. dum affirmat ad non necessariam conclusionem, nunquam medium necessarium sumi, prorsus nihil indicat, præter haud licere ambas positiones necessarias esse, quod terminis ignotis explicat, at ex hoc non apparet ambas esse licere non necessarias, sed quamuis vna necessaria, altera sit non necessaria, tamen non necessaria sit conclusio. Quare dum inquit, illorum, quæ vt plurimum, *medium quoque necesse est esse, vt plurimum*, credimus vnam positionem notari, nec quidem maiorem, vti ex dictis refulget, cum præsertim ad vt plurimum effectum noscendum, talis causa sumeretur, quæ semper subiecto hæret, sed minorem positionem. Neque sane quis censeat, his immediata Principia non esse, nam, *eorum quæ sunt vt plurimum, etiam erunt Principia immediata, quæcunque vt plurimum sic sunt, vel fiunt*. Quo loco obseruant, illa verba, *quæcunque vt plurimum sic sunt, vel fiunt*, haud esse ad, *Principia immediata*, cum hæc græce fœmineo genere, at, *quæcunque*, neutro notentur, sed ad effectus referenda. Possunt autem sic exponi, omnia, quę vt plurimum existunt, seu naturam constātem habent, seu iugi fluxui addictam, immediata Principia tenent, ex quibus inclareant. Et hac via, *quæcunque vt plurimum sic sunt, vel fiunt*, illam particulam pandit, *eorum, quæ sunt vt plurimum*.

Ratio aduersa tollitur.

Propria sententia.

Cont. 69. *QVO MODO igitur ipsum quid est in terminos assignatur, & quomodo ipsius est demonstratio, aut definitio, aut non est dictum est prius; quo modo autem venari oportet ea, quæ in eo quod quid est prædicantur, nunc dicamus. Eorum itaque, quæ vnicuique semper insunt, nonnulla latius extenduntur, non tamen extra genus; dico autem latius patere quæcunque insunt quidem vnicuique vniuersaliter, veruntamen & alii, vt est aliquid, quod omni trinitati inest, sed & non trinitati, velut ens inest trinitati, sed & non numero; at impar quoque inest omni trinitati, & latius patet, nam etiam quinario inest, sed non extra genus; quinarius enim est numerus, impar autem nihil est extra numerum.*

Talia

Talia itaque accipienda ſunt quouſque tot accepta ſint primum, quorum ſingulum quidem latius patebit, omnia vero non latius, hanc enim neceſſe eſt ſubſtantiam rei eſse; vt trinitati ineſt omni, numerus, impar, primus vtroque modo, tum vt numero non menſuretur, tum vt ex numeris non componatur; hoc igitur iam eſt ipſa trinitas, numerus impar primus, & ſic primus; horum enim vnumquodque alia quidem & imparibus omnibus inſunt, vltimum vero etiam binario, omnia autem nulli. Quoniam vero declaratum nobis eſt in præcedentibus, quod illa, quæ in quid prædicantur neceſſaria ſunt, vniuerſalia vero ſunt neceſſaria, trinitati autem, & in quocunque alio ſic accipiuntur, in eo quod quid eſt inſunt ea, quæ accipiuntur ſic, ex neceſsitate vtique erit trinitas hæc. Quod autem ſit ſubſtantia, ex his manifeſtum eſt, neceſse eſt enim ſi non ſit hoc trinitati eſse, vt genus aliquod eſse, hoc vel nominatum, vel innominatum, erit igitur pluribus, quam trinitati inexiſtens, ſupponatur enim tale eſse ipſum genus, vt ſecundum potentiam pluribus inſit; itaque ſi nulli ineſt alii quam indiuiduis trinitatibus, hoc vtique erit trinitati eſse, ſupponatur enim & hoc ſubſtantiam vniuſcuiuſque eſse, ſcilicet eam, quæ eſt in indiuiduis vltima talis prædicatio; quare ſimiliter & alis cuicunque eorum, quæ ſic monſtrata ſint, idem eſse erit. Oportet autem quando totum quoddam negocietur aliquis, diuidere genus in indiuidua prima ſecundum ſpeciem, vt numerum in ternarium, & binarium; poſtea ſic illorum definitiones tentare accipere, vt rectæ lineæ, & circuli, & recti anguli. Poſt hæc autem accipientem quid ſit ipſum genus, veluti an ex quantis, an ex qualibus proprias affectiones ſpeculari per communia prima; ea enim, quæ accidunt iis, quæ componuntur ex indiuiduis, erunt ex definitionibus manifeſta, propterea quod principium eſt omnium definitio, & ipſum ſimplex, & ſimplicibus ſolis per ſe inſunt illa, quæ accidunt, aliis vero ſecundum illa.

Cont. 70. Cont. 71. Cont. 72.

Pp PRAE-

PRAELECTIO XIV.

QVO MODO SINT ERVENDA *quæ in quid prædicantur explanans.*

Institutum. SED admonet tempus vt aliquam curam de quidditatiuis prędicátis ineamus, nimirum explicando qua via se nobis exerant. Ac quamuis satis Philosophus testetur, tamen cur de illis agat, quoue maxime negocium tendat, haud similiter exponunt. *Io. Gram. & Eustratius.* Et quidem Philoponus, & Eustratius affirmant in gratiam Ostensionis tractari. Nam cum medium, primum locum seruet in Ostensione, definitio vero sit medium, erat detegendum quo pacto hæc accedat. Nisi vero sic dicamus, tantum abest vt ratio se efferat cur hanc tractationem linquat, vt in diminutionem labatur. Decet illo videre, quia Ostensio non ad sui cognitionem, sed ad vsum dirigitur, quare nil debet omitti, quod eius fabricæ succurrat. Huic etiam fere om-*Non probatur.* nes Latini subscribunt. Verum hanc opinionem haud valde tutam existimamus. Nam vt demus, sic quiditatiuá tractari, vt in gratiam Ostensionis fiat, tamen nec eo modo sumimus, vt maxime collimet ad insignem Ostensionem, quod isti asseuerant, nec *Auerroes.* Philosophi Mentem attingunt. Ergo Auerroes, & alii illo pacto loquuntur, quasi credant, intantum hæc attributa quæri, qua definitum euoluunt. Potest facile probari, quia cum finitio ad instrumenta spectet, quæ in rei notitiam ducunt, etiam contingit, vt nequeat vllo modo deseri, sed vt primum locum occupat inter modos sciendi, tanquam illa, quæ substantiam aperit, sic est sum-*Deseritur.* ma cura exprimenda. At cauendum a nobis est ne hæc etiam opinio ijs vitiis laboret, quibus adhuc notata; etenim dum parum attendimus quæ primam sententiam firmant, distincte refulget, nunquam esse negandum in ordine ad Ostensionem cognosci. *Propria sententia.* Quæ cum ita se habeant censemus in præsentia finitionem cum velut Ostensionis medium quæri, tum quoque vt finitum repræsentat. Et quidem de prima parte minus accipimus tanquam primario ad illustrem Ostensionem, secundario ad alias spectet, sed illo sensu, vt contrarium succedat, & primo pro reliquis propter

quid

quid Ostensionibus minus perfectis tum pro ea quęratur, quę præ cæteris primatum gerit. Licet nos comprehendere, quia sic huius sumit Ostensionis Principia, vt quid eis natura competat attendat, nihil amplius curans si quidquã secundario, & per accidẽs; quam ob causam monebat, illa pręnoscenda esse, quod nihil aliud indicat, nisi ex propria conditione non ab aliis pendere cognitionis Principiis, sed tantum ex nostra infirmitate, qui ea, quæ per se sunt aperta, haud distincte intuemur; ob quam rem sępe cogimur quasdam vias rimari, quę ad Principia ducant. At alterius ordinis Ostensiones quia sunt minus perfectę, & sæpius in Scientiis sumuntur, sic illarum partes adhibet, vt omnia acriter obseruet, quæ ad rite vtendum conferunt Ostensione. Et hæc ratio censetur cur horum declarationem non cum ijs coniunxit, quæ de finitione sanciuit, sed ad hunc locum seruauit; nam prius eam accidentis finitionem, cui nil deest spectabat, & maxime agnoscit præstantem Ostensionem, a qua tantum terminorum situ distat; at in præsenti non solum alia finitio, sed tali pacto attenditur, vt maxime ad Ostensiones dirigat, quæ tanta dignitate non pollent; quare simul erat cum eis tractanda. Quod attinet ad aliam partem, in qua fuit expressum finitionem, etiam vt finitum proponit exquiri, tali pacto vsurpamus, vt cum ad substantiam, tum quoque ad accidentia penetret. Quanquam est aduertendum minus accipi, quasi perfectum quid accidentis signetur, cum prius fuerit de ipso actum, sed eo modo, vt tantum illud quid, quod sui causam non habet, ac minus perfectum creditur. Potest nobis probari, quia cum illa, essentia sint prædita, quæ per se est ignota, & finitio explanat, ni pariter intelligat de accidentibus, iure posset mancus dici, quando illa desereret, quæ Ostensionis fabricam adiuuant; cum præsertim nusquam appareat hanc prouinciam suscipere. Atque hæc de Philosophi consilio. Contextus in quinque partes diuiditur. Et quidem in prima epilogat, quæ de quid est cognouit. In alia rem tractandam proponit. In tertia declarat quà infimam speciem finimus. In quinta quà ipsum genus. *Diuisio.*

Quod pertinet ad primam, & secundam partem, *quomodo ipsum quid in terminos assignatur*, id est affectionis perfectum quid in omnes Ostensionis terminos se diuidat, *& quo modo ipsius est Ostensio, vel definitio, aut non est, dictum est prius; quo modo autem oportet venari, quæ in eo quod quid prædicantur nunc dicamus*. Ergo est obseruandum, quæ alicui sic, *semper insunt*, vt nec re, nec ra- *Expositio.*

tione diſſidant, duplici genere comprehendi. Primum illorum exiſtit, quæ licet magis ſe diffundant quam ſubiectum, tamen haud proprium genus excedunt, ſed eius limitibus perſiſtunt. In hunc modum impar cum omni trinitati competat, ac ſimul ad alia penetret, quod ex eo renidet, quia, *etiam quinario ineſt*, tamen genus non tranſcendit, *nam quinarius eſt numerus*, *impar vero nihil eſt extra numerum*. Alterum genus eſt illorum, quæ non ſolum ſubiectum excedunt, ſed itidem ad ea permeant, quæ vltra genus vagantur. Decet in ente videre, quod ſic numerum attingit trinitatis genus, vt vna ad alia ſpectet, *& non numero*, inſidat. Hiſce ſic annotatis ſi volumus vltimam ſpeciem finire, ſic incedetur, vt non poſtremi ordinis prædicata, ſed tantum primi notentur; hoc autem non dicimus quaſi ſolum quædam ſumantur, ſed illo modo, vt omnia, quæ ſic omnibus Speciei indiuiduis, vt ſecundum eſſentiam competant, quę dum fuerint probe iuncta, tunc finitio conſiſtet, quando haud debet aliud credi, niſi horum prædicatorum ſtructura. Ac ne ab exemplo recedatur, ſit trinitas finienda, tunc illud aduertitur, omni trinitati numerus, & impar ineſſe, nec ſane quauis ratione, ſed vt ſecundum ſubſtantiam dicantur. At cum id nequeat ſatis eſſe, cum alij numeri ſe promant, quibus eadem attributa adſunt, eo mentis aciem tendentes ſit notum, etiam, *primus vtroque modo*, deberi, quod ſic vſurpamus, *vt non ſolum non menſuretur numero, ſed ſimul vt ex numeris non componatur*. Et licet horum quoduis diſiunctim acceptum, alijs præter trinitatem inſit, vt numero non menſurari, quod pluribus imparibus reſidet, quia nullus in ſemet abſumit iteratus, ac ex numeris non componi, quod vna de binario dicitur, quem ſolæ vnitates concinnant, tamen ſi omnia coniunctim ſumantur, nulli poſſunt aptari, ſed ad ſolum ternarium ſpectant. Et hac via probe erit finitio compacta; trinitas eſt, *numerus, impar, primus, & ſic primus*, nempe modo attacto. Sed cum adhuc nequeat cerni vtrum hæc prædicata, rei eſſentiam conflent, ſed tantum pateat, quod in quid affirmentur, ideo ne ſit quidquam optandum, etiam hoc detegatur. Antequam vero id præſtemus, decet vnum munire, quod valde negocio conducit; eſt vero hæc attributa trinitati, neceſſario deberi. Ergo ſic procedetur; illa, quę in quid prædicantur, ſimul neceſſario conueniunt, ſed adhuc de trinitate affirmata, in quid prædicãtur, quare neceſſario conueniunt. Maiorem propoſitionem deſignat, *neceſſaria quidem ſunt, quæ in eo*

quod

quod quid prædicantur: nam vt fuit primo libro traditum prædicata, *vniuersalia sunt necessaria,* at quæ in quid dicuntur sunt vniuersalia; quod non intelligimus, tanquam possit lato modo capi, sed eo pacto, vt vniuersale notetur, quod quatenus ipsum seruat. Quanquam decet aduertere, cum asserimus, quæ in quid prædicantur vniuersitatem gerere, illo sensu efferri, vt debeant coniunctim accipi; nam si seorsum sumantur, vt latius patent subiecto, sic valent in quid, & per se conuenire, at quatenus ipsum haud valent. Minorem significat, *trinitati autem, & in quouis alio, &c.* eo vero non confirmat, quia ante supposuit, illa in finiendo sumpta esse, quæ in quid trinitati insunt. Conclusionem ibi, *ex necessitate quidem erit trinitas hæc,* scilicet ea omnia simul nexa, necessario trinitati hærebunt, nec quidem quauis necessitate, sed illa, quæ maxime competit vniuersali prædicato. Hoc sic constituto, licet facile probare talium attributorum aggregatum rei substantiam condere, & definitionem; sic autem succedet, si omnia prædicata, quæ trinitati damus, essentiam non formant, certe illud fiet vt aliquod sint genus, sed hoc dedecet credere, Igitur essentiam formant. Connexum insinuat, *nam necesse est si non sit hoc, &c.* quod ex eo relucet, quando cum hæc prædicata, simul in quid dicantur, nil vero tale se dedat, nisi rei substantia, vel genus, prorsus apparet alterum ex his esse. Assumptum firmatur dum generis naturam notemus; nam cum id dicatur esse, quod, *in pluribus secundum potentiam inest,* nec quidem solum indiuiduis, sed etiam speciebus, hoc vero aggregatum, *nulli alii, quam indiuiduis insit trinitatibus,* illud emergit vt sit essentia putanda, quæ vt prius expressimus, nihil in speciebus creditur, *nisi in indiuiduis vltima talis prædicatio*; id est eo modo in quid vt omnia attributa claudat, quæ ad substantiam spectant, quo pacto etiam vltima dicitur, cum aliud prædicatum non restet. Quæ autem fuerunt de ternario tradita, omnibus infimis speciebus quadrant. Et hęc de quarta textus parte sufficiant. Adhuc de vltima videamus, nempe quo pacto genus finitur, nec quidem supremum, cum finitionem excludat, sed illud, quod pariter est species, & subalternum nominant. Ergo, *dum quis totum quoddam negociatur*, sic debet se gerere, vt, *genus in indiuidua diuidat specie prima*; quæ verba idem indicant, ac pro generis finitione pangenda, in vltimas species distribui, quę sub tali genere manent, quas ideo indiuidua vocat, quia nequeunt in alias secari, sed statim singularia apparent. Additur uero, *prima,* quia dum species ducimus ex singularibus,

prius

prius nobis hæ,quam aliæ occurrunt,tanquam æe,quæ magis indiuiduis hærent. Quo facto illarum finitiones condet, quod haud ægre succedet,si ea retinentur, quæ adhuc tradidimus. Tum supremum genus quæret,nimirum illud,sub quo finiendum constat; num ne quantum,vel quale,vel aliud existat. At cum nequeat satis esse,,ni etiam aliquid accedat,iure postquam hæc erunt facta, *proprias affectiones*,rimabitur *per communia prima*, id est ea prædicata sumens, quæ sic infimis speciebus, vt secundum essentiam competant,nec sane omnia.sed illa,quibus inuicem communicant, plane proprijs relictis;& dum respectu primi generis sumantur,proprias affectiones dicimus,quia tum ipsum restringunt,tum prorsus ei accidunt;at dum in ordine ad species,quas componunt, cum sic omnibus insidant,vt ab ijs subalternum genus pendeat,prima communia vocantur; tum ea summo generi iungendo, mox subalterni finitio fiet. Et hac via,*illa,quæ iis accidunt, quæ ex indiuiduis componuntur*,nempe subalternis generibus,*erunt ex finitionibus aperta*. Nam cum harum specierum finitio, Principium putetur ad genera intermedia finienda vti quoddam simplex,solis autem simplicibus primo insint in quid prædicata,*aliis vero secundum illa*,videtur dicendum, quæ in quid his generibus competunt, tantum in vltimis finiendis promi.Et ex his enitet Compositionem, siue Resolutionem, quippe idem denotant, recte cum Methodis poni. Ac licet non eodem modo, quo Ostensio manifestet, cum hæc necessario adignoti notitiam ducat,tamen dedecet inferre, nullo pacto manifestare; sed vt distinctam naturam ab Ostensione, sic distinctam explanandi rationem habet.

Compositio inter Methodos remanet.

DI-

DIVISIONES vero, quæ per differentias fiunt, utiles sunt ad ita pertranseundum, ut tamen monstrant dictum est in præcedentibus, utiles autem sic solum essent ad ratiocinandum ipsum quid est. Atqui videretur utique nihil, sed statim accipere omnia; perinde ac si ab initio quis acciperet absque diuisione. Differt autem aliquid eorum, quæ prædicantur, prius, & posterius prædicari, ut dicere animal mansuetum bipes, vel bipes animal mansuetum; si enim vnum ex duobus est, & vnum quoddam est animal mansuetum, & rursus ex hoc, & differentia homo, vel quodcunque sit, quod vnum fiat, necesse est diuidentem petere. Præterea ut nihil prætermittatur in eo, quod quid est, ita solum contingit, quando enim primum genus acceptum sit, si inferiorum quidem diuisionem aliquam accipiat, non incidet omne in hoc, ut non omne animal aut integris, aut scissis pennis est, sed omne pennatum animal, huius enim differentia hæc; prima vero differentia est animalis, in quam omne animal incidit similiter autem & aliorum vniuscuiusque, tum eorum, quæ extra sunt, generum, tum eorum, quæ sub ipso ut auis, in quam omnis auis, & piscis, in quam omnis piscis: ita igitur præcedenti est nosse quod nihil relictum est, aliter vero & derelinquere necessarium est, & non cognoscere. Nequaquam autem oportet definientem, ac diuidentem omnia cognoscere, quæ sunt, quanquam impossibile aliqui esse dicunt differentias cognoscere, quæ ad singulum non cognoscentem singulum; absque differentiis autem singulum cognosci non posse; a quo enim non differt, huic idem esse a quo autem differt, diuersum ab hoc. Primum igitur hoc falsum est, non enim secundum omnem differentiam diuersum est, multæ nanque differentiæ insunt iis, quæ sunt idem specie at non secundum substantiam, neque per se. Postea quando acceperit opposita, & differentiam, & quod omne incidit in hanc, ut illam, & acceperit in altero id, quod quæritur esse, & hoc cognoscit, nihil refert nosse, aut non nosse de quibuscunque aliis prædicantur differentiæ, manifestum enim est quod si ita progrediens venerit ad hæc, quorum non est amplius differentia, ipsam substantiæ rationem habebit Omne autem in diuisionem incidere si sint opposita; quorum non est medium, non est petitio, necesse est enim omne in altero ipsorum esse, si quidem illius differentia erit. Ad construendam autem definitionem per diuisiones, tria spectare oportet, ut accipiantur ea, quæ prædicantur in quid, & ut hæc ordinentur quid primum, quid secundum, & quod hæc sint omnia. Est autem horum

Cont. 73. Cont. 74. Cont. 75. Cont. 76. Cont. 77. Cont. 78.

vnum

vnum primum eo quod possimus, quemadmodum ad accidens ratiocinari quod insit, ita & per genus construere. Ordinare autem vt oportet erit, si primum acceperit, hoc autem erit si acceptum fuerit id, quod omnia sequitur, illud vero non sequuntur omnia, necesse est enim esse aliquid tale, hoc autem accepto iam inferioribus idem est modus, secundum enim erit id, quod aliorum est primum, & tertium id, quod consequentium, sublato nanque supremo, quod sequitur, aliorum pri-
Cont.79. *mum erit, similiter autem & in aliis. Quod autem omnia hæc sint, manifestum est ex accipiendo, idque, quod primum est secundum diuisionem quod omne aut hoc, aut hoc, inest autem hoc, & rursus huius totius differentiam, postremi vero non amplius esse differentiam, vel & statim cum postrema differentia hoc non differre specie a toto; manifestum enim est quod neque plus adiacet, omnia nanque in eo quod quid est accepta sunt horum; neque deficit aliquid; aut enim genus esset, aut differentia; genus igitur & primum, & hoc, quod cum differentiis assumitur, differentiæ vero omnes habentur, non enim amplius datur posterior. specie nanque differret vltimum, hoc autem dictum est non differre.*

PRAELECTIO XV.

CIRCA EANDEM REM versans.

Connexio. Institutum.

AT non solum per Resolutionem, sed etiam Diuisionis ope ad finitionem venimus; ideo post primæ cognitionem nos ad alteram traducit, quam eo libentius expendit, qno valde apud Platonem pollebat. Contextus

Diuisio.

in quatuor partes secatur. Et quidem in prima Diuisionis commodum fatetur. In alia illud declarat. In tertia euacuat cauillum.

Expositio.

In quarta normam tradit, qua recte Diuisio cadat. Quod attinet ad primam partem quamuis Diuisiones, *quæ per differentias fiunt*, haud aliquid ostendant, tamen dedecet negare, maxime, *ad sic obeundum*, prodesse, vt per Compositionem finitio accedat. Neque vero accipimus, quasi nihil Diuisio deducat, sed tali modo, vt nequeant quidquam determinate, sed tantum indeterminate inferre. Nam vt fuit alias dictum, cum vtramque

par-

partem indiſtinctè quærimus, probe ex Diuiſione contingit. Hac ratione apparet ſi aliquis ſic procedit; corpus vel eſt animatum, vel inanimum,ſed homo eſt corpus, igitur vel eſt animatum, vel inanimum. Ex quo Syllogiſmo nitet ambas contradictionis partes,diſiunctim concludi; at cum id non adeo polleat, vt finitionis negocium impleat, tanquam eius, quæ ex determinatis conſtat, merito aſſerimus finitionem non monſtrare, ſed cum hæc, ſolum alteram partem poſtulet contradicentiæ, id vero non poſſit Diuiſio præſtare,ſed debeat ſine probatione ſumere, magis videtur dicendum, *omnia accipere, vt ſi quis ab initio acciperet abſque diuiſione*. Quæ cum ita ſe habeant eſt obſeruandum triplicem fructum afferre; & quidem primi duo rem ipſam, tertius noſtram notitiam reſpicit. Ergo primus fructus creditur, quia cum valde pro finitione differat, *aliquid eorum, quæ prædicantur, prius, & poſterius prædicari*, vt ſi de homine aſſerimus, *animal, manſuetum, bipes; vel bipes, animal, manſuetum*, quaſi eius finitionem, certe ni Diuiſio accedat, quę deſcenſum in partibus ordinet, vix quicquam perfecte cadet. Nam cum omnis finitio ex genere, ac differentijs conſtet, & quaſdam partes magis amplas,quaſdam minus includat,illud erumpit, vt proprias ſedes optent, & in ijs ſint ponendæ, nec Naturæ ordinem conturbent,quod eſt inconueniens. Alter fructus creditur,quia cum finitio poſcat,vt omnia ſumamus, quæ in quid dicuntur, ni per Diuiſionem contingat,quæ non ſolum id præſtet,ſed etiam explanet, nihil dimiſſum fuiſſe, quod vel finito tribuendum, vel remouendum appare, minus occurrit qua via queat deprehendi. Quanquam haud accipimus,tanquam Diuiſio obtineat,vt qua tali conueniat,ſed in eum ſenſum, ſi nauiter ſeruentur, quæ inferius dicemus.*Nam dum primum genus vſurpatur*,& quis, *aliquam aſſumat inferiorum diuiſionem*, nempe ipſum non per primas differentias, ſed primis inferiores ſecans,nunquam generis ambitum explebit, ſed aliquid ſupererit,ad quod genus pertingat. Ac vt id exemplo clareat,ſit animal ſecandum,tunc ſi hoc per integras,& ſciſſas pennas habens gerimus, haud omne animal claudit, ſed alia ſe dedunt, quæ pennis ſunt nudata;*ſed tantum omne pennatum animal*, cuius primæ differentiæ cenſentur.At ſi per greſſile,volatile,& natatile,ſtatim nullum animal reſtat.Poteſt ratio adduci,quia primæ differentiæ abſoluunt,quæ nullæ ſunt aliæ,niſi æe, in quas, *omne animal incidit*, quo pacto ſimul propriæ, & immediatæ exiſtunt.

Diuiſionis triplex vtilitas.

Qq Nam

Nam vti sic conueniunt, vt alteri nõn competant, rite proprias vocamus; quia vero inter ipsas, & genus, nullum genus ponitur, iure immediatæ dicuntur. Quæ autem fuerunt de animali tradita, decet alijs generibus aptare siue extra animal, vt corpus, & planta, siue sub animali constent, vt auis, & piscis. Et hac via etiam, *est nosse quod nihil est relictum.* Quæ verba haud assumimus tanquam diuidendi normam promant, vt si ex primis differentijs pergat, recte Diuisio succedat; quod si ex alijs, primis inferioribus, minus recte; sed tali pacto, vt solum insinuent, probe confectam Diuisionem in certam notitiam ducere. *Aliter autem & relinquere necessum est*, nimirum facile aliquam omitti ex differentijs, & nos omisisse, *non cognoscere*, nec rem perfecte teneri. Et hoc modo tertius fructus effulsit, sine quo vix reliqui prodessent. Nam licet finitionis partes rite disponantur, nec aliqua sit relicta, tamen nisi id intelligitur, nil distincte possidemus; quod ex eo fit notum, quia ad rem plene noscendam haud satis putatur omnia, a quibus pendet tenere, sed est necessarium, vt qua talia noscantur; nisi vero sic contingat, frustra negocium tractamus. Sed contra illa, quæ diximus, quis cum Speusippo dubitabit; nam si ad omnes omnium differentias noscendas requiritur, vt itidem omnia noscantur, si pro finito noscendo omnes debent omnium differentię nosci, prorsus emergit, vt nequeat finitio strui, ni omnes res comprehendantur, nec etiã diuisio, quę finitionis gratia traditur; at id tantũ abest vt possit pręstari, vt suã infirmitatem pręferat. Maiorem propositionẽ innuit, *tamẽ quidam impossibile esse dicũt differentias, quæ ad singulũ noscere haud singulum noscentem.* Minorem illis verbis, *absque differentiis autem singulum nosci non posse*; cuius rei ratio se effert, quando cum ea sit differentiæ conditio, vt rem a cæteris segreget, *a quo enim non differt, huic idem esse, a quo vero differt, diuersum ab hoc*, ni omnes omnium tenentur differentię, nusquam apparet qua nam via se exerat, num idem cum alijs finitum, vel ab illis sic diuersum. Neque sane dictio, *singulum*, sumitur, vt in maiori positione quoduis aliud pręter finiendum, at in minori, solum finiendum indicet, quod Eustratius exponit, sed illo sensu, vt vna ad id pertingat, quod debet definiri. Sic videtur Syllogismi medium hortari; etenim in minori ait, *absque differentiis autem*, *&c.* quo loco vt cum omnes differentię notantur, quibus reliqua a finiendo, tum quoque ęę, quibus ipsum a reliquis distat, & pariter finiendum, sic debet in maiori accipi. Nisi vero sic dicamus, nihil ratiocinium inferet,

Dubitatio.

Eustratius.

ret,ſed in medio ambiguum latet. Reſpondet Philoſophus ad diffi- *Solutio.* cultatem,& quidem vt nihil intactum reſtet, quod falſitatem habeat,primo nobis aperit quam deceat inane credere,quod fuit vltimum prolatum, poſtea rationem enodat. Ergo cum differentiæ duplici genere conſtent,vnum illarum apparet, quæ ſic rei debentur,vt ſecundum eſſentiam competant, alterum vero illarum, quæ tantum ſecundum accidens;dum Speuſippus inquit,*a quo autem differt diuerſum*, de primis differentijs concedimus, quibus ſolum conuenit diuerſum facere,ſed de alijs negamus. Nam vt,*iis inſunt, quæ idem ſunt ſpecie*,ſic,*non ſecundum ſubſtantiam, nec per ſe*, conueniunt;ob quam rem minus aliud,ſed alterum componunt.Quod autem pertinet ad rationem,in qua videtur conuinci pro finitione condenda debere omnia noſci, ſi ea probe cernatur haud tantos neruos geſtat,vt nos ad id impellat. Nam dum quis ſic incedit, vt primo genus adhibens;ipſum per oppoſitas digerat differentias, quod recte continget,ſi prius dignoſcat,*omne in hanc, vel illam*, cadere; *poſtea acceperit id, quod quæritur in altero includi*, id eſt vnam determinatam differentiam, ſic finiendo deberi, vt diſtincte comprehendat, *ſi ad hæc perueniat, quorum haud amplius eſt differentia*,nec queunt alijs diuidi differentijs,quod tunc ſuccedit,dum parem finito orationem reddunt, *ſubſtantiæ rationem tenebit*. Et hoc modo renidet ad concinnandum finitionem nihil referre dignoſcere,nunquid omnia alia ſub hac,vel illa differentia manent, ſed ſatis eſſe ſi tantum quædam noſcamus. Nam ni aliquæ ſpecies pateant,nec quidem omnium,ſed illius generis,quod ſecandum ſuſcipimus,quibus oppoſitæ competant differentiæ,nequit ipſum diuidi, ſed adhuc incerti verſamur num hæ differentiæ ad id genus ſpectent. Qua ratione elucet haud peti in principio cum genus ſumentes,recte per oppoſita partimur.Et quamuis idem notet aſſerere corpus vel animatum,vel inanimum eſſe, ac ipſum, *omne in diuiſionem cadere*, tamen quia apparet cum tanquam differentias, tum vt immediatas deberi,quod contradictionem habet, cuius altera pars eſt neceſſario vera, eo repetitio vitatur. Atque hæc de tertia textus parte ſatis ſit indicaſſe. Adhuc de vltima videamus, in qua normam tradit,qua probe Diuiſio fiat. Nam cum hæc vtilis putetur ad finitionem,haud decet ſatis credere, ſi eius commoda numerantur,niſi etiam ſit notum,quo pacto rite præſtatur. Quare eſt obſeruandum,*ad ſtruendum per diuiſiones finitionem tria maxime reſpici*. Primum ſe offert, *vt illa, quæ in quid prædicata ſumantur.* *Quid Diuiſio pro finitione, ſpectat.*

mantur. Poteſt ratio adduci, quia cum finitio, prorſus nihil accidentia, ſed eſſentiam attendat, illud emergit, vt ſolum ea cognoſcat, quæ ſecundum ſubſtantiam competunt. Alterum vero, *vt hæc quid primum, & quid ſecundum ordinentur*. Nam ſic naturæ ſeriem proponit, quam valde finitio attendit. At cum ſic eſſentiam euoluat finitio, vt cum finito vertatur, etiam nihil debet omitti, ſed omnia in quid proferri. Et a primo ordientes, tunc perfecte ſuccedet, dum locos topicos adimus, nec quidem omnes, ſed illos, quibus genus confirmatur. Ac vt per accidentis locos deprehendimus aliquid alicui ineſſe, ſic per eos generis ineſſe in quid. Et hoc modo non ſolum genus, ſed ſimul differentia continetur. Huius rei ratio occurrit, quia quamuis a genere auulſa, in quale prædicatum ſubit, tamen illi annexa, magis proximum genus condit, & in quid prædicatur. Quod vero ad aliud pertinet, cum ex attributis, quibus finitio conſtat, quædam magis communia, quædam minus exiſtant, tunc ordinate habebit, *vbi id, quod primum eſt aſſumat, hoc autem erit ſi id fuerit acceptum, quod omnia conſequitur, at ipſum non omnia conſequuntur, &c.* quæ verba nihil aliud deſignant, niſi ſic gerendum eſſe, vt primo in finitione locemus, quod præ cæteris ſe extendit, tum illud, quo præter primum nil communius apparet, & ſic deinceps, donec tota finitio confletur. Nam cum potentia in eodem præcedat actum, magis vero effuſum in ordine ad differentias, quæ contrahunt, vicem potentiæ geſtet, plane contingit, vt ſint latius patentia præferenda. Niſi vero ſic pergamus inter partes finitionis diſponendas, haud proprias ſedes tenebunt, nec naturæ ordinem referent, quod abſurdum cenſetur. Neque decet arduum credere, quod nam tale ſit notare, ſed quod omnibus poſitis ſtatim ponitur, minus contra, omnium primum, & latiſſimum vocamus; quod etiam poteſt intelligi de alijs, quæ quamuis ſimpliciter ſuperius tenent, quo pacto nequeunt prima dici, tamen cum aliqua infra ſe ſeruent, nimirum talia, vt non poſſint ſine ipſis eſſe, ideo in ordine ad illa, prima appellantur. Nam de tertia conditione, quæ erat, vt omnia in quid vſurpemus, *ſit ex hoc manifeſtum, quod primum ſecundum diuiſionem accipimus*, id eſt ſi primum genus ſecandum ſumentes, id primis differentijs partimur, & tunc ſuccedet, dum, *omne vel hoc, vel illud exiſtit*, qua via nihil diuiſi reſtabit, ad quod diuidentia non penetrent, ſed totum genus explebunt. Cum autem fuerit no-

notum quæ ex differentijs conuenit finito, tunc ipsum differentiæ iunctum, & magis proximum genus factum, rursus per alias secamus, itidem tali generi immediatas, quod vsque eo agetur, donec ad vltimam venimus differentiam, quæ nequit per alias diuidi. Quanquam est attendendum, nobis non accipi, quasi differentia haud per se subeat diuisionem, sed in eum sensum, vt in ordine ad finitum, nihil amplius curantes, siue simpliciter indiuidua, siue sit diuidua. Libet quoque aliam viam præbere, ex qua pateat num omnia in quid teneantur; nam, *si postrema differentia*, tradita fit notum, *hoc specie a toto non differre*, id est finitum, idem specie esse cum prædicatorum serie, tunc nihil erit omissum, sed tantum illa assumpta, quæ in quid debentur. Potest nobis fulciri, quia si quid abundaret, prorsus continget, vt ea finitio includat, quæ secundum essentiam non adsunt, at ex antea dictis ponimus, nihil in finiendo sumptum esse, quod haud in quid conueniat. Quod vero nec quidquam desit, satis refulget, *quia aut genus, aut differentia esset*; non primum, quando non solum primum genus, sed etiam, *& hoc, quod cum differentiis capitur*, tenemus, nempe omnia alia genera præter primum, tanquam illa, quæ differentia adiecta surgunt; nec pariter secundum, quia finitum haud congruet cum prędicatorum serie, sed specie distabunt, at adhuc accepimus specie, *non differre*. Atque hinc deprehenditur quæ sit vltima differentia dicenda, nimirum ea, quæ sic prædicatorum gyrum claudit, vt idem specie cum finito, & simul æquale præstet. Præterea deprehenditur Diuisionem, probe in Methodos ascribi; ac licet diuerso modo quam Ostensio, & Resolutio pandat, licet vtrisque egeat vt suum munus attingat, licet semper illis ad finem tenendum seruiat, tamen dedecet inferre nullo pacto pandere, sed potius vt distincta natura ab Ostensione, & Compositione, sic distincto explanandi modo pollebit.

Vltima differentia quæ.

Diuisio inter Methodos remanet.

QVAERERE autem oportet inspiciendo similia, & indifferentia, primum quid omnia idem habent, postea rursus in aliis, quæ in eodem quidem sunt genere cũ illis, sunt autem inter se eadem specie, ab illis autem diuersa: 1 *quando autem in his acceptum sit aliquid omnino idem, & in aliis similiter; in iis, quæ accepta sunt considerare rursus an idem, donec ad vnam venerit rationem, hæc enim erit rei definitio; si vero non in*

Cont. 80.

in vnam venerit, sed in duas, vel plures, manifestum est non posse vnum esse id, quod quærimus, sed plura. Vt dico si quæramus quid
Cont.81. *sit Magnanimitas, considerandum est in aliquibus magnanimis, quos nouimus quid habent vnum omnes quatenus tales, vt si Alcibiades magnanimus, vel Achilles, & Aiax quid vnum omnes? non tollerare iniuria affecti, hic enim bellum gessit, hic autem iratus est, hic vero se ipsum interemit. Rursus in aliis, vt Lysandro; aut Socrate, si vtique indifferentes sunt & in secunda, & in aduersa fortuna: hæc duo quoniam acceperim, considero quid idem habent impatibilitasque circa fortunam, & intolerantia iniuriarum; si vero*
Cont.82. *nihil, duæ vtique erunt species Magnanimitatis. Semper autem est omnis definitio vniuersalis; non enim alicui oculo dicit quod salubre est Medicus, sed aut omni, aut specie determinans. Facilius autem est definire singulare, quam vniuersale, quapropter oportet a singularibus ad vniuersalia transire, nam & æquiuocationes latent ma-*
Cont.83. *gis in vniuersalibus, quam in indifferentibus. Quemadmodum autem in Demonstrationibus oportet inesse ipsum raciocinatum esse, ita & in definitionibus perspicuitas, hoc autem erit si per ea, quæ singulariter dicuntur, sit id, quod in vnoquoque genere est, definire seorsum, vt simile non omne, sed quod in coloribus, & figuris, & acutum, quod in voce, & ita ad commune progredi cauendo ne ambiguitas*
Cont.84. *incidat. Si vero disputare non oportet translationibus manifestum quod neque definire, nec translationibus, nec iis, quæ dicuntur translationibus, nam disputare necesse erit translationibus.*

PRAE-

PRAELECTIO XVI.

QVAEDAM PRO DEFINITIONE attendens.

QVID Philoſophus in præſens contendat, quoue id negocium collimet, valde Interpretes diſcordant. Nos ne nimis aliena vexemus, quod fuit aliàs reprehenſum, præſertim dum vix quidquam conducunt, id paucis proponetur, quod credimus textui quadrare. Ergo poſtquam non ſolum Compoſitionem, ſed vna Diuiſionem detexit, & quidem ea maxime ratione, vt finitio comprehendatur, cernens poſſe aliqua optari, eo ne quicquam intactum deſerat, quod ad hoc munus conferret, illa vult hic docere. Contextus in tres partes diuiditur ſecundum tria præcepta, quæ ſeruanda proponit. Quod pertinet ad primam partem, cum ea ſit æquiuoci conſtitutio, vt ſicut vnam ſubſtantiam non habet, ſic nec poſſit vna finitione claudi, certe niſi normam tradat quo pacto ſit clarum, an finiendum, æquiuocum, vel vniuocum exiſtat, minus tute ad finitionem venimus. Ac licet quis putaret extra propriam ſedem doceri, cum id videatur ante Reſolutionem, & Diuiſionem tractandum; tamen quia ab ijs huius cognitio pendet, haud decet plene proferre, nec diſtincte adipiſci, ni illa eſſent aperta. Neque vero ſolius Generis meminit, quaſi tantum in eo ambiguum ſubſit, ſed cum facilius ſit in ſubalterno genere, quam in vltima ſpecie latere, iure ſolum id proponit; cum præſertim omnia, breui ad indiuiduam ſpeciem aptentur. Quæ cum ita ſe habeant, vt hoc plane ſuccedat, nos ſic incedemus. Et quidem *ſimilia, & indifferentia inſpiciendo*, nempe vnius ſpeciei indiuidua, quæ ſub illo communi manent, de quo cupimus noſcere vtrum genus, vel æquiuocum exiſtat, *primum oportet ſcrutari quid omnia idem habent*, poſtea, *rurſus alia*, alterius ſpeciei indiuidua contemplantes, plane idem agemus, & ſic deinceps. Quo facto debent attributa, quibus ſingulæ communicant ſpeciei indiuidua, inuicem conferri, quod ſi eo pacto ſtabunt, vt nihil inter ſe diſtent, ſed *in vnam rationem coeant*, tunc licet aſſerere id, quod ſumitur finiendum haud

Connexio. *Inſtitutum.* *Diuiſio.* *Expoſitio.*

mul-

multiplex, sed vniuocum esse; *si vero non in vnam, sed in duas, vel plures conuenerint*, ita vt diuersa finiendi prædicata sint in diuersis Specierum indiuiduis, tali casu apparet, *minus vnum esse quod quærimus. sed plura*, ac proinde haud genus, sed ambigua vox dicetur. Ac vt exemplo clareat, sit nobis cognoscendum num est Magnanimitas æquiuocum, vel vniuocum putanda, tali pacto geremus. Nam primo seligentur, quos communis consensio in Magnanimos locauit, deinde rimabimur, *quid omnes vnum habent prout tales*, & sane si Achilles, Alcibiades, & Aiax respicitur, illo videntur Magnanimi crediti, quia nequibant iniurias ferre, ob quam rem primus, *ira percitus est*, alter vero, *bellum gessit*, at vltimus, *se ipsum deleuit*. Quod si ad alios conuertimur vt ad Lysandrum, & Socratem, Magnanimitatis nomen seruarunt, quia nil ducebant fortunæ casus, sed vtramque æquo animo tulerunt. Quare si hęc duo, scilicet, *circa fortunam impatibilitas*, *& intolerantia iniuriarum*, in quid vnum concurrunt, iure decet testari, Magnanimitate vniuocum condi; si vero qua talia haud in vnam rationem, sed in plures venerint; tunc debent ab vniuocis pelli, & inter ambigua reponi. Addimus autem, qua talia, quia satis non censetur, simpliciter in quodam communi coire, sed prorsus requiritur, vt quasi Magnanimitates participent. Et ex his viri artificium cernimus, qui volens notare, quæ de genere dixerat, etiam ad vltimam speciem spectare, tale exemplum dedit, quod non solum id panderet, sed itidem proferret, quo pacto in illa sit æquiuocum. Pręterea obseruamus dum exemplum proponit, minus dicere, si quęritur an debet Magnanimitas ambiguum, vel vniuocum credi, sed eius loco, *si quid est Magnanimitas*, nimirum vt eluceat quanta stet inter hęc duo cognatio, nec posse finiendo nosci nunquid in ęquiuocis, vel vniuocis maneat, nisi simul quidditas, & finitio noscantur. Neque sane quis contendat ex dictis deduci finitiones, maxime ad singularia spectare, tanquam ea, ex quibus illas sumimus vniuersalium; nam quamuis æe generum, & specierum ex indiuiduis pendent, tamen, *semper omnis finitio est vniuersalis*; huius rei indicium adest; quando cum Medicus, oculi sanitatem definit, haud talem finitionem præbet, quæ tantum singulo competit oculo, sed illam, quæ vel plane omnem oculum, vel saltem speciem ambit. Cur vero sit sic gerendum, vt semper a minus amplis ordiamur, ratio putatur, quia cum in magis fusis, simul magis ambiguum lateat, at in definiendo, hoc debeat caueri, dum

ri, dum

ri,dum finitio decerpitur, *oportet a singularibus ad vniuersalia tendere*, id est ab vltimis speciebus, & magis angustis ad intermedia, & ampliora. Sed posset quis opponere,quando primo Physicor. initio modum explanans, quem debemus pro notitia tenere, docet sic agendum esse, vt semper ab vniuersalibus ad singularia pergamus, cuius rei rationem affert,quia magis vniuersalia,etiam magis sunt nobis nota minus vniuersalibus; at in præsentia sic videtur contrarium monere, vt vix repugnantiam declinet. Missis pluribus, quæ possent adduci, & ad aliam curam pertinent, est aduertendum cum aliquid proponitur distincte noscendum, posse dupliciter capi, vno modo in ordine ad se ipsum, nempe qua varias apprehensiones subit; altero vero in ordine ad aliud; licet haud sit negandum primo pacto, quod illo Physicorum indicat, magis ampla prius offerri, ac nobis magis nota esse, ob quam rem ab ipsis gradatim pergentes, semper ad minus ampla venitur, donec rem plene tenemus,tamen postremo,quod hic significat, prorsus negamus; sed cum magis effusa, etiam plura, & magis diuersa claudant,quæ autem minoris ambitus pauciora,& minus diuersa, dedecet negare quæ latius pateant ægrius dignosci, ac pariter finiri. Et hæc ratio si parum attenditur, non solum in illis valet, quæ secundum ascensum, sed etiam in ijs, quæ secundum descensum quæruntur; at de his alias; modo satis sit indicasse. Atque hæc de prima textus parte sufficiant. Adhuc de altera videamus, quæ in eo consistit, vt perspicuum in finiendo ponatur: nam cum illo finitio dirigat,vt rei substantiam euoluat, certe nisi hoc adsit, nunquam suum finem attinget. Quanquam minus accipimus, quasi tantum essentiam significet, sed cum de vna ratione ducat ad aliam,quo pacto in Methodis locatur ideo credimus declarare. *Ac vt in Ostensionibus oportet ipsum syllogizari adesse, sic in finitionibus perspicuitas*; quo loco renidet eodem modo perspicuum ad finitionem, quo ratiocinium ad Ostensionem stare; quare vt Ostensionis quidditas poscit vt necessaria sit illatio, sic quidditas finitionis vt dilucidum præferat. Hoc autem continget, *si per ea, quæ singulariter dicuntur quod in quouis est genere sit seorsum finire*, id est si tali pacto fiat, vt ex singulis cuiusque speciei indiuiduis, quas commune finiendum continet,illas omnes seorsum finiamus. Et sane cum volumus, simile, finire, haud statim vniuerse agetur, sed gradatim per singulas species ascendentes, vt simile, *quod in coloribus, in figuris, &c.* hoc pariter de acuto succedit, nam tunc

Dubitatio

Solutio.

progressus vigebit, dũ per se acuti species finimus, vt, *quod in voce*, in magnitudine, &c. siquidem ex horum collatione licebit, *ad commune tendere*, & eius naturam rimari, scilicet quo modo ad finitionem habet. Et hoc pacto refulget haud nouam viam signare, qua probe finiamus, sed ante expressam Resolutionem. Atque hęc de altera textus parte satis sit attigisse. Restat tertia pars textus, in qua vltimum seruandum præcipit, quod ex adhuc patefactis pendet; est vero vt in finiendo haud Tropi, & Metaphoræ sumantur, sed omnia vitemus, quæ non propria, sed translata censentur. Idem Sexto Topic. Cap. 2. monet. Potest nobis probari, quando si hæ dictiones finitioni quadrant, ergo magis quadrabunt disputationi; quod ex eo apparet, quia is, qui disputat haud cognitionem, sed victoriam affectat, at definiens, notitiam respicit. Quare cum, *non liceat differere translationibus, illud emergit vt nec liceat finire*; & quidem non modo tralationibus, *sed pariter, nec iis, quæ tralationibus dicuntur*, id est nullis, quæ metaphoram

Dubitatio ostentant. Sed posset quis opponere, quando primo Physicor. 81. & quarto eiusdem 84. atque adeo pluribus locis, illa Philosophus ponit, quæ translatum redolent; & tertio de Anima textu *6*. non solum id efficit, sed etiam dilaudat, qui hoc præstiterunt.

Solutio. Respondemus haud sic intelligendum, velut simpliciter damnet,

Quãdo possint Metaphoræ adhiberi. sed potius succedere, vt interdum locum seruent; & quidem vno modo si adeo res ardua, & obscura existit, vt aliter nequeat, *nisi* per similitudinem, & exemplum notere; altero vero ob propriæ vocis inopiam; primum Auerroes tradit illo 3. de Anima, at postremum Alexander primo suo de Anima, Capite *19*. & etiam Themistius libro de Memoria. Quanquam minus sumimus quasi præter has duas causas, nunquam sit translatis vtendum, sed cum rem definire, vel differere volumus. Quod si interdum cadat, vt quædam ad demulcendum, & detinendum ferantur, nimirum in reliquo progressu, modo talia sint verba, vt propositum illustrent, haud tenebras offundant, tantum abest vt liceat damnare, vt sit laudibus tollendum. Et ex his deprehenditur quam miro artificio a textu *69*. vsque ad præsentem se gessit; nam cum nequeant Resolutio, ac Diuisio deseri, sed sit facienda mentio, tanquam ijs, quæ in Methodis ponuntur, tali modo disponit, vt dum explicat quo pacto per eas stet finitio, sic omnia expendat, quæ ad illorum naturam spectant, vt eodem munere tres Methodos pandat.

VT

VT autem habeamus problemata, eligere oportet & incisiones, & diuisiones, sic autem eligere supponendo genus, quod commune omnium est, vt si animalia essent, quæ considerarentur, qualia omni animali insint; acceptis autem his, rursus reliquorum primum, qualia omne sequantur, vt si hoc sit auis, qualia sequantur omnem auem, & ita semper id, quod proximum est; manifestum enim est quod iam habebimus quod dicamus cur insint consequentia illis, quæ sunt sub communi, vt cur homini, aut equo insint. Sit animal A. sit autem B. illa, quæ omne animal consequuntur, & sint C. D. E. quædam animalia: manifestum itaque est propter quid B. inest ipsi D. etenim per A. similiter autem & in aliis. Et semper in aliis eadem est ratio; nunc igitur secundum illa, quæ tradita sunt, communia nomina dicimus. Oportet autem non solum in his considerare, verum etiam si quid aliud inspectum fuerit commune inexistens, illud accipiendo, postea quæ hoc sequatur, & qualia hoc sequantur, vt cornibus prædita sequitur habere omasum, & non esse vtrinque dentata: rursus habere cornua, quæ nam sequatur; manifestum enim est propter quid illis inerit, quod dictum est, nam propterea quod cornua habent, inerit. Præterea vero alius modus est secundum proportionale eligere, non est enim idem vnum accipere, quod oportet vocare sæpeum, & spinam, & os, sunt autem quæ sequantur etiam hæc, tanquam vna quadam natura tali existente. Eadem autem problemata sunt, alia quidem eo quod idem medium habent, vt quia omnia sunt circumobsistentia, horum autem nonnulla genere eadem sunt, quæcunque habent differentias eo quod aliorum, aut aliter sint, vt propter quid resonat? aut propter quid apparet? aut propter quid iris? omnia enim hæc idem problema sunt genere, omnia enim sunt refractio, sed specie diuersa. Alia vero eo quod medium sub altero medio est differunt problemata, vt propter quid Nilus decrescente mense magis fluit? quoniam decrescens est hibernior, & propter quid decrescens hibernior est? quoniam Luna deficit, hæc enim ita se habent inuicem.

Cont.85. Cont.86. Cont.87. Cont.88. Cont.89.

vt nullus sit eo commodior, qui horum declarationi succedit. Hisce sic prænotis, *vt Problemata habeamus*, vera ratio putatur, quæ per Incisiones, & Diuisiones pergit; nam si primum genus sumentes, ipsum immediatis partimur differentijs, donec ad conclusionis venitur subiectum, statim causa se promit cur affectio subiecto hæret. Sed vt id clare pateat, sit dignoscendum propter quid Accipiter volet, primo seligemus quod primum genus obtinet, & fingatur esse, animal, postea rimabimur, *qualia omni animali insint*, quod si nihil occurrit, quod vere queat causa dici, tunc illud secabimus per primas differentias quo modo alia genera prodeunt, inter quæ Auis consistit. Ergo si inspicitur, *qualia omnem auem sequantur*, distincte splendescet quæ debet causa accipi. Hoc pariter est cernere si sit monstrandum, cur homo, vel equus peruigilent; nam dum ea notantur, quæ omni animali competunt, statim ratio enitet, per quam propter quid satis fiat. Sic autem disponemus. Et quidem animal sit medius terminus, & causa A. *quæ vero omne animal sequuntur*, vt vigilare, maius extremum B. at, *quædam animalia*, puta vel equus, vel homo, vel leo, minus extremum vel C. vel D. vel E. tum sic, A. est B. sed C. est A. igitur C. est B. & hoc modo, etiam in reliquis agendum. Neque sane quis statuat, quæ adhuc fuerunt indicata, solum ad Problemata spectare, quorum subiecta nominatum genus habent, sed itidem ad illa, quæ minus proprium nomen, sed prorsus illo careant. Ac quamuis dixerimus de primi ordinis Problemate, quod exempla testantur, quæ nominatum genus adhibent, tamen simul ad ea penetrat, quorum est proprio nomine desertum, & ideo pluribus signantur. In hunc modum apparet si quis velit cognoscere propter quid Ceruus plures ventres seruet, ac vtrinque non sit dentatus. Nam tunc probe succedet, dum quæ omni cornuto competunt notemus. Quare illa verba, *postea quæ hoc sequatur, & qualia hoc sequantur*, prorsus nihil innuunt, nisi prius monstratam rationem; & quidem postremo, illa recta scrutatio traditur, quam in communis attributis præstamus; vbi vero ait, *quæ hoc sequatur*, ipse descensus, & ad species, ac contenta determinatio. An vero dictis exemplis ea, quæ vt causæ sumuntur, vere sint causæ putandæ, uel potius subiecta, quibus primo affectiones adsunt, minus est præsentis loci, nec ad nostrum negocium confert; cum præsertim Philosophus haud de exemplis laboret, dum propositum illustrent. Idem pariter contingit cum genus non uniuoce, sed ab uno, & ad

unum

unum se habet; ac licet quæ adhuc fuerunt dicta, id maxime atten dant, quod unam naturam gerit, tamen etiam ad ea spectat, quibus non simpliciter una, sed tantum proportione conuenit. Potest nobis deprehendi si aliquis perquirat, quam ob causam quędam animalia, vt Canis, Sylurus, & Sepia consistant; quo casu haud decet, *vnum idem accipere, quod oportet sepaum, & spinam, & os vocare*, id est vnam naturam signans, quæ hæc omnia comprehendat, sed tantum secundum proportionem. Ideo vero additur, *sunt autem quæ hæc itidem sequantur tanquam vna quadam natura existente*, vt insinuet, nihil impedire quin indagatio præstetur, quamuis sit analogum, sed vt vniuocis generibus sua attributa debentur, quibus noscendis versamur, sic pariter ijs ab vno, & ad vnum sua, quæ recte possunt deprehendi. Et hæc via simul erit pro affectionibus strata, & per illam pergendum, quæ medium extra subiectum tenent; de quibus eo nihil meminit, vel quia raro contingit vt causa sit loco dissita ab affectione, vel quia potest breui ex dictis nosci. Et hoc pacto fit notum, nil ad notitiæ methodum differre siue genus nominatum, siue innominatum, seu analogum ponatur, sed per eandem rationem acquiri. Atque hæc de prima textus parte sufficiant. Adhuc de altera videamus, in qua explanat quo modo plura Problemata queant vnum vocari. Nam cum ante via patuerit, quæ ad medium, & causam perducit, haud decet ab re videri, si hanc nacti occasionem, etiam quædam tradantur, quæ ad medium spectabunt. Ergo est obseruandum tantam medij vim esse, vt quamuis sint per se aliqua diuersa, tamen si respectu medij, & causæ vsurpantur, rite possunt idem credi. Tali modo occurrit dum per varia Problemata vagamur, quæ si in ordine ad maius, ac minus extremum sumimus, nequeunt eadem videri; at si ex parte causæ, a qua dependent, & monstrantur, haud licet nos negare, sed illam mensuram, quam & medium admittunt, & si tantum genere idem, etiam ipsa eadem solum genere; si vero specie, eadem specie putantur. Et ne longius vagemur, potest facile deprehendi cum aliquis perquirit, quam ob causam puteales aquæ sint hyeme, quam æstate magis calidæ; & cur homines magis hyeme, quam æstate cibum coquant. Nam dum hæc Proposita ex terminis, quibus constant metimur, & valde ij inter se distant, & sunt diuersa censenda; quod si ex medio, per quod noscuntur, vt, *idem medium habent*, nimirum antiperistasin, sic queunt idem vocari. Neque sane

ne omnia sunt dispoſita ſicut adhuc allata,quibuseadem conuenit ſpecie cauſa,ob quam rem etiam quæſita ſic creduntur,ſed aliqua ſe dedunt,*quæ genere ſunt eadem,quæcunque differentias habent*, id eſt quæ tali pacto conſiſtunt, vt ſolum eadem genere ſit cauſa, ac proinde ſimul Problemata concordent genere,at ſpecie,& differentiis diſtent. Decet id videre cum exquiritur propter quid fiat Echo, nec non cur in Speculo noſtra appareat imago, & etiam propter quid Iris fiat; nam quamuis in ordine ad medium, a quo dependent,debent idem genere dici, *etenim omnia ſunt refractio*, tamen quia haud eiuſdem rei, nec eodem modo refractio, *ſed vel aliorum,vel aliter*; nam primum eſt aeris repercuſſio, &c. alterum imaginis ad Speculum;at vltimum Solis radiorum, ideo *ſpecie ſunt diuerſa*. Adeſt pariter alia ratio, qua diſtincta Propoſita, idem queunt ex medio dici;ſic aſſerimus eſſe quæ quandam ſubordinationem præferunt,& in vnam cauſam reſoluuntur, *vt propter quid Nilus decreſcente menſe magis fluit?* tunc reſpondetur, *quia decreſcens eſt hibernior.* Quod ſi iterum addunt, *propter quid decreſcens eſt hibernior?* mox ad aliam pergimus,aientes ſuccedere,*quia Luna lumine deſeritur*. Et hoc pacto varia Quæſita,quæ per ſe diuerſa cenſentur,nec reſpectu maioris,& minoris extremi valent in unum coire, dum ex uno medio clareant, etiam probe unum dicimus.

De cauſa vero, & eo, cuius eſt cauſa, dubitare aliquis poſſet, nunquid quando ineſt effectus, etiam cauſa inſit, vt ſi fluunt folia, vel deficit, etiam cauſa deficiendi, vel fluendi folia erit, vt ſi hæc ſit lata folia habere, deficiendi vero Terram eſſe in medio, ſi enim non eſt, aliqua erit cauſa ipſorum; quod ſi cauſa, & effectus ſimul ſunt, vt ſi eſt in medio Terra, deficit, vel ſi eſt latifolium, folia fluunt. Si vero ſic, ſimul vtique eſſent, & monſtrarentur per ſe inuicem; ſit enim A. folia fluere, latifolium vero B. vitis autem C. ſi itaque ipſi B. ineſt A. omni enim lata folia habenti fluunt folia, ipſi autem C. ineſt B. omnis enim vitis habet lata folia, ipſi C. ineſt A. & omni viti folia fluunt, cauſa autem eſt B. medium. Atqui & quod lata folia habet vitis eſt per foliorum fluxum demonſtrare, ſit enim D. latifolium, E. vero folia fluere, vitis autem F. ipſi itaque F. ineſt E. omni nanque viti folia fluunt, ipſi autem E. ineſt D. omne enim, cuius folia fluunt, lata folia habet, omnis igitur vitis habet lata folia, cauſa autem eſt ipſe foliorum fluxus. Si ve-

Cont.90. Cont.91. Cont.92.

vero non contingit causas esse inuicem, causa nanque prior est eo, cuius est causa, & deficiendi quidem causa est esse Terram in medio, existendi autem Terram in medio non est causa ipsum deficere; si igitur ea, quæ per causam, Demonstratio est ipsius propter quid, quæ vero non per causam est ipsius quod, quod quidem in medio est nouit, propter quid autem non. Quod autem non ipsum deficere sit causa vt sit in medio, sed hoc deficiendi, manifestum est, etenim in ratione defectus inest id, quod est esse in medio; quare planum quod per hoc, illud cognoscitur, sed non hoc per illud.

Cont. 93. *An contingit vnius plures esse causas? etenim si est idem de pluribus primo prædicari, sit A. ipsi B. primo inexistens, & ipsi C. alii primo, & hæc ipsis D. E. inerit igitur A. ipsis D. E. causa vero ipsi quidem D. ipsum B. ipsi autem E. ipsum C. quare causa quidem existente, necesse est rem esse, re autem existente, non necesse est omne, quod sit causa, esse, sed causam quidem, non tamen omnem.*

Cont. 94. *An si Problema semper vniuersale est, etiam causa totum quoddam est, & id, cuius est causa vniuersale, vt foliorum fluxus toti alicui determinato, & si species huius sint, & his vniuersaliter, & plantis, aut talibus plantis: quare & medium æquale oportet esse in his, & id, cuius est causa, & conuerti; vt propter quid de arboribus folia fluunt? si sane propter congelationem humidi, tum si folia cadunt de arbore, oportet inesse congelationem, tum si inest congelatio, non cuilibet, sed arbori oportet folia cadere.*

Cont. 95. *Vtrum autem contingit non eandem causam esse eiusdem omnibus, sed aliam, an non? An si per se quidem demonstratum est, & non per signum, vel per accidens, non potest fieri, ratio nanque extremi medium est, si vero non ita, contingit.*

PRAE-

PRAELECTIO XVIII.

NONNVLLA DISTINCTIVS considerans, & occurrentes nodos persoluens.

PERGIT adhuc Philosophus alia profer re, quæ sic Ostensionis notitiam gignunt, vt simul ad eius fabricam concurrant. Contextus in tres partes diuiditur. Et qui dem in primis duabus binas rationes expendit. In tertia distinctius respondet ad secundam. Quod attinet ad primam par tem, antea declarans qua via Ostensionis medium adest, sic dicebat gerendum esse, vt semper causam sup poneret effectui annexam; nam si immediatis secantes differentijs, inter rerum prædicata cernimus quæ debeat causa credi, satis renidet de causa eloqui, vt semper effectui iungatur. At cum possit dubium videri, & explicationem optare, iure hic aggreditur, vna probe euertens, quæ valent ambiguum reddere. Ac licet id negocium sit pluribus locis conclusum, sed maxime a textu 56. tamen cum non tam clarum putetur, vt omni difficultate careat, ibi vero non omnia sint expressa, eo erant detegenda, quę quoquo pacto infirmarent. Quare præsens labor sic illud attendet, vt dispositę pateat causæ ratio cum effectu, vt simul ea tollantur, quæ id tentant conuellere. Atque hinc refulget non solum non eodem modo, quo alibi tractari, sed etiam huic loco competere. Ac vt tandem ordiamur, *posset quis dubitare nunquid quando inest effectus, pariter causa insit*, vel eam effectus non postulat, sed valet sine illa esse. Et vt res distincte fiat, sit noscendum an dum folia ex arboribus fluunt, vel Luna lumine deseritur, itidem, *sit latafolia habere, ac Terram in medio esse*, quæ horum effectuum causæ ponuntur; vel certe nil ex his adsit, aut saltem nihil adigat cur vna cum effectis consistant. Et quidem si vltimum dicamus, iam illud emerget, vt adhuc traditæ causæ nequeant causæ vocari, sed cum effectus semper suam poscat, tanquam eam, a qua proprium esse accipit, dum foliorum fluxus, & Lunæ eclipsis valent absque prædictis esse, nunquam sunt causæ censendæ, sed,

Institutum.

Diuisio.

Expositio.

aliqua alia ipſorum erit: at hoc videtur damnandum, nam vix poteſt comprehendi vnius plures cauſas dari, & ab illis effectus pendere. *Quod ſi cauſa, & effectus ſunt ſimul*, atque adeo vertuntur, tunc illud emerget, vt in gyrum Oſtenſio fiat, quo pacto idem reſpectu eiuſdem cauſa, & effectus exiſtet; ſed id ſic alias damnauimus, vt nil reſtet exquirendum. Decet id obſeruare ſi hoc modo procedatur. Et quidem, *folia fluere*, ſit maius extremum A. *latifolium vero*, medius terminus, & cauſa B. *at vitis*, minus extremum C. tum ſic, B. eſt A. ſed C. eſt B. igitur C. eſt A. Maiorem propoſitionem deſignat, *itaque ſi in B. ineſt A. nanque omne latum folium habens folio fluit*. Minorem cum ait, *in C. autem B. ineſt, etenim omnis vitis lata folia habet*. Concluſionem ibi, *in C. ineſt A. & omnis vitis folio fluit*. Rurſus poteſt ſic diſponi. Et quidem, *latifolium*, ſit maius extremum D. *folio vero fluere*, medius terminus, ac cauſa E. *at vitis*, minus extremum F. poſtea ſic agetur, E. eſt D. ſed F. eſt E. igitur F. eſt D. Maior propoſitio renidet, *in E. autem D. ineſt, nanque omne folio fluens latum folium habet*. Minor illis verbis, *in F. itaque E. ineſt, nam omnis vitis folio fluit*. Concluſio dum inquit, *igitur omnis vitis latum folium habet*. Et hac via quod in primo progreſſu medij, & cauſæ vim tenet, in vltimo maius extremum, & effectus euadit, atque adeo idem in ordine ad idem, cauſa, & effectus exiſtit. Reſpondet Philoſophus ad difficultatem, & a poſtrema parte ordiens, quæ perennem cauſę, & effectus nexum petit, nec tam excellens examen optat, illam in præſens euertit. Nam cum minus contingat cauſam, & effectum, *inuicem cauſas eſſe*, quod ex eo fit notum, quia cauſa ſaltem prior natura, quam effectus putatur, vt vero gyrum Oſtenſio agat debeant maius extremum, ac medium ſic habere, ſane eſt affirmandum haud poſſe in hunc modum præſtari, ſed dum ex latifolio fluxum foliorum monſtramus, rite quidem per cauſam, & propter quid, at contra dum latifolium ex foliorum fluxu, tunc ſolum per effectum, & quod cognoſcimus. Sic etiam ſi ex Terræ interiectu Lunaris eclipſis oſtenditur, tali caſu per cauſam, & propter quid; at ſi ex eclipſi Terram interiectam, tantum per effectum, & quod tenemus. Decet nos comprobare, quia cum illa ſit cauſa, quæ rei finitionem intrat, ipſum vero latifolium, fluxus foliorum intret finitionem, ac Terræ interiectio Lunæ eclipſis, minus contra, plane latum folium, & Terrę interiectio horum cauſæ dicentur; ac proinde, *hoc per illud*, diſtincte, *ſed*

non

non hoc per illud cognoscitur. Neque sane Philosopho opponant *Dubitatio*
quasi alias,& primo libro dixerit posse duo inuicem causas esse, sic ex post cænam ambulatione sanitas, & ex sanitate, post cænam ambulatio infertur,qui progressus ambo causam adhibent, ac propter quid declarant. Et quamuis haud sit negandum tra *Solutio.*
ditas Ostensiones,recte per causam monstrare,tamen cum in diuersis generibus fiat,& ex sanitate vt ex fine ambulatio,at ex ambulatione tanquam efficienti sanitas monstretur, nihil nostrum negocium turbant,qui vniformem gyrum damnamus, nimirum ab eodem prorsus ad idem causæ genus,quo pacto nunquam valent quædam pendere,nec quidquam impediunt quin causa, & effectus simul consistent, quæ tantum difformem orbem conflabunt. Quod si Philosophus inquit causam, & effectum sic habere,vt nequeant inter se causas esse,ideo efficit, quia vt dubitatio causæ,& effectus petebat vniuerse conuersionem,sic erat vniuerse occurrendum; at ex hoc dedecet inferre, prorsus nunquam cadere, vt quædam inuicem causæ, & effectus rationem gerant. Atque hæc de prima textus parte satis sit attigisse. Sequitur altera pars textus, in qua primam dubij partem expendit, quæ causæ cum effectu nexum firmat;quia vero maxime consistit vt appareat numne idem effectus plures queat causas habere, iure id vestigandum proponit. Vt autem probe succedat, illud ante omnia sit fixum,posse,*idem primo de pluribus dici*: tum sic incedemus,& quidem A.sit effectus,duæ vero causæ B.& C. at D.& E.duo diuersa subiecta, quibus ipsum A. inhæret; quod non intelligimus quasi sit quouis modo sumendum, sed in eum sensum,vt in D. per B.& in E.per C.vti primis subiectis per eiusdem generis causas; quare erunt disposita vt ad positionem causæ effectus quidem ponatur,haud contra,ad effectus positionem ponatur causa. Ac quamuis dedecet negare pro effectus constitutione causam requiri, tamen necessarium non apparet, vt hæc determinate sumatur,sed satis putabitur si quædam indeterminate,a qua effectus dependet. Cernens Philosophus difficultatem haud indistincte sumendam,sed rem perfecte casuram,dum aliquem modum atteximus, ideo primo ratione primi subiecti affectiones,quo pacto vniuersale Problema condunt,tum respectu secundarij attendit,quod per accidens componit. Et sane quod ad primum spectat duplex solutio traditur; prima licet totam rem determinet, tamen cum minus perfecte præstet, eo

aliam deducit,quæ plene negocium expleat. Ergo, *si Problema semper est vniuersale,etiam causa totum quoddam est, & id cuius est causa vniuersale.* Quæ verba prorsus idem innuunt, ac alias conclusum fuisse, dum conclusio vniuersalis ponitur, si plane volumus tenere,sic causam,& effectum accipi, vt vniuersale prædicatum dedant,& vtramque positionem verti. In hunc modum fit notum cum aliquis perquirit, *propter quid folia fluunt ex arboribus?*nam si propter congelatum humidum, *tunc si folia de arbore cadunt,oportet gelationem inesse & si gelatio inest,non cuilibet sed arbori,oportet folia cadere.* Quæ cum ita se habeant, minus valet firmum esse,vt vnius effectus plures sint causæ,sed cum affectio primo subiecto datur vnam veram causam obtinet. At videns Philosophus,etiam quædam optari,nec rem ex voto cadere, ni distinctius agatur,eo aliud responsum affert, quod prorsus nodum dissoluit. Et hæc ratio censetur cur denuo antecedens proponat,nempe vt refulgeat se velle sic pergere,vt tanquam alio diluat sumpto principio. Quare est obseruandum affectionem respectu primi subiecti posse tripliciter nosci, vno modo secundum se,vt si eam per primam causam tenemus; altero vero secundum aliquod signum,& contingit dum ex effectu ad causam venimus;at postremo per accidens,& fit cum externum,& accidentale capimus,vel causam haud simpliciter effectui æquatam, sed illam,a qua quodam modo pendet;si primo pacto monstratur,minus valet contingere, vt ex pluribus causis procedat. Potest nobis probari,quia cum maioris extremi finitio locetur in medio,hæc autem nequeat nisi vna, saltem in genere esse, haud decet præter vnam causam tradere. Quod si reliquis rationibus vti plura id genus cernuntur, sic non vnam causam, sed plures agnoscet. Et quamuis dum per signum, ac posterius gerimus, haud vere debet ex causa dici,tanquam ea, cuius simplici mentione,illa rei notetur,sed tantum cum appendice,ex causa cognitionis;ob quam rem posset quis credere,inepte Philosophum distinxisse,cum præsens difficultas,maxime rei causam attendat,tamen volens proferre quo præsertim dubium penetret, etiam ad summum deductum, iure solutionem edit, quæ prorsus id explanat.

Affectio in ordine ad primum subiectum tribus modis cognoscitur.

EST

EST autem & id, cuius est causa, & id, cui, considerare secundum accidens, non tamen videntur Problemata extare; sin minus, similiter se habebit medium, si æquiuoca quidem, æquiuocum medium, si vero vt in genere, similiter se habebit. Vt propter quid & commutatim proportionale? alia enim causa in lineis, & numeris, & eadem vtique, quatenus quidem lineæ, alia; quatenus autem habens incrementum tale, eadem; ita in omnibus. Eius autem, quod est similem esse colorem colori, & figuram figuræ, alia alii, æquiuocum enim est ipsum simile in his, hic enim est fortasse proportionalia habere latera, & æquales angulos, in coloribus vero sensum vnum esse, vel aliud eiusmodi. Quæ autem secundum proportionem sunt eadem, medium quoque habebunt secundum proportionem. Se habet autem sic id, quod est, se mutuo consequi causam, & id, cuius est causa, & id, cui est causa; singulum quidem accipiendo, latius patet id, cuius est causa, vt quatuor rectis æquales externos habere, latius patet, quam triangulum, vel quadrangulum omnibus vero est æquale; quæcunque enim quatuor rectis æquales externos habent, & medium similiter; est autem medium ratio primi extremi, quocirca omnes Scientiæ per definitionem fiunt; vt casus foliorum simul sequitur vitem, & excedit, & ficum, & excedit, at non omnes, sed æquale est: si itaque accipias primum medium, ratio est fluendi folia, erit enim primum quidem in altero medium, quoniam talia sunt omnia, deinde huius medium, quia succus congelatur, aut aliquid aliud tale. Quid autem est foliorum casus? congelari succum, qui est in contactu seminis. In figuris autem ita assignabit, quærentibus consequutionem causæ, & eius, cuius est causa. Sit A. ipsi B. inexistens omni, ipsum vero B. vnicuique eorum, quæ sunt D. in plus autem, B. quidem vniuersale erit iis, quæ sunt D. hoc enim dico vniuersale, quod non reciprocatur, primum autem vniuersale, cum quo singulum quidem non reciprocatur, omnia vero reciprocantur, & non excedunt: ipsis itaque D. causa est ipsius A. ipsum B. oportet igitur ipsum A. in plus, quam B. extendi, sin minus, cur magis erit causa hoc, quam illud? si ergo omnibus E. inest ipsum A. erunt aliquid vnum illa omnia aliud a B. nisi enim ita sit, quo modo erit dicere quod cui inest E. ipsum A. omni inest, cui autem A. non omni ipsum E? cur enim non erit aliqua causa, quemadmodum A. inest omnibus D? sed num & ipsa E. erunt aliquid vnum? Considerare oportet hoc, & sit C. contingit sane eiusdem Cont.96. Cont.97. Cont.98. Cont.99.

plures

plures causas esse, at non eisdem specie, vt quod longæua sint, quadrupeda quidem, eo quod bilem non habent, volatilia vero, eo quod sicca sunt, vel aliquid aliud. Si vero ad indiuiduum non statim veniunt, & non solum vnum est medium, sed & plura & causæ plures; num vero ex mediis causa est illud, quod ad vniuersale primum, an quod ad singularia ipsis singularibus? manifestum vtique est quod quæ sunt proxima vnicuique, cui est causa; vt enim primum sub vniuersali sit, hæc est causa, vt ipsi D. ipsum C. est causa vt A. insit, ipsi igitur D. ipsum C. est causa vt insit A. ipsi autem C. ipsum B.
Cont.100. *huic autem ipsum. De Syllogismo igitur, ac Demonstratione, & quid vtrunque sit, & quo modo fiat manifestum est; simul autem & de Scientia demonstratiua, idem enim est.*

PRAELECTIO XIX.

DE PER ACCIDENS PROBLEMATE, & qua Ostensionis termini vertantur, quaue non, significans.

Connexio. QVID nam sit putandum de causæ cum effectu iunctione, dum affectio primo subiecto ascribitur, & vniuersale Problema condunt, quoue pacto vnam, & plures causas agnoscat, satis ante expressimus. Adhuc
Institutum. sequitur de, *cuius causa, & id cui per accidens, contemplari*, atque de Proposito per accidens, scilicet quo modo etiam ipsum ad causas habet, nunquid illa ratione, vt cum adhuc detecto congruat, vel certe vt distinctam naturam, sic distinctam rationem gerit. Nam cum possit affectio dupliciter esse in subiecto, vno modo velut eo, cui primo debetur, alio vero tanquam illo cui minus primo, sed ex consecutione, ac per alterum, etiam duplex emergit Problematum genus; primum eorum existit, quæ sic terminos nexos seruant, vt maius extremum primo de minori dicatur, & rite per se vocant; at alterum illorum, quæ haud sic plene connexos, sed ita, vt aliquo pacto iungantur, & nominant per accidens; quare nisi post primi notitiam nos ad alterum traducat, iure posset mancus credi. Neque sane censendum est procedere, vt omnia per accidens quæsita notet, sed tantum illa, quibus locum in Scien-

Scientiis damus. Quod si de æquiuocis meminit Problematis, ideo præstat, vt sit notum quantas vires teneant, quæ de magis perfectis traduntur, si vna iis competunt, quæ vix quandam iunctionem præferunt. Contextus in quatuor partes diuiditur. Et quidem in prima de Proposito per accidens tractat. In altera declarat quo modo omnes vertantur Ostensionis termini,& quo modo non vertantur. In tertia denuo assumit de Proposito per accidens. In quarta omnia epilogat, quæ primo Priorum proposuit. Quod attinet ad primam partem quamuis per accidens Problemata, de quibus in præsentia, respectu illorum per se sumpta, *haud uidentur Problemata esse*, tamen ex propria conditione, ac simpliciter,non solum in Problematis constant,sed etiam medium sic optant, vt ad quæsiti mensuram disponant; ac proinde si Problemata æquiuoca, pariter, *æquiuocum medium*; *si uero ut in genere, similiter*, in genere; quod si ex proportione, itidem ex proportione vigebit. Ac vt ab in Genere ordiamur, quod tunc maxime cadit,dum affectio, minus primo subiecto, sed eius speciebus datur; licet facile cernere si commutatam proportionem sumentes, ipsam ad varias species iungimus; nam cum primo ad vnum innominatum genus, tum ad alia spectet, vt lineas, numeros, &c. qua sub tali communi manent, dum, *habens tale augmentum*, nempe æqualiter multiplicari, quod causa creditur commutatæ proportionis, haud ex propria conditione, sed certis speciebus pendetur, atque eis addictum, vt sunt distinctæ species, sic potest distincta causa dici quare si ad numeros restrictum vna, si vero ad lineas, alia putabitur. At si non in diuersis subiectis, sed ab illis auulsum capimus, quod tunc succedit, cum per se contemplamur, vna causa apparebit,quę per vnicum genus, cui primo conueniat, ad cætera se diffundit. Vel si eandem affectionem sumendo, ipsam ad varias species nectimus, tunc ex specierum diuersitate, simul erit diuersum medium; ac velut diuersa subiecta, diuersa genera, & substantias retinent, sic poterunt diuersæ causæ tradi; quod si eam proprio subiecto iungimus, tantum, *habens tale augmentum*, se dabit, quod vere sit causa dicenda. Idem etiam refulget de Aequiuocis propositis; etenim si quæratur quam ob causam color colori, & figura figurę est similis, vt non vnum Problema denotat, sed alia est in figuris, alia in coloribus similitudo, sic haud vnum medium, sed plura recognoscet; at cum secundum æquiuocum coeant in vnum, etiam media constabunt, ut possint

Diuisio.

Expositio.

eodem

men ratione subiecti, cui proxime, ac immediate conuenit, & sub illo consistit, recte primum appellamus. Et vt in vltimo exemplo stemus, velut eo, quod maiorem notitiam gestat, sit Ostensio formanda, quæ de latifolia arbore, foliorum casum ostendat, nos statim scrutabimur quæ debet causa censeri, & cum succi gelatio, vel, *quid aliud tale*, se offert, quod prima causa apparet, sic ratiocinabimur, vbi est succi congelatio, ibi est foliorum fluxus, sed in latifolia arbore est succi congelatio, igitur in latifolia arbore est foliorum fluxus. Quod si eadem affectio de vite ostenditur, nil in medio ponemus, præter factæ Ostensionis minus extremum, quod in ordine ad vitem, quasi genus se habet; quare in hunc modum nectemus, omnis latifolia arbor nudatur folijs, sed vitis est latifolia arbor, igitur vitis nudatur folijs. Et hac via vt primæ Ostensionis minus extremum sub se tenet minus extremum postremæ, sic ratione affectionis, solum ei est æquale. Quo loco decet notare Philosophum, tantum de primo medio testari, rationem primi extremi esse, & cum sic affectio concluditur, vt de primo subiecto monstretur, & termini vicissim remeant; nimirum vt indicet, per ipsum vere affectionem nosci. Potest illud probare, quia postquam talem sententiam dixit, continuo addit, *quo circa omnes fiunt Scientiæ per finitionem*, quæ verba haud accipimus, velut ad totalem Scientiam spectent, quæ ex pluribus Problematis pendet, sed illo sensu, vt cuiusuis quæsiti notitiam claudat, quæ modo annotato succedit. Ac licet etiam sint vera ex parte completæ Scientiæ, quo pacto olim protulit, tamen hic, solum eam innuit, quæ vnicæ conclusionis, & vnica Ostensio producit. At quamuis adhuc allata, verissima censentur, tamen quis posset credere totum id, quod habent, ex materia pendere, & tantum in quibusdam determinatis, non in vniuersum esse, quod præsens negocium contendit; ideo sic declaremus, vt nil amplius vel mathematicum, vel naturale sumatur, vel cuiusque alterius Scientiæ, sed ab omni materia abstrahendo, totum in eleementis agamus. Ergo loco maioris extremi sit A. medij vero termini, ac causæ B. at minoris extremi, & subiecti ipsum D. tum sic, B. est A. sed D. est B. igitur D. est A. Maiorem positionem insinuat, *etenim A. sit omni B. inhærens*, nec sane quouis modo, sed ita, vt nequeant inter se verti; sed A. ad plura, quam B. spectet. Minorem cum ait, *B. vero vnicuique eorum, quæ D. sunt at in plus*, quare B. illis vniuerse competet, quæ sub D. consistunt; nam cum vniuersale dupliciter suma-

rei causas per accidens, id est illas, quæ non adeo cum effectu, vt simpliciter causa iunguntur, ex quibus nihil prohibet, vt idem, quamuis pluribus pendeat. Primum decet firmare, quia dum concedit eiusdem posse distinctas causas dari, minus vniuerse profert, sed tanquam solum ijs competat, quæ diuersam speciem constant; at si cognitionis causas indicet, vt hæ plures queunt cerni specie eisdem, sic nunquam id coarctasset. Quod vero nec sint æquiuocæ sumendę, illud valde inuitat, quando præter quam quod parum hæret superioribus, nec connexionem præfert, licet etiam cernere, pari passu in id genus effectis causas, sicut effectus pergere, & contra effectus ad causæ normam dirigi. Ergo cum ait, *eiusdem plures causas esse*, quo pacto idem est effectus, eadem causa credetur, nec poterit vnus effectus dici, quin pariter vna causa putetur. Quare haud recte dixisset, eundem æquiuocum effectum diuersas causas noscere, sed eandem æquiuocam causam. Præterea apparet alia ratione hic, alia vero supra declarare; nam in præsentia sic distinctas causas sumit, vt disperatas attendat, at in reliquis exemplis, solum subordinatas; nempe vt eniteat, quod siue disparatæ, siue subordinatæ ponantur, plures idem valet effectus habere. Quid nam autem sit de subordinatis censendum, quidue magis debeat causa, & medium vocari, vtrum illud, *quod ad vniuersale primum, an quod ad singularia*, id est quod maiori extremo propinquius, vel minori existit, dicimus, *quæ sunt vnicuique proxima, cui est causa*, nimirum quod magis vicinum est subiecto. Huius rei ratio se offert, quia, *hæc est causa vt primum*, & species, *sub vniuersali*, & prædicato constet, ac vt maius extremum minori, & singulari competat; vel certe, *hæc est causa vt primum*, & summa causa effectum in tali subiecto teneat; sic putamus maxime ex C. fieri cur A. in D. inhæret, cur autem ipsi C. ex B. *huic vero ipsum*, B. haud amplius ab alio, sed ex se obtinere. Sed posset quis opponere, quasi alibi contrarium testetur; nam 2. Physic. & Octauo Metaphysicæ, nec non de Generat. Animal. & in nostris libris docet effectus notitiam, ex prima causa pendere, quare cum notitia propter quid secundum esse dirigatur, prorsus contingit vt simul esse effectus a prima causa manet. Respondemus dupliciter effectum sumi, vno modo simpliciter, nec aliud significat, nisi ipsum attendere ratione proprii subiecti, & a quo nunquam diuiditur, sed semper inuicem sectantur; alio vero in ordine ad illa, quæ sub tali subiecto resident, vel non sic præcipue

Dubitatio (margin, beside "Sed posset quis opponere")

Solutio. (margin, beside "Respondemus")

uenit, nec tam vna coniunguntur; licet primo pacto summam causam optet, quod dicti loci exprimunt, tanquam ij, quibus effectum vt in proprio subiecto capit, tamen postremo, quod in præsenti denotat, ex illa causa pendet, quæ magis subiectui adhæret. Quanquam minus assumimus, quasi sic prima causa vacet, vt nullam partem habeat, sed eo modo, vt maxime ex vltima fiat. Quare talis erit summæ causę constitutio, vt ex ipsa simpliciter effectus, at subiecto proximioris, vt secundum quid pendeat, scilicet in subiecto, cui non est adeo coniunctus. *Igitur de Syllogismo, ac Demonstratione quidnam sit vtrumque, & quo modo fiat, satis est apertum. Simul autem & de demonstratiua Scientia, etenim idem existit.* Et hac via quæ fuerunt olim proposita, & in Prioribus initio, omnia declarauit.

Cont.101. *DE Principiis vero & quo modo nota fiant, & quis sit cognoscens habitus, hinc manifestum fiet dubitantibus primum. Quod igitur non contingat scire per Demonstrationem, non cognoscentem prima Principia immediata, dictum est prius: ipsorum autem immediatorum cognitio & vtrum eadem sit, vel non eadem, dubitare quispiam posset, & vtrum Scientia vtriusque sit, an non, an huius quidem Scientia, huius autem aliud quiddam genus: & vtrum cum non inexistant habitus innascantur, an cum inexistant, latuerint. Si itaque habemus ipsos, absurdum est, contingit enim exquisitiores Demonstratione cognitiones habentes latere: si vero accipimus non habentes prius, quonam modo cognosceremus, ac disceremus ex non præcedente cognitione? impossibile*

Cont.102. *nanque est, quemadmodum & in Demonstratione dicebamus. Manifestum est igitur quod neque habere possibile est, neque ignorantibus, & nullum habentibus habitum innasci. Necesse est igitur habere quidem facultatem aliquam, non talem autem habere, quæ sit*

Cont.103. *his honorabilior secundum certitudinem. Apparet autem hoc omnibus animalibus inesse, habent enim congenitam facultatem iudicatricem, quam vocant sensum; cum autem sensus insit, in aliis quidem animalibus fit permansio eius, quod sentitur, in aliis vero non fit in quibuscunque igitur non fit, seu omnino, seu circa quæ non fit, non est his cognitio præter ipsum sentire; in quibus vero inest sentientibus habere vnum quiddam in anima, cum multa talia fiant, iam differentia quædam fit, vt his quidem fiat ratio ex talium permansione,*

Cont.104. *his autem non fiat. Ex sensu igitur fit memoria, quemadmodum*

dici-

dicimus, ex memoria vero, quæ plerunque eiusdem fit, experientia, multa nanque memoriæ numero experientia vna est; ex experientia vero, aut ex omni vniuersali quiescente in anima, vno præter multa, quod in illis omnibus vnum insit idem, principium artis, & scientiæ; si circa generationem quidem, artis, si vero circa id, quod est, scientiæ. Neque igitur insunt determinati habitus, neque ab aliis notioribus habitibus fiunt, sed a sensu, vt in pugna versione facta, vno stante, alius stetit, postea alius, donec ad principium venit; anima vero est talis, vt possit pati hoc. Quod autem dictum est pridem, at non manifeste dictum est, rursus dicamus. Cum enim steterit indifferentium vnum, primum quidem in anima vniuersale est, etenim sentitur quidem singulare, sensus autem ipsius vniuersalis est, vt hominis, at non Calliæ hominis. Rursus in his statur, donec ad indiuisa stetur, & vniuersalia, vt tale hoc animal, donec animal, & in hoc similiter. Manifestum itaque est quod prima nobis inductione cognoscere necesse est, nam & sensus ita vniuersale facit. Quoniam autem habituum, qui circa discursum sunt, quibus verum dicimus, alii quidem semper sunt veri, alii vero falsitatem recipiunt, vt opinio, & ratiocinatio vera autem semper sunt scientia, & intellectus, & nullum scientia exquisitius aliud genus est, quam intellectus, principia vero Demonstrationum sunt notiora, scientia autem omnis est cum ratione, principiorum quidem scientia esse non potest: quoniam autem nihil scientia verius esse contingit, nisi intellectum, intellectus vtique principiorum erit, tum ex his considerando, tum quia demonstrationis principium non est demonstratio, quare neque scientia est scientia: si igitur nullum aliud præter Scientiam genus verum habemus, intellectus vtique erit, scientiæ principium, & principium quidem principii erit, hæc autem omnis similiter se habet ad omnem rem.

Cont.105. Cont.106. Cont.107.

PRAELECTIO XX.

QVA VIA PRIMA PRINCIPIA pateant, & ad quem Habitum ſpectet Principiorum notitia tradens.

Connexio.

Inſtitutum.

Logici officium.

QVAMVIS poſſet omnis labor expletus videri, nec quidquam amplius reſtare, quod ad nos pertineat, tamen etiam adiungit, quod valde patefacta illuſtrat. Etenim eſt paulo altius de primis Principiis ordiendum, minus quidem omnibus, ſed ijs, quę ad Oſtenſionem conducunt, & Logici munus excedendum, qui in eo quieſcit, vt quandam Principiorum attingat notitiam. Poteſt illo probari, quia cum Principiorum negocium, maxime in Oſtenſionis gratiam ſumat, intantum ſunt Principia tenenda, qua ad Oſtenſionem ſpectat, at hæc non ſic excellens examen, ſed quandam notitiam optat, nimirum ſi ſciat, illa ope ſenſus patere, nec ex aliis cognitionis Principiis, ſed alia ex ipſis pendere: nam altius repetere, uti hic pręſtabit, uerius Metaphyſici, uel Naturalis, quam Logici munus cenſemus. Et hæc ratio exiſtit cur hanc tractationem haud cum ageret de Principiis, ſed ad finem libri, ac extra Epilogum ſeruauit, ut eſſet notum haud noſtris libris deberi, ſed ſublimioris inſpectionis eſſe. Neque uero accipimus, quaſi ſit inter partes locanda, quæ nunquam poterant linqui, ſed illo pacto, vt ad cognitionis abundantiam tractet, ac ut omnia ſplendeſcant, quæ Oſtenſionis fabricæ fauent. Quod ſi quaſdam uias detexit, quæ ad Principia ducunt, ſatis a tradendis diuerſas, ut cum de in quid prædicatis ageret, eſt obſeruandum, id maxime attendere, quod ex noſtra infirmitate ſubirent, qui ea, quæ per ſe ſunt aperta, minus diſtincte cernimus, ob quam rem ſæpe cogimur certas uias rimari, per quas ad Principia uenitur. At in pręſentia ſic omnia conſiderat, ut quid conuenit ex natura, attendat, nihil pręterea curans, ſi quicquam ſecundario competat. Quare ſiue propria, ſiue communia apparent, nullum ſupereſt intactum, quod uere Principium dicatur. Et ex his refulget hanc prouinciam primo pro inſigni Oſtenſione,

Exacta Principiorum cognitio vel ad Metaphyſicam, uel ad propriam Artem pertinet.

tum

tum pro illis susceptam fuisse, quæ haud tanta dignitate pollent; nam vt hæc maxime in prima Ostensione nitent, sic maxime in eius gratiam declarantur. Contextus in duas partes diuiditur. *Diuisio.* Et quidem in prima pandit quo modo Principia pateant. In altera qui sit Habitus dicenda Principiorum notitia. Quod attinet *Expositio.* ad primam partem, cum eo lucidior veritas splendeat, quo difficultatibus obicitur, ideo minus ab re erit, si hoc parum agitemus; cum præsertim sic cum adhuc explicatis congruat, vt ad omnia valde conducat. Igitur quamuis olim satis sit de Principijs firmatum, nempe ea tollendo, quæ illorum notitiam turbabant, tamen qua ratione fiat vt Principia contingant, minus apertum videtur. Ac certe si probe notamus, tantum duo modi se offerunt, quibus forte valet præstari. Vnus modus existit vt ad nos noua accedant, ac vti cognitio, quæ per Ostensionem aduenit cum antea non esset, recens producitur, sic illa Principiorum id totum, quod habet, nouiter assumat. Alter vero censetur vt Principiorum Habitus haud quidem nouus fiat, sed plane nobiscum nascatur, at quia sæpe minus comparent, ideo nihil aliud erit, prius ignota Principia tenere, quam eorum proferre occlusam notitiam; si postremum dicamus, statim illud emerget, vt prorsus quis ignoret, quod certius quam Ostensione dignoscit, hoc autem debet absurdum credi; nam si quæ per Ostensionem patent, nequeũt simul occulta esse, alioquin vna sciremus, & nesciremus, quod contradictionem claudit, ergo nec illa, quorum cognitio eam præcellit conclusionis, dum possidentur, vnquam possunt ignorari; talia vero Principia putantur, tanquam ea, quæ vt primo libro dedimus, tantam certitudinem gerunt, vt cum illa conclusionis maior, tum præstantior existat. Quod vero nec queat dici, nouiter innasci, satis licet probare, quia non comprehenditur, *quonam modo fiant ex non præcedente cognitione*, ac proinde ex prioribus, & certioribus habitibus, quo pacto in infinitum iremus; nam, vt fuit alias conclusum, nostra omnis Doctrina poscit præexistentem notitiam. Quare videtur dicendum, *nec habere possibile esse, nec ignorantibus, & non habentibus habitum fieri*. At quamuis hæ dubitationes, vere aliquid inferant, tamen haud tantis neruis præstant, vt prima Principia exturbent, sed vt clare illorum notitiam cernimus, sic inania censemus, quæ attentant conuellere. Et quidem concedentes, nunquam talem habitum cum nobis nasci, & solum quasi sopitum erigi, quod ra-

tio

tio conuincit,prorsus negamus haud posse nouum produci, nec sane vt ex magis certis,ac nobilibus cognitionibus, sed tanquam ex administris,& satellitibus. Ac vt omnia distinctè pateant, est obseruandum, nobis facultatem sentientem esse, cuius actio licet nō debeat tam certa,quam Principiorum notitia poni,quod ex eo refulget,quia rē confuse explicat, tamen ad illorum Habitum ducit. Nam cum duplex sit animantium genus,vnum illarum censetur,quæ sic rerum species recipiunt ab obiectis transmissas,vt vna obiectis absentibus seruent;alterum vero earum, quibus vel prorsus nullæ, vel nequeunt omnes manere; quanquam vltimo modo,*non est his cognitio præter sentire*,id est nullam notitiam tenent,saltem in ordine ad illa, quorum simulachrum non seruant,quæ possit a sensu distrahi, sed tandiu perdurat, donec cum sensus actione iungitur; tamen primo, vt, *vnum quoddam in anima*,habent,nimirum Memoriam, in qua sensiles imagines seruantur, sic valent ad Principia venire. Sic autem progressus disponitur, etenim, *ex sensu, sicut asserimus, Memoria dependet, ex Memoria vero multoties eiusdem*, haud numero, sed specie,*facta,Experimentum, nam multa numero memoria*, specie autem vna,*vnum est Experimentum*; *at ex Experimento,vel omni Vniuersali in anima quiescente*, quod vnum, *præter multa*, vocamus, *& in iis omnibus*, singularibus, *idem vnum existit, Artis, ac Scientiæ Principium*; *& sane si circa generationem Artis, at si circa id,quod est,Scientiæ*. Quo loco non solum quidam rite credunt dictionem,*omni*,ex toto,signare, cum vniuersale in ordine ad singularia contenta tanquam totum se gerat, sed etiam nullam ob causam dare quietem,nisi quia cum stet in intellectu, & fit actu vniuersale, amplius aliam non mouet potentiam,sed in Mente quiescens,Principia Disciplinis ministrat;nam dum circa illa versatur,quæ minus a natura,sed ex nobis dependent, Artis Principium;quod si circa ea,quorum esse haud nostras vires,sed naturæ agnoscit,Scientiæ proponit. *Et hoc pacto nec determinati Habitus insunt,nec ab aliis fiunt magis notis habitibus*, quod traditæ rationes contendunt,*sed ab ipso sensu*, qui vt omnibus animalibus adsit,tamen nequit in omnibus præstare,sed tantum ijs,quibus ratio accedit. Ac vt de Exercitu cernimus, qui primum terga dedens pugnam declinat,tum honoris stimulis commotus faciem conuertit,ac fortiter se ostentat, in quo non omnes milites sic gerunt,vt eodem tempore consistant,sed primo vnus,*postea*

vero

vero alius,donec ad principium venit, & totus Exercitus firmetur, sic est de Principiorum notitia,nam sensus primum vnum , mox alterum singulare cognoscit , & ad Memoriam transmittit per Phantasiam,quod vsque eo agitat,dum ex omnibus in Memorię Arçe munitis , & ignorantiæ oppositis , Mens totum Vniuersale concinnet,ac Scientijs Principia suggerat . Sed cum possint adhuc tradita obscuritatem seruare,nec rem prorsus detegere,non erit ab re censendum,si distinctiùs agamus . Ergo talis est nostræ animæ conditio , vt cum primum in ea , *vnum steterit indifferentium*,id est vnum ex particularibus , quæ sub illo vniuersali constant, cuius naturam venamur,statim,*in anima est Vniuersale*.Neque vero sumimus,quasi id perfecte cadat,sed illo modo vt solum imperfecte,nimirum qua ab eo ex parte pendet . Ac quamuis sentiendi actus debet singulare credi , quia nihil vniuerse respicit,sed ad determinata arctatur,tamen ipsa facultas vt ad nullum magis singulare,sed æque ad omnia se habet, sic probe vniuersalis dicitur,nec aliud signabit,nisi illud , quod singulare vagum,& indefinitum vocant . Et hac via renidet quonam pacto contingat , vt ex singularibus actionibus Vniuersale cogamus . Quæ cum ita se habeant est concludendum satis ex dictis patere prima Principia Inductione acquiri , ac proinde non ex rei Principijs, vel cognitionis, sed tantum inuentionis pendere . Atque hæc de prima textus parte sufficiant. Adhuc de altera videamus, nempe ad quem Habitum spectet Principiorum notitia;hoc autem probe cadet si paulo altius repetendo , ex cæteris discernatur . Igitur cum, *Habituum in Mente constantium , quibus verum asserimus,alii quidem semper sint veri,alii falsitatem recipiant,vt Opinio,& Ratiocinatio*,id est omnis dialecticus processus,minus est de his timendum;nam si Principiorum notitia,illam , quæ ex Ostensione pendet præcellit, si nil certius in Mente , quam eorum Habitus insidet,plane emergit vt non possit Opinio, vel Ratiocinium dici,quæ sic verum agnoscunt, vt etiam queant falsum habere,sed solum cum ijs erit , qui semper veri putantur , nec quidem omnibus,sed illis,a quibus contingentia abest . Et hæc ratio existit cur nihil de Prudentia , & Arte meminerit, tanquam eis , quæ licet alibi, & Sexto Topicor. inter veros Habitus locet , tamen cum haud contingentiam excludant, iure in præsens omittit . Quare tantum difficultas restat circa Scientiam , ac Intellectum,ex quibus simul patebit de Sapientia,cum nihil sit aliud,nisi ex

Principiorum notitia cum ignorantia certando comparatur.

Quid nam sit vniuersale , quod ad sentiendi facultates spectat.

Prima principia ex inuentionis principijs dependent.

si ex Scientia, & Intellectu compactum. Et sane quod Principiorum cognitio minus queat Scientiam, sed Intellectum largiri, duplex ratio sustentat. Prima in hunc modum pergit; Nihil adest certius Scientia præter Intellectum, sed Principiorum notitia semper est magis certa quam Scientia, Igitur notitia Principiorum nunquam ad Scientiam, sed solum ad Intellectum spectabit. Maiorem positionem designat, *nullum aliud genus Scientiæ exquisitius est quam Intellectus*. Minorem dum ait, *principia vero Ostensionum sunt notiora*. Conclusionem ibi, *principiorum quidem Scientia non potest esse, Intellectus vtique Principiorum erit*. Neque sane quis contendat se scopulum vitare si affirmet inconueniens non esse dum vna Scientia sic habet, vt aliam in notitia excedat, sed passim in Disciplinis cerni; ergo quamuis Principiorum cognitio illam conclusionis præcellat, tamen nihil prohibet cur nequeat in Scientia poni, & eius finibus describi; sed cum omnis Scientia rationem adnexam gerat, id est per causam procedat, at Principiorum notitia omnem rationem excludat, illud succedit vt nec possit Scientia dici, sed vt non adeo optat perfectum progressum, sic alium habitum constituit. Altera ratio occurrit, si Scientiæ esset Scientia, certe illud fieret vt Ostensionis Ostensio esset, sed hoc est falsum, igitur videtur dicendum nec Scientiæ Scientiam dari. Assumptum Philosophus significat, *Demonstrationis principium non est Demonstratio*: nam, vt primo libro deteximus, si semper aliam priorem noscit, & potest per eam clarere, nunquam ad rem accedemus, vt plena cognitio succedat, quæ ex primis Principijs pendet, sed in infinitum pergemus. Conclusionem ibi, *quare nec Scientiæ Scientia*, quod ex eo apparet, quia cum per Ostensionem fiat, nec possit aliter consequi, prorsus eandem mensuram, quam Ostensio subit, & contra; ac sicut in illa daretur infinitus processus, sic pariter in hac esset concedendus. Quæ cum ita se habeant, nec alius Habitus occurrat, qui semper verum conseruet præter Intellectum, nobis videtur dicendum Principiorum notitiam, maxime Intellectui deberi. Et hoc pacto, *Principium quidem Principii erit*; nam vt primæ propositiones, Ostensionis Principia censentur, sic Habitus, quem Intellectum vocamus, talium Principium credetur; ac velut Intellectus ad prima, & immediata Principia habet, sic, *hæc omnis se habet ad omnem rem*, id est Scientia ad conclusionem. Quare vt ille Habitum format, quo Principia noscantur,

ſcantur , ſic etiam hæc Habitum , quo noſcantur concluſiones.

Operis peroratio.

Sed iam Portum cernimus Auditores, & quod ante magis optare, quam ſperare fas erat, tandem poſt arduam nauigationem tenemus. Nunc licet difficultatum Syrtes, quæ olim ob oculos verſabantur, terrorem incutientes, perenni ſecuritate deſpicere. Quæ cum haud noſtris viribus ſatis mediocribus, & infirmis, ſed ſuperno munere contigerint, illud eſt præſtandum, vt rerum omnium Auctori, ac Gubernatori grates habeamus.

Ex noſtra Patria Montepolitiano Hetruriæ, a Partu Virginis, CIↃ. IↃC. XIV.

FINIS.

INDEX EORVM, QVAE IN HOC OPERE SVNT PRAESERTIM NOTANDA.

Tres Litteræ P. M. F. principium, medium, & finem faciei designant.

EX PRAEPARATIONE AD POSTERIORA Analitica.

A

Vu Lo-

EX LIBRIS Posterioribus Analyticis.

De-

Pro-

R

T

Tria

FINIS.

REGESTVM,

ꝑ a b c d e f.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx.

Omnes ſunt folia, præter T t, & X x, quæ ſunt folij cum dimidio.



ROMAE, Ex Typographia Andreæ Phæi. M. DC. XVI.

SVPERIORVM PERMISSV.